
8
13 K
16

R. P. GASPARIS DE RIBADENEIRA. TOLETANI

SOCIETATIS IESV IN VNIVERSITATE COMPLVTENSI SACRÆ THEOLOGIÆ Doctoris, & in suo Collegio eiusdem Facultatis Primarij Professoris.

TRACTATVS DE ACTIBVS HVMANIS IN GENERE.

IN 1. 2. D. THOMÆ A QVÆST. 6.





Anno 1655.

CVM PRIVILEGIO.

COMPLVTI, In Typographia Mariæ Fernandez.

Summa Priuilegij.

PHilippus Quartus Hispaniarum, & Indiarum Rex priuilegium concessit P. Gaspari de Ribadeneira, vt per decennium typis excudat, nullusque alius, nisi de ipsius facultate librum, cuius titulus est *Tractatus de Actibus humanis in genere*, vt constat ex litteris Matriti datis die 23. Augusti, anno 1655.

Facultas Superiorum.

PErmissu supremi Consilij Castellæ, Ordinarij, Superiorumque Societatis cum approbationibus virorum grauium, tum eiusdem Societatis, tum etiam Reuerendiss. P. Fr. Nicolai Baptistæ Concionatoris Regij Ordinis B. Mariæ del Carmelo. P. M. Fr. Martini de Becerra Ordinis Cisterciensis, Vespertinæ Cathedræ D. Tho. in Complutensi Vniuersitate Moderatoris.

Summa Taxæ.

SEnatores Regij disposuerunt, vt hic liber, cuius titulus est *Tractatus de Actibus humanis in genere*, quatuor marauetinis, & non amplius pro singulis chartis diuendatur, vt constat ex testimonio Madriti dato die 3. Decembris, anno 1655.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg.38.lin.5.Pro hanc.leg.*hac*.Pag.52.lin.32.eligat.leg. *non eligat*.Pag.67.lin.16.superiorē.leg.*rationis superioris*.Pag.95.lin.18.Petrum.leg.*Petro*.Pag.109.lin.32.non necessitate.leg.*non necessitato*.pag.123.lin.33.obligare Frāciscum,sub peccato,vt.Dele,*sub peccato*, & leg. *prædeterminare Franciscum,vt*.Pag.159 lin 33.quod non existat. leg. *quod existat*.Pag.169.lin.2.voluntarium. leg. *noluntarium*. Pag.194.lin.18 intentus,leg.*intentans*.Pag.204.lin.31.nō tot,ac tantis opus est.leg.*validioribus opus est*.Pag.222.lin. 20.non sunt.leg.*sunt*.Pag.229.lin.26. inuoluntarium, leg. *inuoluntariam*.Pag.232.lin.1.& sane.dele,&c.Pag.242.lin. 27.voluntati,lege *voluntarietati*.Ibi lin. 30. soti. lege *toti*. Pag.243.lin.31.impressè,leg.*impense*.Pag.252.lin.36.omissionem,leg.*emissionem*.Pag.265.lin.27.vel,leg.*sed*.Pagin. 272.lin.38.voluntariam;leg.*voluntarium*.Pag.276.lin.vlt. pro,leg.*per*.Pag.277.post lineam 1.& ante 2.Adde: *esse voluntariam*.Pag.278.excusari.leg.*excusare*.Pag.286. lin.5. quia,leg.*quid*.Pag.300.lin.12.Societate,leg.*Societatis*.Pagin.301.lin.13.expectata,leg.*spectata*.Pag.304.lin.10. medio,leg.*modo*.Pag.305.lin.39.voluntate,leg.*bonitate*.Pag. 323.lin.20.casualitatem.leg.*causalitatem*.Pag.331.lin.14. secundo.leg.*primo*.Pag.338. lin.25.productus. leg. *productum*.Pag.342.lin.9.citra.leg.*circa*.Pag.361.lin.25.oppositionem.leg. *appositionem*.Ibi lin.26.existentiam. Adde. *finis*.Pag.377.lin.8.non se,leg.*non sibi*.Pag.420. lin. 36. Distinctio.leg.*distinctionem*.Pag.426.lin.17.effectum.leg. *affectum*.Pag.434.lin.24.experire,leg.*experiri*.Pag.463.lin. 15.amari.leg.*amori*.Ibi lin.17.tantum.leg.*totum*.Pag.464. lin.34.intrinsecè.leg.*extrinsecè*.Pag.469.lin.7.suo modo. Adde:*tendendi*.Pag.482.lin.30.intrinsecè. leg.*extrinsecè*. Ibi.lin.35.Primum quia,leg.*Primumque*.Ibi.lin.36.Secundum quia.leg.*secundumque*.Pag.498.lin.21.impeditâ. leg. *impeditiua*.Pag.501.lin.32.procedit.leg.*præcedit*.Pag.512 lin.1.ille.leg.*illi*.

¶ Hæc menda si demas respondet suo originali. Datum Compluti.die 26.Nouembris,anno 1655.

Doctor Franciscus de Porres.
Corrector Vniuersitatis.

SAN-

SANCTISSIMO ECCLESIÆ Patriarchæ, Parenti colendissimo, S. Ignatio de Loyola, Almæ Societatis Iesv Fundatori, Gaspar de Ribadeneira minimus Filius, eiusdemque Societatis alumnus, tanto Parenti addictissimus.

D. C. Q.

INgenuæ, gratæque indolis est si cui plurimum debeas, plura debere studeas. Tibi adeò Pater amantissime, cui omnia, & quod maximum est, Parentis innumeris testatum beneficijs amorem debeo, huius denuo voluminis tutelam debere volui: quod licet exiguum, nulliusque pretij sit, ea tamen sunt munera, quæ, qui accipit vult. Si velis itaque, parum hoc esse non poterit. Qui nanque sit exiguum, quod sub tui nominis umbra eximio splendore affunditur? Vitruuius ad Augustum Architecturam, Diophanes ad Deiotarum Genoponica, Archimedes ad Gelonem Arenarium, Pollux ad Commodum Onomatologiam, & cæteri dum ad suos Principes scripta dedicarunt, aut ambierunt quæstum, aut quæsiuere ambitum. Ego quidem humana in melius consilia referens paternas aras affecto, si vero quæstum hunc planè vnũ, idque Tibi debitum, Parenti obsequi amantissimo, si ambitum, hunc profectò vnicum, idque mihi indebitum, tenui ista pietatis tessera, qua omnia me Tibi debere profitear, filius Tibi addictissimus omnibus videri desidero. Nobilioris ambitionis, & quæstus sum reus dum hoc tibi consecro munusculum, vt pietatis erga Te studiosissimæ, qua vnicè glorior, perenne mo-

numentum instituam. Tractatum de Actibus humanis ad tui patrocinij sacrarium sisto: neque enim aliter tractatus de Actibus humanis melius orbi commendaretur, nisi aliquis in illius fronte tuæ erga filium paternæ humanitatis actus legeretur. Ad tuæ tutelæ perfugium opus istud accurrit. Prius tamen ad idem asylum præconceptum confugerat: prius enim fuit animo ad oblationem tuus, quàm calamo ad laborem meus. Nihil sanè præclarius potuit hoc opus ab Authore accipere, quàm sub tuo fuisse patrocinio cogitatum, & ad tanti Parentis obsequium in lucem properasse, vt talibus auspicijs conceptum, in tam bene ominato horoscopo natum, tantaque protectione adultum æternùm duraturum prodeat. Alij filij ad tuum, tuæque Societatis honorem magnificētius offerent. Sat sit meæ tenuitati huius exiguitatem opellæ cum toto, quem possum, amore Parentis cōponere. Auiculas ad magnificum Delphici Apollinis templum plumas, sicut & apes ceram, cum nil possent opulentius, non sine lepore Poetæ vltro detulisse fabulantur; sic & nos ad tot gloriæ tuæ monumenta, quæ alij tibi filij dicarūt, licet dono inferiores haud impares affectu nostrum hunc opusculum adiungimus. Accedo sine temeritatis nota, sola affectus erga amantissimum mihi Parentem commendatione securus, non tuæ magnitudini doni exilitatem, sed paternæ benignitati consecro, quæ magis eò mihi innotescet, quo viliora dignetur acceptare munuscula. Non timeo ne labores nostros, nosque cum illis à tuo patrocinio repellas; cùm me primis rationis scintillis mundalium periculorum conscium in tuæ Societatis sinum susceperis, ac nunquam non

pater-

paterno beneficiorum calore foueris. An cliens repulsam patiar, qui filius semper grauem tanta pietate sum expertus? Suo quidem iure liber hic dum titulum in frōte gerit, dumque Authoris animum cognoscit patrocinium tuum sibi deberi proclamat; securusque repulsæ nō tam tuam beneuolentiam captat, quàm expectat. Tractatus est de Actibus humanis Authoris animus diuinæ Maiestatis gloriæ (faxit Deus) ac discipulorum vtilitatis scopum collimare contendit. Iure ergo tractatus iste suam deploraret fortunam, si ad tuas ipsi manus prohiberetur aditus, à quibus si finis ipsi imponatur, nil aliud nisi maiorem Dei gloriam, & audientium profectum respiciet, quippè omnes humanos actus ad hunc scopum collineare semper omni ope nitebaris. Nullum porrò liber noster potuit melius inire consiliū, quà vt tuis ei manibus assignaretur terminus, nullū cōsultius, quā sub tua vmbra lucem videre, & Catoniana superciliorum arbitria perferre: nam cum in tanta iudiciorum diuersitate, nemo cunctis placere assequatur, hoc vnum tuæ erga me benignæ facilitati debeo consilium obtinuisse, vt te de toto mundo innumeris charitatis officijs Parentem benemeritum, Patronum eligerem, vt lectores omnes piam censuram, non tam libro, quàm Patrono debitam persoluant. Suscipe igitur Parens amantissime in hoc opere, quod ingenioli mei elaborabit industria tibi deuinctissimi animi pignus, benignoque dignare intuitu, quod ex penetralibus cordis depromptum offero. Carpe fructus, vtinam tibi iucundos illius arboris, quæ iam dudum aruisset, si paternæ tuæ clementiæ liberalitas non irrigasset Sa tis gratiarum habebunt lucubrationes

no-

nostrae, si eas dignas virtute tua cognoveris. Ego sedecim pretium magni operae meae me accepisse confiteor, si tibi gratias assequar accidisse: quid enim generosae proli gratius, quã amantissimo Patrono placuisse? Quid iucundius quam optimi, summo non displicuisse Patrono? Quid maius quam integerrimo probari iudici? Haec sunt nostrae vitae, quae oportun exitum comparabunt, si quod tuae sanctitatis operi consecratimus, nostri amoris pignus, nostrae memoriae obsidem, nostrae denique in te studiosissimae observantiae argumentum in seculorum posteritatem liberali manu, hilari vultu, benigno ore accipias, foveas, tuearis.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM, ET CAPITVM.

DISPVT. I.

Explicatur voluntarium.

DISPVT. II.

Diuiſio voluntarij, & comparatio liberi cum neceſſario.

DISPVT. III.

De voluntario, quod indirectum, vel omiſsiuum dicitur.

DISPVT. IIII.

Poſitis alijs conſectarijs, concluditur doctrina de voluntario omiſsiuo.

¶¶ A3

INDEX.

Co-

INDEX.

DIS-

DISPVT. XV.

Quomodo causæ liberæ se determinent ad suos actus?

DISPVT. XVI.

Quatenus possit facultas libera se determinare difformiter cum vniformitate principiorum?

DISPVT. XVII.

De dependentia actuum liberorum à constitutiuis libertatis.

DISP. XVIII. *An sint possibiles actus creati extrinsecè liberi?*

DISPVT. XIX.

An sint possibiles actus creati intrinsecè, & essentialiter liberi?

DISPVT. XX.

Quomodo conueniat libertas actibus voluntatis de facto existentibus?

TRAC.



TRACTATVS DE ACTIBVS HVMANIS IN GENERE.



AVTORES, qui Mag. Sent. exponunt, non plura de actibus humanis nobis tradidère. Nonnulla tamen extant in 2. distinct. 24. 25. & 28. vbi ipsius interpretes, præsertim Scotus, & asseclæ nõ pauca docent. Latè tamen hac de re S. Thom. 1. 2. quæst. 6. vsque ad 17. inclusiuè, vbi copiosè satis ipsius expositores. Maxima huius tractatus vtilitas, & necessitas ad totam Philosophiam, Theologiam Moralem, & Scholasticam, ex ipsius disputationibus patebit. Porrò autem, solenne Autoribus est, actus hominis volũtarios, & liberos cũ *Actibus Humanis* confundere. Nã actus homini conuenientes dicuntur bifariam ipsiûs proprij. *Primò* proprietate cõueniẽtiæ, quaten' ipsi soli cõueniũt, vt *ridere*, &c. *Secũdò* proprietate dominij, quatenùs in eius voluntate, ac libertate electiuâ cõstituti sunt, vt actus meritorij, ac demeritorij. Actus hominis proprij, proprietate dominij ac libertatis, dicuntur humani ad distinctionem illorum, qui sunt hominis proprij proprietate conuenientiæ: hi enim non tàm dicuntur actus humani, quàm actus hominis: de quo videte D. Tho. 1. 2. quæst. 1. art. 1. Noster igitur tractatus maximè dirigitur ad actus liberos: & quia isti nequeunt satis exponi citra indagationem voluntarij, & inuoluntarij, idcircò priùs discutiemus, quæ huc pertinent.

DISPVTATIO PRIMA.

Explicatur voluntarium.

EXistentia voluntarij certa est de fide, vt constat ex illo Psalm. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*, & ex pluribus alijs testimonijs. Certa etiam est ex lumine naturæ, quandoquidem clarissimè cernimus, & experimento veluti tangimus, plura nos vellè, & quia volumus facere, in quo stat ratio voluntarij, cuius naturam diligentèr iam expendimus.

CAP. I.

Quid sit voluntarium?

1. TRipliciter voluntarium accipi queit: *Obiectiuè: Formalitèr, & Causalitèr.* Voluntariũ *obiectiuè* est obiectum volitum per actum voluntatis. Voluntarium formalitèr est ipse actus, ipsa forma, per quam creatura rationalis constituitur volens. Voluntarium *causalitèr* est, id quod procedit à voluntate determinante existentiam ipsius per eius amorem. *Dices primò*. Cur ad voluntarium causaliter acceptũ non sufficiet procedere à voluntate? *Resp*. Quia nunc sermo non est de illo voluntario, quod potest dici vtcunque voluntarium causalitèr; sed de illo, quod, quãtum est ex modo, quo procedit à voluntate, sortitur, quod satis est, vt imputetur operanti ad laudem, vel vituperium, si alia non desint: nempè libertas, motiuum honestum, & præceptum. Ad eiusmodi autèm imputationem non sufficit procedere vtcunque à voluntate, tametsi se exercente per volitionem: si enim ex tuâ volitione, te inscio, proueniant cognitio experimentalis ipsiûs, species, & habitus ex ipsâ geniti, hæc sanè omnia procedunt à tuâ voluntate se exercente per volitionem, & tamen non habent ex modo procedendi à voluntate, quòd ex capite isto necesse est, vt sint voluntaria causalitér imputatiuè: scilicet, quia prædicti effectus non ita proueniunt à voluntate, vt per illorum amorem voluntas determinet ipsorum existentiam. Rectè igitur exposcimus conditionem hanc ad voluntarium

causaliter acceptum imputabile operanti, de quo voluntario præsens sermo est.

2 *Dices secundò*. Volitiones ipsæ actuales, quæ à nobis procedunt, sunt voluntariæ, non solùm formalitèr per modum actus; sed etiam causalitèr per modum effectûs; & quidem imputabilitèr ex modo procedendi, quippe quæ procedūt à voluntate modo sufficiente, vt ipsi imputentur ad laudem, vel vituperium, si alia non obsint præter modum procedendi à voluntate. At, iuxta communiorem opinionem, de qua infra, necesse non est, quòd prædictæ volitiones sint volitæ, ad hoc vt à nobis procedant, nosque volentes constituant: ergo ad volūtarium, etiam causalitèr dictum, & imputabilitèr ex modo procedendi, non est opus, vt à voluntate proueniat amante ipsum, & per talem amorem, determinante ipsiûs existētiā.

¶ Resp. Ex dicendis infra de naturâ liberi constabit, ad voluntarium causalitèr, & imputabilitèr dictum necesse esse, vt existat à voluntate, non solum causante; sed etiam amante ipsum, & eo amore determinante existentiam ipsiûs. Quamobrē si quando actuales volitiones à nobis procedāt, quin ita amētur, tunc erunt voluntariæ formalitèr; scilicet per modum actûs constituentis nos formalitèr volentes; non tamen causalitèr, & imputatiuè ex modo procedendi. Patebit hoc citato loco, & cap. 7.

3 *Dices tertiò*. Voluntarium indirectum est voluntarium causaliter, & imputabilitèr dictum. At non procedit à voluntate ipsum amante, &c: ergo talis conditio non requiritur ad voluntarium causaliter, & imputabilitèr dictum. Consequentia patet: præmissæ autem ex eo constant: quia si quis velit se inebriare benè sciens inde sequendum, quòd hominem occidat; non tamen volens eam occisionem; sed præcisè ebrietatē, voluntaria illi est occisio causalitèr, & imputabiliter: & tamen occisio non procedit ab ipso illam amante. Resp. Mihi videtur sic dicēdum. (cauendum tamen est dissidium vocale) Actio indirectè voluntaria, tametsi voluntaria sit modo sufficiente ad imputationem ad peccatum, quia sicut iure cēsetur homicida, dignusque vt puniatur tanquam homicida, qui hominem occidit decernendo occidere; ita etiam, qui hominem occidit decernens se inebriare, præsciensque ebrietatem causaturam esse homicidium; ea tamen actio indirectè volūtaria, non est voluntaria causaliter formaliter; sed causaliter virtualiter,

numentum instituam. Tractatum de Actibus humanis ad tui patrocinij sacrarium sistos neque enim aliter tractatus de Actibus humanis melius orbi commendaretur, nisi aliquis in illius fronte tuæ erga filium paternæ humanitatis actus legeretur. Ad tuæ tutelæ persugium opus istud accurrit. Prius tamen ad idem asylum præconceptum confugerat: prius enim fuit animo ad oblationem tuus, quàm calamo ad laborem meus. Nihil sanè præclarius potuit hoc opus ab Authore accipere, quàm sub tuo fuisse patrocinio cogitatum, & ad tanti Parentis obsequium in lucem properasse, vt talibus auspicijs conceptum, in tam bene ominato horoscopo natum, tantaque protectione adultum æternum duraturum prodeat. Alij filij ad tuum, tuæque Societatis honorem magnificētius offerent. Sat sit meæ tenuitati huius exiguitatem opellæ cum toto, quem possum, amore Parentis cōponere. Auiculas ad magnificum Delphici Apollinis templum plumas, sicut & apes ceram, cum nil possent opulentius, non sine lepore Poetæ vltro detulisse fabulantur; sic & nos ad tot gloriæ tuæ monumenta, quæ alij tibi filij dicarūt, licet dono inferiores haud impares affectu nostrum hunc opusculum adiungimus. Accedo sine temeritatis nota, sola affectus erga amantissimum mihi Parentem commendatione securus, non tuæ magnitudini doni exilitatem, sed paternæ benignitati consecro, quæ magis eò mihi innotescet, quo viliora dignetur acceptare munuscula. Non timeo ne labores nostros, nosque cum illis à tuo patrocinio repelias; cùm me primis rationis scintillis mundalium periculorum conscium in tuæ Societatis sinum susceperis, ac nunquam non

pater-

paterno beneficiorum calore foueris. An cliens repulsam patiar, qui filius semper grauium tanta pietate sum expertus? Suo quidem iure liber hic dum titulum in frõte gerit, dumque Authoris animum cognoscit patrocinium tuum sibi deberi proclamat, securusque repulsæ nõ tam tuam beneuolentiam captat, quàm expectat. Tractatus est de Actibus humanis Authoris animus diuinæ Maiestatis gloriæ (faxit Deus) ac discipulorum vtilitatis scopum collimare contendit. Iure ergo tractatus iste suam deploraret fortunam, si ad tuas ipsi manus prohiberetur aditus, à quibus si finis ipsi imponatur, nil aliud nisi maiorem Dei gloriam, & audientium profectum respiciet, quippè omnes humanos actus ad hunc scopum collineare semper omni ope nitebaris. Nullum porrò liber noster potuit melius inire consiliũ, quà vt tuis ei manibus assignaretur terminus, nullũ cõsultius, quã sub tua vmbra lucem videre, & Catoniana superciliorum arbitria perferre: nam cum in tanta iudiciorum diuersitate, nemo cunctis placere assequatur, hoc vnum tuæ erga me benignæ facilitati debeo consilium obtinuisse, vt te de toto mundo innumeris charitatis officijs Parentem benemeritum, Patronum eligerem, vt lectores omnes piam censuram, non tam libro, quàm Patrono debitam persoluant. Suscipe igitur Parens amantissime in hoc opere, quod ingenioli mei elaborabit industria tibi deuinctissimi animi pignus, benignoque dignare intuitu, quod ex penetralibus cordis depromptum offero. Carpe fructus, vtinam tibi iucundos illius arborlique iam dudum aruisset, si paternæ tuæ clementiæ liberalitas non irrigasset. Satis gratiarum habebunt lucubrationes

no-

nostræ, si eas dignas nomine tuo cognoueris. Ego saltem pretium ingens operæ meæ me accepisse censebo, si tibi gratas assequar accidisse: quid enim germinæ proli gratius, quā amantissimo Parenti placuisse? Quid iucundius quam optatissimo non displicuisse Patrono? Quid maius quam integerrimo probari iudici? Hæc sunt nostra vota, quæ optatum exitum comparabunt, si quod tuæ sanctitatis apici consecramus, nostri amoris pignus, nostræ memoriæ obsidem, nostræ denique in te studiosissimæ obseruantiæ argumentum in seculorum posteritatem liberali manu, hilari vultu, benigno ore accipias, foueas, tuearis.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM, ET CAPITVM.

DISPVT. I.

Explicatur voluntarium.

DISPVT. II.

Diuisio voluntarij, & comparatio liberi cum necessario.

DISPVT. III.

De voluntario, quod indirectum, vel omissiuum dicitur.

DISPVT. IIII.

Positis alijs consectarijs, concluditur doctrina de voluntario omissiuo.

Co-

INDEX.

 DIS-

INDEX.

DISPVT. XV.

Quomodo causæ liberæ se determinent ad suos actus?

DISPVT. XVI.

Quatenus possit facultas libera se determinare difformiter cum vniformitate principiorum?

DISPVT. XVII.

De dependentia actuum liberorum à constitutiuis libertatis.

DISP. XVIII. *An sint possibiles actus creati extrinsecè liberi?*


DISPVT. XIX.

An sint possibiles actus creati intrinsecè, & essentialiter liberi?

DISPVT. XX.

Quomodo conueniat libertas actibus voluntatis de facto existentibus?

TRAC.



TRACTATVS
DE
ACTIBVS
HVMANIS
IN GENERE.



VTORES, qui Mag. Sent. exponunt, non plura de actibus humanis nobis tradidère. Nonnulla tamen extant in 2. distinct. 24. 25. & 28. vbi ipsius interpretes, præsertim Scotus, & asseclæ nō pauca docent. Latè tamen hac de re S. Thom. 1. 2. quæst. 6. vsque ad 17. inclusiuè, vbi copiosè satis ipsius expositores. Maxima huius tractatus vtilitas, & necessitas ad totam Philosophiam, Theologiam Moralem, & Scholasticam, ex ipsius disputationibus patebit. Porrò autem, solenne Autoribus est, actus hominis voluntarios, & liberos cū *Actibus Humanis* confundere. Nā actus homini conuenientes dicuntur bifariam ipsiûs proprij. *Primò* proprietate cōueniētiæ, quaten' ipsi soli cōueniūt, vt *ridere*, &c. *Secūdò* proprietate dominij, quatenùs in eius voluntate, ac libertate electiuâ cōstituti sunt, vt actus meritorij, ac demeritorij. Actus hominis proprij, proprietate dominij ac libertatis, dicuntur humani ad distinctionem illorum, qui sunt hominis proprij proprietate conuenientiæ: hi enim non tàm dicuntur actus humani, quàm actus hominis: I
de quo videte D. Tho. 1. 2. quæst. 1. art. 1. Noster igitur tractatus maximè dirigitur ad actus liberos: & quia isti nequeunt satis exponi citra indagationem voluntarij, & inuoluntarij, idcircò priùs discutiemus, quæ huc pertinent.

DISPVTATIO PRIMA.

Explicatur voluntarium.

EXistentia voluntarij certa est de fide, vt constat ex illo Psalm. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*, & ex pluribus alijs testimonijs. Certa etiam est ex lumine naturæ, quandoquidem clarissimè cernimus, & experimento veluti tangimus, plura nos vellè, & quia volumus facere, in quo stat ratio voluntarij, cuius naturam diligentèr iam expendimus.

CAP. I.
Quid sit voluntarium?

1 TRiplicitèr voluntarium accipi queit: *Obiectiuè: Formalitèr, & Causalitèr.* Voluntariū *obiectiuè* est obiectum volitum per actum voluntatis. Voluntarium formalitèr est ipse actus, ipsa forma, per quam creatura rationalis constituitur volens. Voluntarium *causalitèr* est, id quod procedit à voluntate determinante existentiam ipsius per eius amorem. *Dices primò*. Cur ad voluntarium causalitèr acceptū non sufficiet procedère à voluntate? *Resp.* Quia nunc sermo non est de illo voluntario, quod potest dici vtcunque voluntarium causalitèr; sed de illo, quod, quātum est ex modo, quo procedit à voluntate, sortitur, quod satis est, vt imputetur operanti ad laudem, vel vituperium, si alia non desint: nempè libertas, motiuum honestum, & præceptum. Ad eiusmodi autèm imputationem non sufficit procedere vtcunque à voluntate, tametsi se exercente per volitionem: si enim ex tuâ volitione, te inscio, proueniant cognitio experimentalis ipsiûs, species, & habitus ex ipsâ geniti, hæc sanè omnia procedunt à tuâ voluntate se exercente per volitionem, & tamen non habent ex modo procedendi à voluntate, quòd ex capite isto necesse est, vt sint voluntaria causalitèr imputatiuè: scilicet, quia prædicti effectus non ita proueniunt à voluntate, vt per illorum amorem voluntas determinet ipsorum existentiam. Rectè igitur exposcimus conditionem hanc ad voluntarium

cau-

causalitèr acceptum imputabile operanti, de quo voluntario præsens sermo est.

2 *Dices secundò*. Volitiones ipsæ actuales, quæ à nobis procedunt, sunt voluntariæ, non solùm formalitèr per modum actus; sed etiam causalitèr per modum effectûs; & quidem imputabilitèr ex modo procedendi, quippe quæ procedũt à voluntate modo sufficiente, vt ipsi imputentur ad laudem, vel vituperium, si alia non obsint præter modum procedendi à voluntate. At, iuxta communiorem opinionem, de qua infra, necesse non est, quòd prædictæ volitiones sint volitæ, ad hoc vt à nobis procedant, nosque volentes constituant: ergo ad volũtarium, etiam causalitèr dictum, & imputabilitèr ex modo procedendi, non est opus, vt à voluntate proueniat amante ipsum, & per talem amorem, determinante ipsiûs exiſtẽtiã.

¶ Resp. Ex dicendis infra de naturâ liberi constabit, ad voluntarium causalitèr, & imputabilitèr dictum necesse esse, vt existat à voluntate, non solum causante; sed etiam amante ipsum, & eo amore determinante existentiam ipsiûs. Quamobrẽ si quando actuales volitiones à nobis procedãt, quin ita amẽtur, tunc erunt voluntariæ formalitèr; scilicet per modum actûs constituentis nos formalitèr volentes; non tamen causalitèr, & imputatiuè ex modo procedendi. Patebit hoc citato loco, & cap. 3.

3 *Dices tertiò*. Voluntarium indirectum est voluntarium causaliter, & imputabilitèr dictum. At non procedit à voluntate ipsum amante, &c: ergo talis conditio non requiritur ad voluntarium causaliter, & imputabilitèr dictum. Consequentia patet: præmissæ autem ex eo constant: quia si quis velit se inebriare benè sciens inde sequendum, quòd hominem occidat; non tamen volens eam occisionem; sed præcisè ebrietatẽ, voluntaria illi est occisio causalitèr, & imputabiliter: & tamen occisio non procedit ab ipso illam amante. Resp. Mihi videtur sic dicẽdum. (cauendum tamen est dissidium vocale) Actio indirectè voluntaria, tametsi voluntaria sit modo sufficiente ad imputationem ad peccatum, quia sicut iure cẽsetur homicida, dignusque vt puniatur tanquam homicida, qui hominem occidit decernendo occidere; ita etiam, qui hominem occidit decernens se inebriare, præscienſquè ebrietatem causaturam esse homicidium; ea tamen actio indirectè volũtaria, non est voluntaria causaliter formaliter; sed causaliter virtua-

liter, & æquiualenter. Non quidem causaliter formaliter; quia non causatur à voluntate per volitionem, quâ ipsa ametur; sed aliud cum ipsa connexum. Ex tamen actio, quæ dicitur indirecte voluntaria, v.g. occisio in casu posito, est voluntaria causaliter æquiualētèr. Nam, vt rationabiliter imputatur ad peccatum exercita ab homine decernente ipsam; ita etiam exercita ab homine decernente ebrietatem connexam cum ipsâ, præuidenteque connexionem.

4 Sed contra. *Dices quartò*. Quod non solum æquiualenter; sed proprie, & formaliter est peccatum, est etiam non solùm æquiualenter; sed propriè, ac formaliter voluntariū: quia peccatum est quędam species voluntarij; & nō datur proprie, ac formaliter species, vbi non datur proprie, ac formaliter genus. At prædicta occisio indirecte voluntaria est peccatū proprie, & formaliter, & non solùm æquiualenter. Nam alioquin homo in proposito casu non peccaret simpliciter peccato homicidij; sed se gereret ac si peccaret: ergo talis occisio est formaliter, & non solum æquiualenter voluntaria causaliter. *Resp*. Neganda est maior. Ad probationē dicatur, peccatum esse quandam speciem, vel quasi speciē voluntarij causalis præscindentis à voluntario causali, vel formali; vel virtuali. Nā eo ipso, quód actio aliàs materialitèr mala, potésque hîc, & nunc euitari, sit vel formalitèr à voluntate determinata per amorē, quo in se ipsa ametur, vel virtualitèr per amorem, quo decernatur aliud præuisum, vt connexū cū eâ actione, iam eâ actione, prout sic determinatâ à voluntate, constituitur homo rationabilitèr dignus indignatione auersiuâ Dei; proindéque peccator. Vnde, quia vbi propriè, & formalitèr est species, ibi propriè, ac formalitèr est gen⁹, consequens est, vt vbi propriè, & formalitèr est peccatū, quod est quædā quasi species volūtarij præscindētis à formali, & virtuali, ibi sit formalitèr ratio volūtarij sic præscindentis: ad quod sufficit ibi esse rationē voluntarij virtualis, vt reuera est in volūtario indirecto. Sic de ratione formaliter causatiui caloris non est esse formalitèr calidū; sed vel formalitèr; vel eminentèr. Sic in sentētiâ admittentiū purā omissionē peccaminosam, ea est propriè peccatū; nō tamē propriè depēdēs à volūtate; sed impropriè, ac permissiuè, quia de ratione peccati propriè sumpti, non est depēdētia propria, & positiua à voluntate; sed vel propria, & positiua; vel impropria, & permissiua. Sic demū, in ipso casu argumenti

gumenti illa occisio indirectè voluntaria est directè peccatū; quia directè prohibita est, vt exercenda voluntariè, siue directè; siue indirectè; & tamen non est directe voluntaria: scilicet quia de ratione peccati, directè talis, tantùm est, quod attinet ad rationem voluntarij, esse voluntarium directè, vel indirectè.

5 *Dices quintò* hunc terminum: *velle*; & hunc terminum: *voluntarium* esse æquè obscuros, ac proindè ineptè vnum explicari per alium. *Resp.* Ineptè alius per alium explicaretur, nisi iam aliundè supponeretur benè notus ille, qui sumitur ad explicandum alium. Frequenter enim oportet in explicationibus rerum plura iam præexplicata supponere, ne omnia vbique molestissimè permisceantur. Hinc in præsenti rationem *voluntarij* explicamus; rationem autem amoris, volitionis, aut appetitionis explicatam supponimus ex alio loco, vbi diximus appetitionem esse *prosecutionem intrinsecam cognoscitiui in id, quod bonum apparet, quia bonū apparet*: & in his terminis tandem est tanquam in notioribus sistendum, cum certum sit in explicationibus rerum non esse abeundū in infinitū.

6 Rogabis pro vberioris rei præsentis expositione: quænam sint voluntaria per actum prosecutionis, id est, volitionis, & amoris: & quænam per actum fugæ, id est, nolitionis, & odij? Pro primâ parte respondeo. *Primò*. Per actum volitionis est voluntarium obiectiue quicquid eo actû constituitur volitum. Quia volitum, & obiectiuè voluntarium sunt prorsus idem. *Secundò*: per actum volitionis ipsa volitio est voluntaria formaliter. Quia voluntarium formaliter nihil aliud est, quàm forma, per quam cognoscitiuum redditur *volens*; & per quam obiectum redditur *volitum*. At ipsa volitio est per se ipsam forma, per quam cognoscitiuum redditur *volens*; & per quam obiectum redditur volitum: ergo per se ipsam est volūtaria formalitèr. *Tertiò* per actum volitionis est voluntaria causaliter directe actio externa, quæ, per talem volitionē efficacitèr decreta, redditur determinata ad existendum: & prȩterea per actum volitionis est voluntaria causalitèr indirectè illa actio, cum quâ connectitur aliud positum, & statutum efficacitèr à voluntate, connexione tali præuisâ: quia in primo stat actionem externam constitui per volitionem directè voluntariam causaliter operanti, & in secundo stat constitui voluntariam causalitèr indirectè. *Quartò*. Quando ipsa volitio

procedens à voluntate, per se ipsam redditur volita, decreta, & ad existentiam determinata, vt contingere dicam in sequētibus quoties immediatè, & formalitèr libere procedit, tunc ipsa simul cum processione sui à voluntate constituet se ipsam voluntariam causaliter. Quia à se ipsa simul cum sui processione à voluntate sortietur prouenire à voluntate per amorem ipsius determinantem ipsam ad existendum, in quo stat esse voluntariam causalitèr. De hoc tamen loc. cit.

7 Pro secundâ parte respondeo, dicendum esse ferè oppositum proportionalitèr in actibus fugæ. Nam: *Primò* per actû odij, & nolitionis non est obiectiuè voluntarium; sed potius obiectiuè noluntarium(vt sic loquar)quod eo actû constituitur nolitum. Eodem enim iure, quo voluntarium obiectiuè, & volitum in idem recidunt; in idem etiam recident noluntarium obiectiuè, & nolitum. *Secundò*, per actum nolitionis ipsa nolitio est noluntaria formalitèr; quia per se ipsam est forma, per quam cognoscitiuum redditur *nolens*, & obiectum redditur *nolitum*; quemadmodum volitio per se ipsam est forma, per quam cognoscitiuum redditur *volens*, & obiectum redditur *volitum*: ergo sicut ob hanc rationem volitio per se ipsam est voluntaria per modum formæ; sic ob illam rationem nolitio per se ipsam erit noluntaria per modum formæ. *Tertiò*. Actio externa causata ab homine; ipsi tamen nolenti cōtingens, constituetur per talem nolitionem exercita noluntariè, vel, quod idem est, inuoluntariè positiuè. Vt enim ea actio externa voluntariè exercetur, quæ fit voluntate ipsam amante, ac determinante; sic illa exercetur inuoluntariè positiuè, quæ fit voluntate resistente. *Quartò*, si sumatur affectus fugæ præcisè vt fugæ, nempè omnino prescindendo ab eo quòd sit prosecutio, certè talis affectus, etiam in consortio procedendi à voluntate, non se constituet voluntarium causalitèr. Nam vt se constitueret voluntarium causalitèr, oporteret se constituere *volitum*: nihil autèm cōstituit *volitum* sumptus omnino præcisim à ratione volitionis, & prosecutionis. Aliud erit, si affectus voluntatis fugientis ab obiecto directo, sit simul amor sui, vt ego existimo de affectibus fugæ immediatè liberis: tunc enim se constituet simul cum processione sui à voluntate voluntarium causalitèr, vt in simili dicebam de volitionibus in fine numeri præced. Hæc de actibus fugæ veriora videntur, quàm ea, quæ tradunt hîc Gregorius Martinez, & Ioannes à

Martinez.

S.Th.

S. Thomæ ille art. 1. dub. 1. §. *Ad tertiam respondetur*: hic disp. 3. art. 1. §. *Ad vltimam respondetur.* *Ioannes à S. Th.*

8 Concludo ergo, sufficientes, & satis claras esse explicationes voluntarij traditas num. 1. Quia vero in Theologiâ Scholasticâ, & Morali præcipua ratio habetur volũtarij causalis; de alijs autem quatenus ad ipsum conducunt, id circo loquendo de volũtario causali, quod nunc potissimum ad nos spectat, dicere poteris, Voluntarium esse, quod ex modo procedendi à voluntate sic se habet, vt per hoc non stet quominus agenti cognoscitiuo imputetur ad laudem, vel vituperiũ. Quomodo autem actiones necessariæ, necnon actiones aliquæ brutorum possint; aut non possint esse voluntariæ, aut spontaneæ dicemus in seqq.

CAP. II.

Expenduntur diffinitiones Aristot. & D. Thomæ.

9 QVanuis mihi proposita sufficerent pro expositione naturæ voluntarij; tamen obseruantia debita parentibus Philosophiæ, & Theologiæ non patiuntur preterire diffinitiones ipsorum, quæ in omnium ore versantur. Aristoteles 3. Ethicor. cap. 1. sic diffinit: *Voluntarium est, cuius principiũ est in ipso agente cognoscente singula, in quibus est actus.* Præterea D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 1. in corp. & art. 2. in corp. dixit, *Voluntarium esse, quod est à principio intrinseco cum cognitione finis.* Explicantur diffinitiones istæ. *Primò*: principium voluntarij est *in* ipso agente, vt dicebat Arist. vel, quod idem est, vt aiebat D. Thom. voluntarium est à principio intrinseco. Hoc autem in eo stat, vt id, quod ab aliquo volũtariè existit, proueniat ab internâ ipsius inclinatione ad illud exequendum. Sicut enim, vt passum violentèr patiatur aliquid, necesse est, vt contra suam internam inclinationem illud patiatur; similitèr, vt agens operetur aliquid voluntariè, necesse est, vt ex internâ inclinatione ad illud, se circa ipsum exerceat. Cœterùm, quamuis hoc requiratur ad voluntarium; nõ tamen sufficit; quippè lapidem deorsum ferri ad centrum prouenit ex internâ lapidis inclinatione; non tamen est voluntarium lapidi; sed purè naturale. Quod igitur ad voluntarium requiritur ex Arist. vltra processionem ab internâ inclinatione operantis,

Aristot. *D. Thom.*

tis, est *cognoscere singula, in quibus est actus*; at iuxta D. Tho *cognoscere finem*. Id quod explicatur sic.

10 D. Thomas cognitionem assignat requisitam, vt actus procedat substantialitèr voluntariè. At Aristoteles assignat cognitionem, quæ requiritur, vt actus procedat voluntariè, prout omnibus suis circumstantijs subest. D. Thomam sic expono: Nam eatenus agens operatur voluntariè substantialiter aliquem actum, vel actionem, quatenus eam actionē exequitur, quia bona apparet: hoc autem est illam exequi per cognitionem finis. Nam vel talis actio apparet bona propter se ipsam; vel proptèr vtilitatem ad aliud bonum? Si primum, cū rem esse bonam propter se ipsam sit esse bonam per modum finis, sit prædictam apparentiam esse cognitionem finis: Si secūdum, cum eo ipso quod aliquid appareat, vt vtile ad aliud, innotescat hoc aliud tanquam finis, fit etiam dari tunc notitiam finis: & consequenter omne voluntarium procedit ex notitiâ finis. ¶ Aristotelem sic explico ex communi mente aliorum. Nam cum eatenus præstet aliquis voluntariè actionem aliquam, quatenus eam exercet sciens, & volens: consequens est, vt sub eâ ratione, sub quâ illam ignorantèr exercet, exerceat illam non-voluntariè. Quapropter, vt actio voluntariè imputabilitèr procedat ab operante, non solùm secundùm substantiam, & ea, quæ sunt in ipsâ principaliora; sed etiam secundùm accidentia, & ea, quæ sunt ipsi accessoria, necesse est, vt detur præscientia illiûs, non solùm substantialitèr acceptæ; sed etiam illiûs, prout hîc, & nunc subest singulis, quæ ipsi accedunt. Commune exemplum est in illo, qui occidit eum hominem, qui aliàs est pater ipsius: si enim citra scientiam paternitatis occidit, est homicida; non parricida; si verò cum scientiâ paternitatis, est homicida, & parricida.

11 Oppones primò. Ipsæ volitiones actuales sunt propriissimè voluntariæ. At, sæpè saltèm, procedunt ab operante, neque ab ipso volitæ, neque cognitæ; sed sic præcisè, vt obiectum illarum præcognitum ametur per ipsas: ergo vniuersalitèr loquendo notitia, quæ requiritur ad voluntarium, non est notitia terminata ad substantiam actionis voluntariæ, si hæc sit substantialitèr voluntaria; & ad substantiam, & accidentia, si sit voluntaria substantialiter, & accidentalitèr. Vera mihi responsio est (alijs aliud respondere placebit.) volitiones actuales procedentes à voluntate posse accipi, vel tanquā

voluntarias præcisè in genere formæ; vel etiam tanquam voluntarias in genere effectûs ex modo procedendi à voluntate imputabilis ad laudem, & vituperium, si non stet per libertatem, &c. Vt sint proprissimé voluntariæ in primo genere, nō est opus, vt ab operante procedant sciente, & volente ipsas; sed sat est esse formas constituentes ipsum in ratione volentis. Vt autē in posteriori genere voluntariæ sint, opus est, vt procedant ab operante sciente, & volente ipsas, vt constabit ex dicendis de libero. Quia vero Arist. & D. Th. non agebant de voluntario sistente præcisè in genere formæ; sed posito in genere effectus prædicto modo imputabilis, nisi stet per libertatem, &c. ideo loquendo de cognitione requisitâ ad huiusmodi voluntarium rectè assignatur cognitio illiûs, quod voluntarium est.

12 Opponitur secundò contra diffinitionem D. Th. Assensus euidens conclusionis, non quidem liberè procedens ex imperio voluntatis; sed necessariò procedens ab intellectû determinato per euidentiam veritatis applicatæ per præmissas euidentes, non est voluntarius; sed purè naturalis, vt concors est omnium mens. At in primis est à principio intrinseco, nempè ab intellectû, qui non minus est principium intrinsecum intelligenti, quàm voluntas principium intrinsecum volenti. Deinde procedit cum cognitione, quippè oritur à notitijs, quæ dicuntur præmissæ formales: ergo malè diffinitur voluntarium: *quod procedit à principio intrinseco cum cognitione.* Si dicas primò: assensum conclusionis non procedere ex notitiâ ipsius assensûs conclusionis; sed ex notitiâ obiectorum, ad quæ terminantur præmissæ. Contra est. Nam vtentes hâc solutione, maximè P. Vazq, censent, volitionem actualē *Vazq.* citra processionem ex notitiâ ipsiûs volitionis esse proprissimè voluntariam: ergo assensus conclusionis non satis excluditur à ratione voluntarij per hoc quod non procedat ex notitia sui ipsius.

13 Si dicas secundò cum eodem P. Vazq. P. Suar. & *Vazq.* explicatius cum P. Obiedo, volitionem actualem, & cogni- *Suar.* tionem dirigentem ad ipsam habere idem obiectum, non so- *Obiedo.* lùm identitate reali, & materiali; sed etiam identitate formali; at assensum conclusionis, & assensus præmissarum habere obiecta distincta saltem formalitèr, quia præmissarum assensus habent pro obiecto vnionem extremitatum cum medio; assen-

sus

INDEX.

DISPVT. XV.

Quomodo causæ liberæ se determinent ad suos actus?

DISPVT. XVI.

Quatenus possit facultas libera se determinare difformiter cum vniformitate principiorum?

DISPVT. XVII.

De dependentia actuum liberorum à constitutiuis libertatis.

DISP. XVIII. *An sint possibiles actus creati extrinsecè liberi?*


DISPVT. XIX.

An sint possibiles actus creati intrinsecè, & essentialiter liberi?

DISPVT. XX.

Quomodo conueniat libertas actibus voluntatis de facto existentibus?

TRAC.



TRACTATVS
DE
ACTIBVS
HVMANIS
IN GENERE.



AVTORES, qui Mag. Sent. exponunt, non plura de actibus humanis nobis tradidère. Nonnulla tamen extant in 2. distinct. 24. 25. & 28. vbi ipsius interpretes, præsertim Scotus, & asseclæ nõ pauca docent. Latè tamen hac de re S. Thom. 1. 2. quæst. 6. vsque ad 17. inclusiuè, vbi copiosè satis ipsius expositores. Maxima huius tractatus vtilitas, & necessitas ad totam Philosophiam, Theologiam Moralem, & Scholasticam, ex ipsius disputationibus patebit. Porrò autem, solenne Autoribus est, actus hominis volũtarios, & liberos cũ *Actibus Humanis* confundere. Nã actus homini conuenientes dicuntur bifariam ipsiûs proprij. *Primò* proprietate cõueniẽtiæ, quatenꝰ ipsi soli cõueniũt, vt *ridere*, &c. *Secũdò* proprietate dominij, quatenùs in eius voluntate, ac libertate electiuâ cõstituti sunt, vt actus meritorij, ac demeritorij. Actus hominis proprij, proprietate dominij ac libertatis, dicuntur humani ad distinctionem illorum, qui sunt hominis proprij proprietate conuenientiæ: hi enim non tàm dicuntur actus humani, quàm actus hominis: I
de quo videte D. Tho. 1. 2. quæst. 1. art. 1. Noster igitur tractatus maximè dirigitur ad actus liberos: & quia isti nequeunt satis exponi citra indagationem voluntarij, & inuoluntarij, idcircò priùs discutiemus, quæ huc pertinent.

DISPVTATIO PRIMA.

Explicatur voluntarium.

EXistentia voluntarij certa est de fide, vt constat ex illo Psalm. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*, & ex pluribus alijs testimonijs. Certa etiam est ex lumine naturæ, quandoquidem clarissimè cernimus, & experimento veluti tangimus, plura nos velle, & quia volumus facere, in quo stat ratio voluntarij, cuius naturam diligentèr iam expendimus.

CAP. I.

Quid sit voluntarium?

1 TRiplicitèr voluntarium accipi queit: *Obiectiuè: Formalitèr, & Causalitèr.* Voluntariũ *obiectiuè* est obiectum volitum per actum voluntatis. Voluntarium formalitèr est ipse actus, ipsa forma, per quam creatura rationalis constituitur volens. Voluntarium *causalitèr* est, id quod procedit à voluntate determinante existentiam ipsius per eius amorem. *Dices primò*. Cur ad voluntarium causalitèr acceptũ non sufficiet procedere à voluntate? *Resp.* Quia nunc sermo non est de illo voluntario, quod potest dici vtcunque voluntarium causalitèr; sed de illo, quod, quãtum est ex modo, quo procedit à voluntate, sortitur, quod satis est, vt imputetur operanti ad laudem, vel vituperium, si alia non desint: nempè libertas, motiuum honestum, & præceptum. Ad eiusmodi autèm imputationem non sufficit procedere vtcunque à voluntate, tametsi se exercente per volitionem: si enim ex tuâ volitione, te inscio, proueniant cognitio experimentalis ipsius, species, & habitus ex ipsâ geniti, hæc sanè omnia procedunt à tuâ voluntate se exercente per volitionem, & tamen non habent ex modo procedendi à voluntate, quòd ex capite isto necesse est, vt sint voluntaria causalitèr imputatiuè: scilicet, quia prædicti effectus non ita proueniunt à voluntate, vt per illorum amorem voluntas determinet ipsorum existentiam. Rectè igitur exposcimus conditionem hanc ad voluntarium

cau-

causalitèr acceptum imputabile operanti, de quo voluntario præsens sermo est.

2 *Dices secundò*. Volitiones ipsæ actuales, quæ à nobis procedunt, sunt voluntariæ, non solùm formalitèr per modum actus; sed etiam causalitèr per modum effectûs; & quidem imputabilitèr ex modo procedendi, quippe quæ procedũt à voluntate modo sufficiente, vt ipsi imputentur ad laudem, vel vituperium, si alia non obsint præter modum procedendi à voluntate. At, iuxta communiorem opinionem, de qua infra, necesse non est, quòd prædictæ volitiones sint volitæ, ad hoc vt à nobis procedant, nosque volentes constituant: ergo ad volũtarium, etiam causalitèr dictum, & imputabilitèr ex modo procedendi, non est opus, vt à voluntate proueniat amante ipsum, & per talem amorem, determinante ipsiûs existẽtiã.

¶ Resp. Ex dicendis infra de naturâ liberi constabit, ad voluntarium causalitèr, & imputabilitèr dictum necesse esse, vt existat à voluntate, non solum causante; sed etiam amante ipsum, & eo amore determinante existentiam ipsiûs. Quamobrẽ si quando actuales volitiones à nobis procedãt, quin ita amẽtur, tunc erunt voluntariæ formalitèr; scilicet per modum actûs constituentis nos formalitèr volentes; non tamen causalitèr, & imputatiuè ex modo procedendi. Patebit hoc citato loco, & cap. 7.

3 *Dices tertiò*. Voluntarium indirectum est voluntarium causaliter, & imputabilitèr dictum. At non procedit à voluntate ipsum amante, &c: ergo talis conditio non requiritur ad voluntarium causaliter, & imputabilitèr dictum. Consequentia patet: præmissæ autem ex eo constant: quia si quis velit se inebriare benè sciens inde sequendum, quòd hominem occidat; non tamen volens eam occisionem; sed præcisè ebrietatẽ, voluntaria illi est occisio causalitèr, & imputabiliter: & tamen occisio non procedit ab ipso illam amante. Resp. Mihi videtur sic dicẽdum. (cauendum tamen est dissidium vocale) Actio indirectè voluntaria, tametsi voluntaria sit modo sufficiente ad imputationem ad peccatum, quia sicut iure cẽsetur homicida, dignusque vt puniatur tanquam homicida, qui hominem occidit decernendo occidere; ita etiam, qui hominem occidit decernens se inebriare, præsciensquè ebrietatem causaturam esse homicidium; ea tamen actio indirecte volũtaria, non est voluntaria causaliter formaliter; sed causaliter virtualiter,

liter, & æquiualenter. Non quidem causaliter formaliter, quia non causatur à voluntate per volitionem, quâ ipsa ametur; sed aliud cum ipsa connexum. Et tamen actio, quæ dicitur indirecte voluntaria, v.g. occisio in casu posito, est voluntaria causaliter æquiualentèr. Nam, vt rationabiliter imputatur ad peccatum exercita ab homine decernente ipsam; ita etiam exercita ab homine decernente ebrietatem connexam cum ipsâ, præuidenteque connexionem.

4 Sed contra. *Dices quartò.* Quod non solum æquiualenter; sed proprie, & formaliter est peccatum, est etiam non solùm æquiualenter; sed propriè, ac formaliter voluntariũ: quia peccatum est quędam species voluntarij; & nõ datur proprie, ac formaliter species, vbi non datur proprie, ac formaliter genus. At prædicta occisio indirecte voluntaria est peccatũ proprie, & formaliter, & non solùm æquiualenter. Nam alioqùin homo in proposito casu non peccaret simpliciter peccato homicidij; sed se gereret ac si peccaret: ergo talis occisio est formaliter, & non solum æquiualenter voluntaria causaliter. *Resp.* Neganda est maior. Ad probationẽ dicatur, peccatum esse quandam speciem, vel quasi speciẽ voluntarij causalis præscindentis à voluntario causali, vel formali; vel virtuali. Nã eo ipso, quód actio aliàs materialitèr mala, potésque hîc, & nunc euitari, sit vel formalitèr à voluntate determinata per amorẽ, quo in se ipsa ametur, vel virtualitèr per amorem, quo decernatur aliud præuisum, vt connexũ cũ eâ actione, iam eâ actione, prout sic determinatâ à voluntate, constituitur homo rationabilitèr dignus indignatione auersiuâ Dei, proindéque peccator. Vnde, quia vbi propriè, & formalitèr est species, ibi propriè, ac formalitèr est gen⁹, consequens est, vt vbi propriè, & formalitèr est peccatũ, quod est quædã quasi species volũtarij præscindẽtis à formali, & virtuali, ibi sit formalitèr ratio volũtarij sic præscindentis: ad quod sufficit ibi esse rationẽ voluntarij virtualis, vt reuera est in volũtario indirecto. Sic de ratione formaliter causatiui caloris non est esse formalitèr calidũ; sed vel formalitèr; vel eminentèr. Sic in sententiâ admittentiũ purã omissionẽ peccaminosam, ea est propriè peccatũ; nõ tamẽ propriè depẽdẽs à volũtate; sed impropriè, ac permissiuè, quia de ratione peccati propriè sumpti, non est depẽdẽtia propria, & positiua à voluntate; sed vel propria, & positiua; vel impropria, & permissiua. Sic demũ, in ipso casu argumenti

gumenti illa occisio indirectè voluntaria est directê peccatũ; quia directè prohibita est, vt exercenda voluntariè, siue directè; siue indirectè; & tamen non est directe voluntaria: scilicet quia de ratione peccati, directè talis, tantùm est, quod attinet ad rationem voluntarij, esse voluntarium directè, vel indirectè.

5 *Dices quintò* hunc terminum: *velle*; & hunc terminum: *voluntarium* esse æquè obscuros, ac proindè ineptè vnum explicari per alium. *Resp.* Ineptè alius per alium explicaretur, nisi iam aliundè supponeretur benè notus ille, qui sumitur ad explicandum alium. Frequenter enim oportet in explicationibus rerum plura iam præexplicata supponere, ne omnia vbique molestissimè permisceantur. Hinc in præsenti rationem *voluntarij* explicamus; rationem autem amoris, volitionis, aut appetitionis explicatam supponimus ex alio loco, vbi diximus appetitionem esse *prosecutionem intrinsecam cognoscitiui in id, quod bonum apparet, quia bonũ apparet*: & in his terminis tandem est tanquam in notioribus sistendum, cum certum sit in explicationibus rerum non esse abeundũ in infinitũ.

6 Rogabis pro vberioris rei præsentis expositione: quænam sint voluntaria per actum prosecutionis, id est, volitionis, & amoris: & quænam per actum fugæ, id est, nolitionis, & odij? Pro primâ parte respondeo. *Primò*. Per actum volitionis est voluntarium obiectiue quicquid eo actû constituitur volitum. Quia volitum, & obiectiuè voluntarium sunt prorsus idem. *Secundò*: per actum volitionis ipsa volitio est voluntaria formaliter. Quia voluntarium formaliter nihil aliud est, quàm forma, per quam cognoscitiuum redditur *volens*; & per quam obiectum redditur *volitum*. At ipsa volitio est per se ipsam forma, per quam cognoscitiuum redditur *volens*; & per quam obiectum redditur volitum: ergo per se ipsam est volũtaria formalitèr. *Tertiò* per actum volitionis est voluntaria causaliter directe actio externa, quæ, per talem volitionẽ efficacitèr decreta, redditur determinata ad existendum: & prętereà per actum volitionis est voluntaria causalitèr indirectè illa actio, cum quâ connectitur aliud positum, & statutum efficacitèr à voluntate, connexione tali præuisâ: quia in primo stat actionem externam constitui per volitionem directè voluntariam causaliter operanti, & in secundo stat constitui voluntariam causalitèr indirectè. *Quartò*. Quando ipsa vol itio

procedens à voluntate, per se ipsam redditur volita, decreta, & ad existentiam determinata, vt contingere dicam in sequẽtibus quoties immediatè, & formalitèr libere procedit, tunc ipsa simul cum processione sui à voluntate constituet se ipsam voluntariam causaliter. Quia à se ipsa simul cum sui processione à voluntate sortietur prouenire à voluntate per amorem ipsius determinantem ipsam ad existendum, in quo stat esse voluntariam causalitèr. De hoc tamen loc. cit.

7 Pro secundâ parte respondeo, dicendum esse ferè oppositum proportionalitèr in actibus fugæ. Nam: *Primò* per actũ odij, & nolitionis non est obiectiuè voluntarium; sed potius obiectiuè noluntarium(vt sic loquar)quod eo actû constituitur nolitum. Eodem enim iure, quo voluntarium obiectiuè, & volitum in idem recidunt; in idem etiam recident noluntarium obiectiuè, & nolitum. *Secundò*, per actum nolitionis ipsa nolitio est noluntaria formalitèr; quia per se ipsam est forma, per quam cognoscitiuum redditur *nolens*, & obiectum redditur *nolitum*; quemadmodum volitio per se ipsam est forma, per quam cognoscitiuum redditur *volens*, & obiectum redditur *volitum*: ergo sicut ob hanc rationem volitio per se ipsam est voluntaria per modum formæ; sic ob illam rationem nolitio per se ipsam erit noluntaria per modum formæ. *Tertiò*. Actio externa causata ab homine; ipsi tamen nolenti cõtingens, constituetur per talem nolitionem exercita noluntariè, vel, quod idem est, inuoluntariè positiuè. Vt enim ea actio externa voluntariè exercetur, quæ fit voluntate ipsam amante, ac determinante; sic illa exercetur inuoluntariè positiuè, quæ fit voluntate resistente. *Quartò*, si sumatur affectus fugæ præcisè vt fugæ, nempè omnino prǽscindendo ab eo quòd sit prosecutio, certè talis affectus, etiam in consortio procedendi à voluntate, non se constituet voluntarium causalitèr. Nam vt se constitueret voluntarium causalitèr, oporteret se constituere *volitum*: nihil autẽm cõstituit *volitum* sumptus omnino præcisim à ratione volitionis, & prosecutionis. Aliud erit, si affectus voluntatis fugientis ab obiecto directo, sit simul amor sui, vt ego existimo de affectibus fugæ immediatè liberis: tunc enim se constituet simul cum processione sui à voluntate voluntarium causalitèr, vt in simili dicebam de volitionibus in fine numeri præced. Hæc de actibus fugæ veriora videntur, quàm ea, quæ tradunt hîc Gregorius Martinez, & Ioannes à

Martinez.

S. Thomæ ille art. 1. dub. 1. § *Ad tertiam respondetur*: hic disp. 3. art. 1. §. *Ad vltimam respondetur.* *Ioannes à S. Th.*

8 Concludo ergo, sufficientes, & satis claras esse explicationes voluntarij traditas num. 1. Quia vero in Theologiâ Scholasticâ, & Morali præcipua ratio habetur volũtarij causalis; de alijs autem quatenus ad ipsum conducunt, idcirco loquendo de volũtario causali, quod nunc potissimum ad nos spectat, dicere poteris, Voluntarium esse, quod ex modo procedendi à voluntate sic se habet, vt per hoc non stet quominus agenti cognoscitiuo imputetur ad laudem, vel vituperiũ. Quomodo autem actiones necessariæ, necnon actiones aliquæ brutorum possint; aut non possint esse voluntariæ, aut spontaneæ dicemus in seqq.

CAP. II.

Expenduntur diffinitiones Aristot. & D. Thomæ.

9 Quamuis mihi proposita sufficerent pro expositione naturæ voluntarij; tamen obseruantia debita parentibus Philosophiæ, & Theologiæ non patiuntur prȩterire diffinitiones ipsorum, quæ in omnium ore versantur. Aristoteles 3. Ethicor. cap. 1. sic diffinit: *Voluntarium est, cuius principiũ est in ipso agente cognoscente singula, in quibus est actus*. Præterea D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 1. in corp. & art. 2. in corp. dixit, *Voluntarium esse, quod est à principio intrinseco cum cognitione finis*. Explicantur diffinitiones istæ. *Primò*: principium voluntarij est *in* ipso agente, vt dicebat Arist. vel, quod idem est, vt aiebat D. Thom. voluntarium est à principio intrinseco. Hoc autem in eo stat, vt id, quod ab aliquo volũtariè existit, proueniat ab internâ ipsius inclinatione ad illud exequendum. Sicut enim, vt passum violentèr patiatur aliquid, necesse est, vt contra suam internam inclinationem illud patiatur; similitèr, vt agens operetur aliquid voluntariè, necesse est, vt ex internâ inclinatione ad illud, se circa ipsum exerceat. Cœterùm, quamuis hoc requiratur ad voluntarium; nõ tamen sufficit; quippè lapidem deorsum ferri ad centrum prouenit ex internâ lapidis inclinatione; non tamen est voluntarium lapidi; sed purè naturale. Quod igitur ad voluntarium requiritur ex Arist. vltra processionem ab internâ inclinatione operan-

Aristot. D. Thom.

voluntarias præcisè in genere formæ; vel etiam tanquam voluntarias in genere effectûs ex modo procedendi à voluntate imputabilis ad laudem, & vituperium, si non stet per libertatem, &c. Vt sint proprisimé voluntariæ in primo genere, nó est opus, vt ab operante procedant sciente, & volente ipsas; sed sat est esse formas constituentes ipsum in ratione volentis. Vt autẽ in posteriori genere voluntariæ sint, opus est, vt procedant ab operante sciente, & volente ipsas, vt constabit ex dicendis de libero. Quia vero Arist. & D. Th. non agebant de voluntario sistente præcisè in genere formæ; sed posito in genere effectus prædicto modo imputabilis, nisi stet per libertatem, &c. ideo loquendo de cognitione requisitâ ad huiusmodi voluntarium rectè asignatur cognitio illiûs, quod voluntarium est.

12 Opponitur secundò contra diffinitionem D. Th. Assensus euidens conclusionis, non quidem liberè procedens ex imperio voluntatis; sed necessariò procedens ab intellectû determinato per euidentiam veritatis applicatæ per præmissas euidentes, non est voluntarius; sed purè naturalis, vt concors est omnium mens. At in primis est à principio intrinseco, nempè ab intellectû, qui non minus est principium intrinsecum intelligenti, quàm voluntas principium intrinsecum volenti. Deinde procedit cum cognitione, quippè oritur à notitijs, quæ dicuntur præmissæ formales: ergo malè diffinitur voluntarium: *quod procedit à principio intrinseco cum cognitione.* Si dicas primò: assensum conclusionis non procedere ex notitiâ ipsius assensûs conclusionis; sed ex notitiâ obiectorum, ad quæ terminantur præmissæ. Contra est. Nam vtentes hâc solutione, maximè P. Vazq, censent, volitionem actualẽ citra procesionem ex notitiâ ipsiûs volitionis esse proprisimè voluntariam: ergo assensus conclusionis non satis excluditur à ratione voluntarij per hoc quod non procedat ex notitia sui ipsius. *Vazq.*

13 Si dicas secundò cum eodem P. Vazq. P. Suar. & explicatius cum P. Obiedo, volitionem actualem, & cognitionem dirigentem ad ipsam habere idem obiectum, non solùm identitate reali, & materiali; sed etiam identitate formali; at assensum conclusionis, & assensus præmissarum habere obiecta distincta saltem formalitèr, quia præmissarum assensus habent pro obiecto vnionem extremitatum cum medio; assen- *Vazq. Suar. Obiedo.*

sus

sus autem conclusionis vnionem extremitatum inter se: Contra est. Nam, vt bene notant Auersa, Arriaga, Valdelus, & alij: sicut cognitio obiecti, vt boni, dirigens ad amorem eius obiecti; & eius obiecti amor habent obiectum idem formalitèr; ita apprehensio obiecti, vt veri, præuia ad assensum præstitum ei veritati; & hic ipse assensus habent obiectum idem formalitèr: & præterea in sensitiuis sensatio coloris exercita per sensum externum, & sensatio eiusdem coloris exercita per sensum internum, & excitata per sensationem externam; habent obiectum idem formaliter (vel si hoc sit falsum, non poterit explicari, qui sit verum cognitionem, & amorem habere obiectum idem formalitèr) tamen neque iudicium ortum ex apprehensione, neque sensatio interna procedens ab externa sortiuntur rationem voluntarij: ergo procedere à principio intrinseco cum cognitione eiusdem obiecti formalitèr non est sufficiens constitutiuum voluntarij,

Auersa. *Arriag.* *Valdel.*

Obiedo. 14 Si dicas propterea tertiò id, quod tetigit P. Obiedo, nempè voluntarium esse, quod cum cognitione procedit ab eo principio intrinseco, quod vniuersalitèr ad omnem suam operationem postulat duci ex præuia cognitione: & hoc modo se habet voluntas; non autem intellectus, cuius prima cognitio non est ex aliâ cognitione præuiâ: hoc etiam difficile est. Tum quia clarius, & absque ambagibus dici posset, voluntarium esse, quod cum cognitione procedit à voluntate. Tum quia habitus amandi ortus ex amore procedit cum cognitione obiecti, quod amatur; ac præterea procedit medio amore à voluntate, quæ per te est principium intrinsecum postulans cognitionem præuiam ad omnem suam operationem; & tamē eiusmodi habitus non procedit voluntariè. Neque sufficit dicere, habitum procedere à volūtate sine cognitione ipsius habitus: quia, iuxta hos authores, actualis amor à volūtate procedit voluntariè; tametsi procedat absque cognitione ipsius amoris: ergo procedit habitus voluntariè, tametsi procedat absque cognitione ipsiûs habitûs. Tum quia, iuxta probabilissimam plurium opinionem, quos P. Obiedo sequitur, intellectus, & voluntas sunt realitèr eadem facultas, & consequentèr omnes operationes intellectûs, etiam illæ, quæ fiunt absq; præuiâ cognitione, procedunt à voluntate: ergo procedere à voluntate non est procedere à principio intrinseco, quod præuiam postulat notitiam ad *omnem* suam operationem. Quod si

res-

respondeas, voluntatem, formalitèr vt volũtatem, petere præuiam notitiam ad omnem operationem sui ipsius, quatenus est formaliter voluntas: Cõtra sic infero: ergo non est opus ad voluntarium procedere à principio intrinseco, quod postulet præuiam notitiam ad omnem operationem, quam exercet; sed ad omnem, quam sub aliquâ ratione exercet, nempè sub ratione voluntatis. Nunc sic: ergo actus, qui procedunt ab intellectû sub ratione discurrentis ad vnum actum ex alio præuio, & sub ratione iudicantis veritatem ex apprehensione præuiâ non bene excluduntur ex prædicto capite à ratione voluntarij. Nam intellectus petit præuiam notitiam ad omnes operationes, quas exercet acceptus sub prædictis rationibus.

15 Si dicas quartò id, quod frequenter dicunt Thomistæ, nempè voluntarium procedere à principio intrinseco ex cognitione finis, vt finis: aut ex cognitione boni, vt boni: conclusio autèm procedens à principio intrinseco ex notitiâ præmissarum; iudiciumque procedens à principio intrinseco ex apprehensione ueritatis iudicatæ vtuntur ex cognitione veri, vt veri; non autem boni, vt boni: hæc sane solutio videtur constare verbis non afferentibus rem, quæ satisfaciat. Nam possunt varij fieri discursus, iudiciaq; formari circa finem sub formalitate finis, & circa bonum sub formalitate boni, At in hoc euentu prædictæ conclusiones, & iudicia, tametsi nõ elicita voluntariè, versantur circa finem, vt finem: circa bonum, vt bonum: ergo non sufficit hæc solutio, nisi vberiori luce donetur. Deinde huc facit, quod num. 14. dicebatur de habitû procedente à voluntate per amorem, ac proindè per cognitionem boni, vt boni; non tamen procedente voluntariè. Confirmatur hoc ex P. Arriaga. Iudicium dirigens ad actum voluntatis procedit ex apprehensione finis sub formalitate finis: & tamen non procedit voluntariè: ergo non sufficit ad voluntarium procedere à principio intrinseco ex cognitione finis sub formalitate finis. Maior probatur. Quia iudicium dirigens ad actum volũtatis est iudiciũ de fine sub formalitate finis, ideoque volitio procedens ex eo iudicio procedit ex cognitione finis, vt finis. At iudicium procedit ex apprehensione attingente apprehẽsiuè obiectum sub eâ formalitate sub quâ attingitur iudicatiuè per iudicium: ergo prædictum iudicium procedit ex apprehensione finis sub formalitate finis. *Arriag.*

16 Ego sanè pro reuerentiâ debitâ Præceptori Angelico

lico

lico sic declaro verba illa: *cum cognitione finis*. Cognitio finis, vt finis; siue boni, vt boni (quod nunc in idem recidit) stat dupliciter, *speculatiuè*, & *practice*. Primum est cognoscere bonum sub expresione boni. Secundum est cognoscere bonũ per cognitionem mouentem ad ponendum ipsum per amorem ipsiûs, quia per talem notitiam bonum apparet. Ad voluntariũ causale non sufficit procedere ex cognitione finis vt finis *speculatiuè*, vt benè probant superiora; sufficit tamèn procedere ex cognitione finis, vt finis practicè: quod enim sic procedit à voluntate, vt voluntas causet ipsum per amorem ipsius, quia bonum apparet, absq; dubio voluntarium est causalitèr. Hinc. *Primò* conclusio, & iudiciũ, quæ procedunt vel ex præmissis, vel ex apprehensione speculatiuis finis, vt finis, nõ ideo satis habent, vt voluntariè procedant. *Secundò*. Neque habitus amandi ex actibus amoris procedens satis inde habet, vt sit voluntarius, quia non procedit ex voluntate vt ipsum amãte, quia ipsum apparet bonum. *Tertiò*, hæc ratio voluntarij nõ complectitur voluntarium indirectum: hoc enim non procedit à voluntate, prout amante ipsum quia bonum apparet; sed prout amante aliud, quod præuidetur connexũ cum ipso. Nec mirum est ita tradi voluntarij diffinitionem, vt non complectatur voluntarium indirectũ: hoc enim non est causaliter voluntarium formalitèr; sed æquiualẽtèr, vt dicebam cap. 1. diffinitiones autem ita traduntur, vt solum ea complectantur, in quibus est formalitèr definitum.

17 *Quartò*. Iuxta hanc explicationem non est voluntaria in genere causali ipsa actualis volitio, nisi à volũtate procedat vt volita: quod verum esse videbimus cap. 3. *Demum*. Hęc diffinitio coincidit cum eâ, per quam num. 1. exposuimus voluntarium causale, nempè: *Quod procedit à voluntate determinante existentiam ipsius per eius amorem*. Hęc autem diffinitio hâc nostrâ tempestate forsan videbitur clarior. At tempore D. Th. forsan erant ęque clari termini illi: *quod est à principio intrinseco cum cognitione finis*. Crebro nanque contingit, vt tẽporis decursu diuersimodè voces sonent, & obscure nunc significent, quod antea significabant clarè. ¶ Obserua definitionem D. Th. & diffinitionem Arist. substantialiter coincidere. Nam per illa verba diffinitionis Aristotelicæ, *cognoscente singula in quibus est actus* significatur cognitio finis, quippè vnum ex illis singulis est finis. Dixi *substantialitèr*, quia, vt nota-

notabam num. 10. Aristoteles assignauit cognitionem requisitam, vt actus sit voluntarius, prout substernitur omnibus suis circumstantijs. At D. Th. assignauit cognitionem requisitã, vt actus sit voluntarius substantialitèr.

CAP. III.

An de ratione voluntarij sit esse volitum?

18 NOn est dubium de voluntario obiectiuo, quippè quod in eo consistit, vt sit volitum; sed de voluntario formali; ac de voluntario causali. Voluntarium autem causale duplex est. Aliud elicitum, & aliud imperatum: & hoc rursus subdiuiditur in imperatum directè, & formalitèr; & in imperatum indirectè, & virtualitèr. Voluntarium elicitũ dicuntur ipsi voluntatis actus immediatè procedentes à voluntate. Voluntarium imperatum, dicuntur actiones facultatum subditarum voluntatis imperio, quæ per voluntatis impetium determinantur ad existendum, vt motus progressiuus, qui determinatur ad existendum ex eo quod voluntas ipsum velit. Tales autem actiones dicuntur imperatiuè directè voluntariæ, quãdo determinantur ad existendum per amorem, quo verè, propriè, ac formalitèr amantur in se ipsis. Indirectè autem, quãdo determinantur ad existendum per amorem alterius, quod præuisum fuit cum ipsis connexum. Hinc, voluntarium directum imperatum certum est esse ex sua ratione volitum. Certum etiam est de ratione voluntarij indirecti non esse, quòd formaliter sit volitum; sed tantùm virtualitèr, quatenus ex eo quòd voluntas suo imperio determinet ad existentiam aliud connexum cum ipso, connexione præuisâ, procedit à voluntate modo sufficiente, vt imputetur ad laudem, vel vituperiũ, ac si reuerà volitum esset formalitèr: vt imputetur, inquam, si aliunde non desit libertas, & motiua, quæ ad imputationem requiruntur.

19 Quamobrem, tota difficultas reuocatur ad expendendum, an vt voluntariæ sint ipsæ volitiones, quæ immediatè eliciuntur à voluntate necesse sit esse volitas? Negant P. Vaz. *hic disp. 23. cap. 2.* P. Gasp. Hurt. *disp. 1. diff. 1.* P. Obiedo *controu. 1. punct. 1. num. 14.* P. Tanner. *disp. 2. q. 1. dub. 2. num. 25.* P. Valdelus *lib. 1. disp. 2. num. 2.* P. Arriag. *disp. 8.* *Vazq.*

sect.

Amic. sect. 2. num. 11. P. Amicus *disput. 3. sect. 1. num. 7.* Cornexo
Cornexo *disp. 1. dub. 2.* Ioannes à S. Th. *disp. 3. art. 1. §. In vero.* Auer-
Ioann. à S. Tho. sa *sect. 2. §. In contrarium* fine. Franciscus Fœlix *cap. 1. diff. 1. num. 8* quamuis enim hic author concedat actus voluntatis
Auers. esse *virtualiter* volitos, non tamen exigere videtur, quòd, vt sint voluntarij causaliter, sint formaliter voliti. Propterea, pro hac sententiâ adduxi P. Amicum, quamuis loco cit. dicat, actû voluntatis posse dici *volitum tantùm virtualiter, & exercitè.* ¶ Requiri tamen ipsas volitiones esse formaliter volitas, vt sint voluntariæ causaliter, affirmant P. Suar. *1. 2. disp. 1. de Voluntario sect. 1.* Fateor hunc Doct. iam volitionem appellare volitionem virtualem sui, iam virtualiter reflectentem supra se, neq; satis clarè explicare, an per se ipsam sit propriè, ac formaliter volita, quamuis virtualiter duntaxat sit supra se ipsam reflectens ex defectû distinctionis ipsius à se ipsâ: quemadmodum per amorem, quo Deus amat se ipsum, ipse amor constituitur verissimè, ac proprissimè amatus, tametsi virtualiter duntaxat supra se reflectens, quia ibi non est verè repetitio amorum, quorum alter supra alterum cadat. Suspicor hunc esse sensum Doctoris Eximij, vt videtur satis deprehendi ex.
Suarez. lib. 6. de Trinitate cap. 4. à num. 7. ad quem locum ipse se remittit. Citatur pro hac sententiâ Dominicus Montagnolius
Monta. (quem videre non potui) *in defensionibus Theologiæ Thomisticæ circa quæst. 6. 1. 2.* Fauent ingeniosi Recent. putãtes omnem voluntatis affectum esse per se ipsum verè, ac propriè volitum. Nec parum fauere videtur Caiet. *1. 2. q. 9. art. 4. circa finem*, quatenus censet, primum actum voluntatis non esse voluntarium: *quia non est à voluntate, vt applicante se ad volendum; sed naturalis.*

20 Pro explicatione nostræ sententiæ. Assero primò: Vt volitiones actuales sint voluntariæ non solùm per modum formarum; sed causaliter directè, necesse est, vt sint volitę propriè, ac formaliter. Probatio mihi est. *Primò.* Quia tametsi volitiones actuales procedentes à voluntate distinguantur ab alijs effectibus voluntarijs in genere voluntarij formalis, quatenus volitiones sunt formæ, quibus constituimur in ratione volentium; non tamen est cur distinguantur ab alijs effectibus voluntarijs in genere voluntarij causalis. At, vt alij effectus sint voluntarij causaliter directè, non sufficit procedere à voluntate; sed opus est procedere cum cognitione ipsorum dirigente

gente

gente ad eorum positionem, & per amorem illorum determinantem ad ipsorum existentiam, vt constat ex superioribus: ergo vt actuales volitiones sint voluntariæ causaliter directè, necesse est procedere à voluntate per amorem ipsarum determinantem ad earum existentiam. *Secundò* probatur; explicatâ eâdem ratione. Volitio procedens à voluntate est voluntaria in duplici genere; nempè in genere formali, quia est forma, quę nós constituit volentes; & in genere causali. Vel ergo, ad hoc vt sit voluntaria in genere causali requiritur, quòd procedat à voluntate, vt determinante ad existendum ipsam volitionem per amorem ipsius volitionis; vel non? Si primum: habemus intentum. Si secundum: ergo habitus amandi genitus ex actibus amandi, quanuis non procedat à voluntate per amorem ipsiûs habitus, vt actiones exteriores procedunt per amorem ipsarum; tamen procedet voluntariè causaliter: sicut volitiones procedunt voluntariè causaliter, tametsi non procedant per amorem ipsarum: non tamen tales habitus erunt voluntarij in genere formali, sicut volitiones, quia istæ; non illi, sunt formæ constituentes nos volentes.

21. *Tertiò*: Iuxta opinionem probabilissimam, & mihi veram, si volitio non procederet à volitiuo, & tamen ipsum informaret constitueret ipsum in ratione volentis, & consequenter esset voluntaria in genere formali, quanuis non in genere causali: ergo quanuis procedat à voluntate, si tamē non procedat per amorem ipsiûs determinantem ipsam ad existendum non erit directè voluntaria in genere causali. Probatur consequentia. Ad reliqua voluntaria directa in genere causali requiruntur duo. Primùm, procedere à voluntate. Secundùm procedere viâ amoris ipsorum determinantis illa ad existentiam. At, si primum desit volitionibus, ipsæ non euadunt directè voluntariæ in genere causali: ergo similiter non euadent sic voluntariæ si desit ipsis secundum. Et quidem, assertio non videtur satis consona communi apprehensioni. Nulli enim reputatur voluntarium causaliter nisi, quod facit sciens, & volens, nempè sciendo quam operationem exercet; & volendo ipsam exercere. Nullus ergò suas efficiet volitiones voluntariè causaliter, nisi ipsas sciendo, & ipsas exercere volendo.

22. Locutus sum in assertione de volitionibus prout voluntarijs *directè* in genere causali. Nam, vt in hoc genere sint *indirectè* voluntariæ, non est opus esse propriè, ac formali-

ter

tèr volitàs. Sicut enim volenti efficacitèr ebrietatem, eamque præuidenti connexam cum homicidio, quod nō sequi vellet, est homicidium indirectè voluntarium; non tamē propriè, ac formaliter volitum; ita volenti efficaciter legere libros obscœnos, eamque lectionem præuidenti connexam cum cōsensû turpi, quem vellet non sequi, talis consensus erit indirectè voluntarius; tametsi non sit propriè, ac formaliter volitus. ¶ Ex his fit primò, iunctis his, quæ dicemus in secundâ assertione, posse contingere non solùm primam volitionem, vt putauit Caietanus citatus *num.* 19. fine; sed etiam secundam ex priori ortam non esse voluntariam in genere causali; sed solùm in genere formali. Ad quod suppono ex postea dicendis, non esse de ratione volitionis esse propriè, ac formaliter volitam *vt quod*; sed tantum *vt quo*, nempè formam, per quam aliquid constituitur *volens*, & aliquid constituitur *volitum*. Hoc posito ratio illationis est. Quia potest quis primò habere simplicem complacentiam circa bonitatem finis, quin propriè, ac formaliter amet talem complacentiam. Deinde, potest necessitari à Deo, vt ex hâc complacentia procedat ad desiderium eius finis, quin propriè, & formaliter amet tale desiderium (loquor de desiderio necessario, nam iuxta dicenda in sequentibus desiderium liberum eo ipso quòd sit liberum est volitum.) At, in hoc euentû neque prior complacentia, neque posterius desiderium sunt voluntaria in genere causali; sed præcisè in genere formali, vt constat ex nostrâ assertione: ergo potest id contingere, quod diximus in illatione. Fit secundò, posse contingere primam volitionem non solùm esse voluntariam in genere formali; sed etiam in genere causali. Quia non implicat primam volitionem sic procedere à volitiuo, vt volitiuum per illam velit, non solùm obiectum directum; sed etiam ipsam volitionem, de quo plura in seqq. vbi de libertate. Tunc autem nihil deest, vt prima volitio non solùm sit voluntaria in genere formali; sed etiam in genere causali.

23 Obijcies ex Caiet. sup. rationem, quam sic intelligo. Sumamus priorem actum voluntatis, aliumque posteriorem procedentem ex illo. V.g. primam complacentiam simplicem circa bonitatem sanitatis, & eiusdem sanitatis intentionem procedentem ex eâ complacentiâ. Tunc sic. Hoc discrimen versatur inter posteriorem actum procedētem ex primo, & inter primum ex nullo alio præuio procedentem, quòd poste-

Posterior non solùm est à voluntate eliciente ipsum: sed ab illâ se applicante per priorē actū ad positionē posterioris;at verò prior est à voluntate solū vt ipsum eliciente;nō vt se ipsam applicante ad ipsum. Nā voluntatē se applicare ad aliquē actū, est per actū præuiū se ipsam mouere ad positionē posterioris. At,actus,ad quē voluntas non applicat se ipsam , qui præcisè oritur ex inclinatione ad bonū , quā naturæ autor indidit voluntati,nō est volūtarius;sed naturalis : quēadmodum,motus deorsum procedens à grauitate, quam autor naturæ dedit lapidi,non est voluntarius;sed naturalis : ergo prima volitio nō est voluntaria,sed naturalis.

24 In hoc discursu Caietani vnū mihi placet ; duo tamen displicent. Placet,nō esse voluntariū in genere causali actum illū voluntatis , ad quē voluntas se habet præcisè vt eliciens; sed oportere,vt ad illū se habeat tanquā se ipsam ad illū applicans volendo ipsum,vt iam probauimus. *Primò* tamen displicet,ad hanc applicationē, necessariū esse actum aliū præcedētem ad illū,ad quē se applicat. Nō enim implicat eodem actu velle obiectū, & velle hanc ipsam volitionē , de quo dicemus loco cit. Vndè,vt dicebamus n.22.prima volitio potest esse nō purè,ac putè naturalis; sed voluntaria, quia potest esse nō purè elicita;sed etiā per se ipsam volita. Secundò displicet , satis esse ad hoc vt intentio finis euadat volūtaria causalitèr, quòd procedat à voluntate per cōplacentiam finis allicientē ad intentionē:nam,vt ea intentio euadat voluntaria causalitèr necesse est,vt ipsa euadat volita per amorē determinantē ipsiùs existentiā,vt probatū est. Constabit autem loco cit.quî possit idem actus esse se determinans , & per se ipsum determinatus.

25 Contra præcipuā assertionē obijcies.Omnis volitio procedens liberè à voluntate est voluntaria causalitèr. At potest volitio procedere liberè à voluntate quin sit volita : ergo potest esse voluntaria causalitèr,quin sit volita. Maior,& consequentia patent. Minor probatur. Potest volitio esse peccatum,quin sit volita. Nam eo ipso,quòd velis furari potens eam volitionem omittere , tametsi non velis eam ipsam volitionē, talis volitio est peccatum. At volitio,quæ peccatum est,procedit liberè à voluntate: ergo potest volitio procedere liberè à voluntate,quin sit volita. Resp. Negatur minor. Ad probationem nego volitionem posse esse peccatū,quin sit volita. Ad probationē in cōtrariū dicatur,ex his,quæ dicemus in sequē-

tibus vbi de actu libero, contradictionē implicare volitionem exercere cum libertate ad eius positionē, & omisſionē; & tamen illam exercere non volendo ipſam. Cuius ratio videbitur ibi, ſicut etiam ſolutio aliarum obiectionum, quæ contra hanc aſſertionem fieri poſſent.

CAP. IIII.

Non eſt neceſſe omnem volitionem eſſe volitam.

26 HÆc ſit ſententiæ noſtræ poſterior aſſertio. Probatur primò. Poteſt intellectus aliquod obiectū, v. g. ſuauiſsimum cibum, repræſentare vt delectabile, interimque nihil cogitare de volitione circa cibum. At, tunc poterit voluntas amare tale obiectum; non autem ipſum amorem: ergo neceſſe non eſt omnem volitionē eſſe volitā. De maiore, & conſequētiā dubitari non poteſt. Prior pars minoris patet: quia ſicut intellectû cognoſcente delectabilem eſſe cibum, & amorem cibi eſſe bonum poteſt voluntas, & cibum, & amorē cibi amare; ita intellectû cognoſcente cibum eſſe delectabilem, poterit voluntas cibum ſaltèm amare. Poſterior pars probatur. Sicut enim, quia nihil volitum, quin præcognitum, nequit voluntas obiectum amare nihil intellectû cogitante de obiecto; ita non poterit amare amorem, nihil intellectû cogitante de amore. ¶ Dicunt Recent. docti, amorē ſe amare implicitè, & in actu exercito; non explicitè, & in actu ſignato. Tametſi autèm neceſſe ſit cognoſcere amorē ad amandū ipſum explicitè, & ſignatè; non tamèn ad amandum implicitè, & exercitè. Porrò, iuxta reſpondentes, amorem ſe amare implicitè, & exercitè non eſt præcisè eſſe exercitiū amandi obiectum: ſicut eſſe exercitium odio habendi peccatum, non ſufficit, vt odium peccati ſit odiū ſui implicitè, & exercitè. Quocirca, amorem ſe amare exercitè, & implicitè eſt verè, proprièque ſe amare, quamuis non ductû cognitionis æquè principalitèr, ac directè mouētis ad amandum amorem, & amandum obiectū directū. Hinc refutatur ſolutio. Amor, per quem directè, & principalitèr amatur obiectum poſtulat obiecti cognitionem mouentem directè, & principalitèr ad amorem obiecti: ergo amor, per quem verè, & propriè, minus tamen directè, minuſque principaliter amatur amor, ſaltem expoſcet cognitionē amoris, cuius cognitionis motiua vis minus principaliter, minuſq; directè tendat ad hoc, vt ametur amor, quā vt ametur obiectū. Et quidē

im-

imperceptibile videtur verè quid amari, & hoc accidere connaturalissimè quin id cognoscatur.

27 *Secundò* suadetur nostra conclusio. Necesse nõ est potentias materiales cognoscitiuas, eo ipso quòd percipiant obiecta sua, etiã percipere eas ipsas perceptiones. Quis enim dicat bruta quando vident, nõ solùm videre colorẽ, & lucẽ; sed etiã suas visiones? Ergo similiter necesse nõ erit, appetitũ materialẽ, eo ipso quòd appetat suũ obiectũ, appetere etiã ipsam appetitionem: ergo cum de ratione appetitionis nõ sit esse appetitam, frustra dicetur de ratione volitionis esse, quòd sit volita. Confirmatur hæc ratio. Quando bruta cognoscunt obiecta sensibilia non cognoscunt se illa cognoscere: ergo neque quando appetunt appetent se appetere, & cõsequenter nõ erit de ratione appetitionis esse appetitã; proindeque neque de ratione volitionis appetitûs rationalis esse volitã. Antecedens probatur. Si enim quando bruta cognoscunt, cognoscerent experimentaliter cognitionẽ, certè non illam attingerent quasi in abstracto, & quasi ab ipsis auulsam; sed in cõcreto, nẽpè experiendo se cognoscere: hoc enim videtur connaturalius, & irrationabiliter negaretur, concesso primo. At, implicat bruta cognoscere se ipsa cognoscere. Nam alioqui saltem imperfectè cognoscerent suam substantiam, proindeque possent diuinitus eleuari, vt eam clarissimè intuerẽtur, sicut; quia nos imperfectè saltem cognoscimus connaturaliter Deum, eleuari possumus, vt diuinam substantiam clarissimè intueamur. Videtur autem paradoxon id brutis concedere.

28 *Tertiò* suadetur. Possunt esse actus fugæ in volũtate rationali, quin necesse sit voluntatẽ versari circa ipsos siue prosecutiue, siue auersiue: ergo poterunt esse actus prosecutionis, quin necesse sit voluntatẽ versari circa ipsos siue prosecutiuè, siue auersiuè. Conseq. tenet ab idẽtitate rationis. Antec. probatur, primo quatenꝰ asserit necesse nõ esse auersiuè versari circa actus fugæ. Nã quando quis detestatur peccatũ, nõ odit talem detestationẽ; sed frequenter maximè amat. Probatur rursus idẽ antecedens, quatenus asserit necesse non esse prosecutiuè versari circa actus fugæ. *Primò*, quia incredibile est damnatos summâ occupati tristitiâ, quâ peracerbe dolent suã damnationẽ, hanc ipsã tristitiã amare, quã omni ope depellere vellent: & quidẽ amor ipsius tristitiæ nõ parũ minueret rationem pœnæ. *Secundò*. Quia sępe homines tã anxie cõcutiuntur affec-

tibus timoris propter malum imminens, & tristitiæ propter malum præsens, vt nihil non tentent, vt propter molestiā, quā afferunt, eos affectus excutiant. Quis autem credat, cum hoc stare eos affectus concipere volendo ipsis affici?

29 Obijcies primò. Omnis affectus elicitus à volūtate procedit ab ipsâ volūtarie: ergo procedit ab ipsâ volente ipsum. Antec. videtur cōmunis omniū sensus. Conseq. probatur. Tū, quia secū pugnare vidētur, quòd aliquid procedat à nobis voluntarie; & tamen minime nobis id volentibus. Tū, quia volūtarium est sponte factū: non autē sponte fit à nobis nisi, quod fit pro libito nostro, fieriq; pro libito nostro, & fieri nobis volentibus quòd fiat, in idē recidunt. Tum, quia volitio ex ratione procedentis voluntarie excludit odiū efficax sui. At, huius ratio nulla esset nisi ex eâ ratione importaret essevolitā, vt facile cōstabit rē cōsideranti: ergo volitio ex ratione procedētis voluntarie importat esse volitā. Maior, quæ solā videtur difficilis, probatur. Volitio ex ratione procedētis voluntarie excludit esse simpliciter innoluntariā. At esset simpliciter inuolūtaria, si non solùm inefficaciter; sed etiā per detestationē efficacem odio haberetur: ergo ex ratione procedentis voluntariè excludit odium efficax sui.

30 Resp. Omnis affectus *prosecutionis* elicitus à volūtate est voluntarius in genere voluntarij formalis. Nā ad hoc sufficit subiectū cōstituere *volens*, & obiectū *volitū*; non tamē necesse est, omnē affectū elicitū à voluntate esse completè voluntarium in genere voluntarij causalis, ad quod requiritur esse volitū, iuxta dicta cap. præced. satis autem constat ex dictis veritas solutionis. Vnde ad primā probationē dicatur. Pugnant quidē inter se, quòd aliquid procedat à nobis voluntarie in genere voluntarij causalis cōpleti, & quod procedat eo minime volito à nobis, vt diximus cap. 3. Bene autē stat, aliquam volitionē procedētē, à nobis ideo nō esse cōplete voluntariā in genere volūtarij causalis, quia nō procedit à nobis volita; esse tamen cōpletè voluntariā in genere formali, quia nos *volētes*; & obiectū *volitū* constituit. Ad secundā probationē dicatur. Voluntariū purè formale, cuiusmodi est volitio nō volita, non est spōtaneū eâ strictâ, & rigorosâ spōtaneitate, quæ in eo cōsistit, vt fiat nobis ipsū volētibus pro libito nostro; sed aliâ laxiori, quæ in eo stat, vt aliud per eam volitionē reddatur volitum, vbi cauere oportet inanem quæstiunculam de voce.

11 Ad tertiam probationem dicatur similitèr. Quando volitio procedit completè voluntariè in genere causali excludit odium efficax sui; secus quando sic procedit, vt euadat voluntaria in genere formali præcisè. Ratio prioris petenda est ex cap. 3. Nam ad hoc vt volitio sit cōpletè voluntaria in genere causali requiritur, quòd voluntas nō solùm causet ipsam; sed etiā per amorē ipsius determinet ipsam ad existendū: cum hoc autem non cōponitur detestari efficaciter eandem. Ratio posterioris est, quia nulla videtur esse implicatio contradictionis in eo, vt à Deo determinemur, & necessitemur ad volendū aliquod obiectum, & quòd simul ita nolimus ipsum amorē, vt si constitutum esset in nostrâ potestate ipsum impedire, citra dubiū impediremus: in his autē circumstātijs talis amor esset voluntarius in genere formali, quia nos redderet volentes, & obiectū redderet volitū; & aliunde non excluderet nolitionem efficacē sui. Vnde, si in hoc præcisè consistat amorē esse simpliciter inuoluntariū, non repugnabit aliquis amor necessarius inuoluntarius simpliciter. An verò in alio sensu repugnet amorem esse simpliciter inuolūtarium; & an omnino repugnet esse violentum; definiemus disp. 5. & 6. Obserua, nos consultò diximus n. 10. *initio*; omnem affectum *prosecutionis* elicitū à voluntate esse volūtariū in genere voluntarij formalis. Nam alia est ratio de affectibus, qui præcisè sint fugæ, vt constat ex n. 7.

12 Obijcies secundò ex Recentioribus ingeniosis. Omnis cognitio reddit se ipsam cognitā: igitur omnis volitio reddit se ipsam volitā. Consecutio tenere videtur à paritate rationis. Antecedens probatur multiplicitèr. *Primò*. Nā omnis cognitio se ipsam notificat: licèt nō clarè, & expresse quoad *quid est*; saltē quoad *an est*: sicut enim lux materialis manifestans colores non eget aliâ luce, vt ipsa fiat manifesta; ita cognitio, quæ reddit cognitū obiectū directū, nō eget aliâ cognitione, vt ipsa reddatur cognita. Prætermissis disparitatibus, quæ possent excogitari, verius est negare antecedēs. Benè enim potest cognitio latere cognoscentē, maximè purè sensitiuā, & materialē, quāuis visis coloribus non possit non videri lux, per quā illustrantur, quia non est aliud eos videre, quàm eos videre luce perfusos: & sicut, iuxta arguentes, cognitio quidditatiua obiecti repræsentat obiectū quoad *quid est*; se autē tantū quoad *an est*; ita dicimus, posse dari cognitionē repræsentantē obiectum quoad *an est*; se autē nullo modo. Quod si quando cognoscens,

præsertim spirituale cognoscit, notissimũ ipsi est cognoscere; ideo (non semper, sæpè tamẽ) id contingit, quia ipsa cognitio, quam sibi præsentissimam habet, concurrit per modum obiecti ad sui cognitionem reflexam; si neque cognoscens ad alia distractus vires suas cognoscitiuas exhauriat, nec aliunde impeditur attentio. Vnde, secunda cognitio per aliam tertiam innotescet, & hæc per aliam, donec ita multiplicentur, vt nequeat animus in eã multitudine cognitionum occupari. Nam, vt vulgò ex veritate dicitur: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Quare, tot esse possint, quæ menti obuersentur, vt attentio, & sensus ad alia deficiant.

33. *Secundò* probant antecedens negatũ. Implicat me cognoscere obiectũ, & simul iudicare me nõ cognoscere illud. Nã, transactã cognitione, sic mihi constat cognouisse, vt id negare nequeã: ergo à fortiori, præsente cognitione, sic mihi constat cognoscere, vt id negare non possim. At, illud tantùm negare nequeo, quod affirmo: ergo quando cognosco obiectũ affirmo me illud cognoscere. Taceo nõ vrgere argumentũ in cognoscentibus materialibus. Deinde, loquens de spiritualibus aio, cõtradictionẽ implicare, vt inuiolatis rerũ exigentijs cognoscentia prædicta cognoscant obiectũ, & neget se illud cognoscere. At, quia ex nuper dictis patet, posse totã attẽdẽdi virtutẽ in perceptione aliorũ obiectorũ impendere, nequit ex eo talis implicatio prouenire, quòd necessariò recordetur cognitionũ præteritarũ, & experiatur præsẽtes. Igitur mihi ratio est. Quia cognitio obiecti tã est cognoscẽti præsens, & adeò in promptu ad extorquendũ experimẽtũ suæ existẽtiæ, vt solũ euitari possit tale experimẽtũ, si rerũ exigentiæ seruẽtur, per distractionẽ ad alia, defectũq; attẽtionis ad cognitionẽ ipsam. Quo fit implicare, vt seruatis rerũ exigẽtijs cognoscens neget se cognoscere. Id enim negaret, & nõ negaret. *Negaret*, quia sic ponitur. *Non negaret*, quia eo ipso, quòd negat cognitionẽ, quã habet, iam ad illã attendit, atq; ad ipsã attẽdendo negare illã nõ potest stando rerum exigentijs (quicquid sit an cõtra illas possit Deus intellectũ determinare ad negandũ.) Hinc, cognoscens est determinatum quoad specificationẽ, vt aiunt, ad assentiendum existentiæ suæ cognitionis; non tamen quoad exercitium.

34. *Tertiò* probant idẽ antecedens. Dum aliquã veritatem cognoscimus, certè, si interrogemur, tã propensi sumus, vt affirmemus cognouisse, quã vt directè reddamus rationem de tali

veri-

Veritate: sicut ergo colligitur ex hac memoria talẽ nos veritatẽ cognouisse, quia memoria nõ est nisi præcognitorũ; ita ex simili memoria colligetur, quod nos ipsos, vt cognoscẽtes prænouerimus. Resp. facilè ex dictis, verũ esse antecedens plerũque loquẽdo: cuius tamẽ veritas nõ prouenit ex eo quòd de ratione cognitionis sit se ipsam cognoscere; sed quia cognoscens experitur, vel per ipsam cognitionem directam obiecti; vel per aliam distinctam, se cognoscere, nisi defectus attentionis, nimiaque distractio ad alia talem experientiam remoueant, quam plerunque non remouent.

35 *Quartò* tandẽ probant idem antec. Omnis cognitio, præsertim enũtiatiua cõsignificat tẽpus; hoc est, declarat cognoscenti eius obiectũ esse actu præsens, præteritũ, aut futurũ: ergo cognitio hæc: *Petrus currit* (idem de alijs) vel expressè; vel cõfusè supra se reflectit, ac dicit: *Petrus currit in instanti mihi coexistẽte*: nisi enim id addat, nihil de præsentiâ, & actualitate cerũ discernetur, manebitq; cognoscẽti obscurum; sit ne cursus Petri in hoc *nunc* indistãte; an in alio distãte. Neque ad præsentialitatẽ discernendã sat erit si dicã, Petrũ currere determinatè in hoc nunc *A*. Nam adhuc ignotũ erit detur ne tale *nunc* proximè; & indistantèr; an remotè; ac distãtèr. Oportet ergo cognitionẽ discernentẽ præsentialitatẽ, eam habere naturã, vt dicat: *In hoc nunc, in quo sum, seu in instãti mihi coexistente*: cognoscit ergo cognitio se ipsam. ¶ Resp. Falsum est antec. Nõ enim implicat cognitio enuntiatiua, quæ nõ consignificet tẽpus, id est, quæ suapte naturâ nõ suadeat obiectũ, siue vt præteritũ, siue vt præsens, siue vt futurũ ipsi cognoscẽti: cur enim contradictionẽ implicet sic me iudicare, Petrum currere pro instanti *A*, vt tale iudiciũ suapte naturâ præscindat ab eo, quòd tale instans vel sit mihi præteritum, vel præsens, vel futurũ? Vnde, tale iudiciũ erit coniunctio intentionalis cursûs Petri cũ instanti *A*. nihil suadẽdo de præteritione, præsentiâ, vel futuritione huius cõplexi: *Petrũ currere pro instanti A*. De cætero mihi maximè placet, enuntiationes de præsenti, præterito, & futuro reflectere supra cognoscentẽ, ipsiusq; cognoscẽtis durationẽ; suadẽdo scilicet obiectũ indistãtèr, & proximè se habere cũ duratione, quã cognoscẽs percipit experimẽtalitèr in se ipso; vel suadẽdo obiectũ, vel à parte ante, vel à parte post distantèr, ac remotè se habere in ordine ad durationẽ cognoscẽtis, vt docui *tract. de Sciẽ. Dei disp.* 16. c. 2

CAP. V.

Quarundam quæstionum responsio.

36 Voluntariũ causalitèr procedit ex propriâ suâ ratione per volitioné, & cognitionem ; scilicèt ab sciente, & volente. Quæritur ergo primò. Num sciẽtia requisita ad volũtarium debeat esse antecedens, vel sufficiat comitans, aut consequens? *Primò*. Non sufficit scientia purè cõsequens. Quia sciẽtia purè consequens est illa, quæ supponit actionem causatam. Huiusmodi autem scientia non sufficit: quia requiritur scientia, ex vi cuius actio (si libertas non deficiat) possit agẽti imputari ad laudem, vel vituperium. Patet autem ex ipsis terminis insufficientem ad hoc esse notitiam, quæ aduenit post exercitam actionem. *Secundò*. Ad voluntarium causale directum requiritur, *plerumque saltèm loquendo* scientia antecedens. Quia scientia antecedens est scientia causans. At sciẽtia, quæ requiritur ad actionem causalitèr directè voluntariã plerumque est scientia talem actionem causans: est enim scientia, quæ proponendo actionem, vt bonam, mouet voluntatem, vt eam actionem amando, determinet ipsam ad existendũ. Dixi: *plerumque saltem loquendo*, vt nunc abstineam à possibilitate volitionis procedentis à voluntate creatâ, simmulque secum identificãtis velle se ipsam, & cognoscere se ipsam, vt bonam, sicut volitio necessaria Dei secum identificat volitionem sui, & cognitionem dirigentem ad existentiam ipsiûs, de quo fusè egimus disp. 4. & 5. de Voluntate Dei.

37 *Tertiò*. Ad voluntarium causale indirectum non est necesse, vt omnis cognitio, vi cuius est volũtarium, antecedat positiuè ad ipsum. Ratio est, quia datur cognitio, quę requiritur ad hoc vt voluntarium indirectum euadat voluntarium, quæ tamen ipsum non causat, neque ad eius existentiam deseruit, tametsi potens sit ipsiûs impeditioné causare. Declaratur. Incumbit Petrus lectioni librorum, vbi de rebus obscœnis elegantèr, & acutè tractatur. Duplici tunc notitiâ instruitur, altera, per quam cognoscit iucunditatem, quam affert autoris acumen, & elequantia: eaque cognitio allicit ad lectionem, altera per quam cognoscit inde fore, vt in turpes motus consentiat: & quia ipse vellet legere citra periculum eius consensûs, profectò talis cognitio potius à lectione reuocat, quàm ad illã vocet. In hoc sanè euentu, si Petrus eos libros legat, nõ obstãte notitiâ de turpi cõsensũ futuro, per hanc notitiam redditur

indi-

indirectè voluntarius talis consensus. At hæc notitia, tametsi possit esse causa, vt Petrus non legat eos libros, & sic impediat prauum consensum, qui sequitur ex lectione: non tamen ea notitia causat lectionem, vel consensum ex eâ prouenientem, neque deseruit ad eius existentiam, à quâ potius reuocat in actu primo: ergo datur cognitio, quæ requiritur adhoc vt voluntarium indirectum euadat indirectè voluntarium, quæ tamen positiuè non antecedit ad ipsum præcedētiâ causalitatis. Innumera alia exempla cuique suppetent.

38 Quæritur secundò. An id quod voluntarium est, sit voluntarium intrinsecè per prædicata secum identificata; an per aliquid ab ipso distinctum? Resp. *Primò*. Omnis actus volendi est essentialiter voluntarius *in actu primo* in genere formali. Quia omnis volitio est essentialitèr forma potens constituere naturam rationalem in ratione volentis: hoc autem, & nihil aliud est esse voluntarium essentialiter in actu primo in genere formali. *Secundò*. Non omnis actus volendi est essentialiter voluntarius *in actu secundo* in genere formali. Nam esse sic voluntarium stat in eo, quod naturam cognoscitiuam actualitèr, & in exercitio constituat volentem. Non autem id habet essentialiter omnis actus volēdi. Tum, quia possibilis est actus volendi, qui non informet per se ipsum essentialiter naturam cognoscitiuam; sed per informationem superadditā, sine quâ possit existere de potentiâ absolutâ. Tuncautem dabitur tota essentia eius actus; & tamen naturam cognoscitiuam non constituet actualiter, & in exercitio volentem. Tum, quia, vt in sequentibus attingam ex lib. de Anima, potest volitio informare naturam cognoscitiuam non cognoscentem actualitèr obiectum, & in eo euentû talis volitio non constituet eam naturam volentem actualiter, eo quod ad hunc effectum requiratur ex parte naturæ instructam esse cognitione obiecti amādi. ¶ Dixi: *Non omnis, &c.* Est enim aliquis actus volendi essentialiter voluntarius in actu secundo in genere formali. Tum, quia talis est amor diuinus, quo Deus se amat, qui nullâ potestate queit non constituere Deum se amantem actualissimè. Tum, quia non repugnat aliquam volitionem se ipsâ esse affixam essentialiter non solum naturæ cognoscitiuæ secundū se spectatæ; sed etiam ipsi vt actualiter cognoscenti obiectum talis volitionis.

39 *Tertiò*. Non omnis volitio est essentialiter voluntaria in

in genere causali; quia esse sic voluntariam est tanquam volitam, & præcognitam procedere à voluntate. At, vt patet ex cap. 4. non est omni volitioni essentiale sic procedere; imò, meâ opinione, possumus velle per volitionem à nobis nó procedentem, & à solo Deo infusam: ergo, &c. Dixi: *Non omnis, &c.* Non enim inuenietur contradictio in aliquo voluntatis actû, qui essentialitèr habeat tum à voluntate procedere vt cognoscente ipsum actum; tum etiam voluntatem constituere volentem obiectum, & simul ipsum actum. *Quartò.* Non omnes actiones, quæ procedunt ab alijs potentijs per imperium voluntatis sunt essentialitèr voluntariæ in genere causali: v. g. actus fidei imperatus per pium voluntatis affectum; motus progressiuus exercitus per imperium voluntatis. Hi enim actus sunt voluntarij in genere causali, quatenus ita existunt, vt per imperium voluntatis determinentur ad existēdum: hoc autem non est illis essentiale: posset enim Deus, eo imperio secluso, facere, vt à prædictis potentijs exercerentur. Dixi: *Non omnes, &c.* Quia non inuenietur cōtradictio in actû fidei v. g. ex suâ speciali essentiâ depēdente omninò essentialitèr à voluntate, vt ipsum imperante.

40 Quæritur tertiò. An brutis conueniat voluntarium? Resp. *Primò.* Conuenit illis voluntarium formale. Quia competunt ipsis appetitiones ex sensitiuâ cognitione prouenientes, quæ sunt formæ constituentes bruta in ratione appetentium, & obiecta in ratione appetitorum. *Secundò.* Competunt actiones ipsis voluntariæ in genere causali. Nam, quando motu progressiuo tendunt ad oblatum cibum determinant eum motum per appetitionem eius. Non tamen crediderim, bestias esse reflexiuas supra suos actus internos, vnde ipsarū appetitiones non procedunt ab ipsis tanquam appetitæ ab ipsis, & consequentèr; neque voluntariæ in genere causali. Si dicas, non competere voluntarium, quibus non competit voluntas; ea verò non competit brutis. quia voluntas teste Arist. lib. 1. Rhetor. cap. 10. *Est appetitus boni cum ratione*: bestiæ autem non ducuntur ratione; sed sensû. Respondeo, vt plerique benè obseruant: quamuis voluntarium deriuetur à voluntate; sæpè tamen deriuatiua latius significant, quam primitiua. Sic, vt benè P. Arriaga *disp. 8 num* 8. aurifaber dicitur à solo auro, & æqualitèr significat argenti fabrum. Qui pulchra, & ingeniosa de voluntario brutorum legere velit adeat P. Sfortia

Arist. Arriag. Sfortia.

Palla-

Pallauicinum 1.2.*disp*.3.*q*.1.*art*.3. & *disp*.2.*q*.1.*art*.2. P. Valdellum *tom*.1.*Theol. Moral.lib*.1.*disp*.4. *Valdel.*

41 Ex dictis hactenus circa naturam voluntarij fit *primò*. Cum ad voluntarium causale requiratur, vt eius existētia determinetur per volitionem agentis, non erit alicui causalitèr voluntaria, & peccaminosa illa actio ad quā, sine determinatione, & influxû propriæ voluntatis, membra ipsius applicantur ab alio, idque quamuis ipsi placeat talis actio. Quamobrē notat optimè P. Præpositus 1.2.*quæst*.6.*art*.1. *dub. vnic*.§. *Ex dictis sequitur*, non incurri censuram: excommunicationem, &c. appositam ei actui. Excommunicatur v.g. percussor Clerici; Ioannes applicat manum Petri ad percutiendū Franciscum Clericum. Petrus suâ voluntate non influens, non determinans eam percussionem, quæ alioquin ipsi placet, nō excommunicatur. Fertur enim censura in eum solum, qui humano, voluntarioque influxû determinat eam percussionem. Idque diligentèr pro similibus casibus obseruandum est. ¶ *Fit secundò*, volitionem necessariam, quâ Deus se amat, non esse voluntariam causalitèr: quia est actus purissimus à se ipso existens, & neque ab ipso Deo tanquam à causâ procedens. Est tamen perfectissimè voluntaria in genere formali, quia est perfectissimus actus Dei constituens ipsum per identitatem perfectissimam in ratione volentis, & voliti. *P. Præpositus.*

42 *Tertiò* fit, si vera sunt quæ diximus tract. de Voluntate Dei disp.17.cap.13.num.23.in corollario 14. actus liberi Dei non solùm sunt voluntarij Deo in genere formali; sed quodāmodò secundumquid, ac diminutè in genere causali, quia non solùm sunt actus volendi, & voliti; sed etiam ab essentiâ diuina procedentes morali processione secundumquid tali. Qui voluerit hoc intelligere videat ibi dicta. *Quartò* fit, processionem passiuam Spiritus Sancti cum ipsiûs personalitate identificatam existere voluntariè, non quidem causalitèr propriè; sed originalitèr principiatiuè à Patre, & Filio. Nam, ea processio existit à Patre, & Filio, quamuis non tamquam à causâ talis processionis; bene tamen tanquam ab eius principio, producente ipsam per ipsiûs amorem determinantem eandē ad existendum. *Quintò* fit, actiones ad extra prout à Deo esse perfectissimè voluntarias causalitèr; & solùm prout ab ipso esse sic perfectissimè voluntarias. Prior pars constat, quia tales actiones procedunt à Deo vt ipsas volente, & per volitionem

nem earum determinante omnipotentiam ad ipsarum execu-tionem. Posterior pars probatur ex his quæ dixi *tract. de Præ-dest. disp. 16. cap. 1 num. 4.* vbi, ex eo quòd obiecta creata de-cernantur à Deo perfectissimè voluntariè, monstratum est in Deo requiri per se, & formalitèr cognitionem omnium possi-bilium ad decernendum quodlibet obiectum creatum. Inde, inquam, probatur posterior pars illationis. Nam, ab illo dun-taxat agente procedit actio creata voluntariè perfectissimè, à quo procedit cognoscente perfectissimè singula cum quibus potest, & non potest coexistere, cum quibus si ponatur coexi-stet, item cum quibus contingentèr coexistet, & nō coexistet, nec nō, à quibus vt præteritis distabit, à quibus vt futuris. At, à solo Deo procedit tàm amplè, & tàm exactè præcognita: ergo ab illo solo procedit perfectissimè voluntariè. Id nuper notatum inuenio apud Pallauicin. *ea disp. 3. q. 1. art. 1. fine.* P. Palla.

DISPVTATIO SECVNDA.

Diuisio voluntarij, & comparatio liberi cum necessario.

Hæc disputatio vberius illustrabit naturam voluntarij.

CAP. I.

Diuisiones voluntarij.

VOluntarium multiplicitèr dicitur. Oportet autem eam varietatem acceptionum tradere ad rectam intelligen-tiam autorum, obseruatis etiam diuersis eorundem nominum vsibus, ne dissidium in rebus ipsis appareat, quod est duntaxat in acceptione nominum. De voluntario *Formali, Obiectiuo, & Causali* diximus satis *disp. 1. n. 1.* Varias nunc acceptio-nes aperiamus voluntarij causalis, quod ad rem nostram ma-ximè pertinet. Rursus voluntarium diuiditur in *elicitum, & imperatum*, quæ iam explicuimus *ea disp. 1. num. 18.* Obser-uandum autèm est cum pluribus, si quando contingat vnum

actum

actum internum voluntatis per alium præuium amari efficacitèr, v. g. actum charitatis præamari efficacitèr ad satisfaciendum Deo pro peccatis, tunc actus charitatis sortietur rationem voluntarij eliciti, necnon imperati. Erit voluntariũ elicitum, quia voluntatis actiuitas immediatè se exercet in productione ipsiûs. Erit voluntarium imperatum, quia per amorem præuium ipsiûs determinantem ipsum ad existendum mandatur executioni.

2 Ad hæc: voluntarium aliud dicitur voluntarium *in se*, & aliud voluntarium *in causa*. Cuius diuisionis meminit D. Th. *1.2. quæst 77. art. 7. corp* Voluntarium *in se* est illud; in quod voluntas directè fertur. Voluntarium *in causa* est ille effectus, in quem voluntas non fertur directè; fertur tamen in eius causam, *vt patet in eo* (ait D. Thóm.) *qui voluntariè inebriatur: ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit.* Nota obitèr illud: *quasi voluntarium*: quibus verbis non obscurè fauet nobis Diu. Thom. quatenus diximus *disp. 1. à num. 3.* actionem præcisè in causâ voluntariam, non esse formalitèr; sed virtualitèr, & æquiualentèr voluntariam. Deinde *obserua*: voluntarium in se, & voluntarium in causâ alijs etiam terminis, iuxta frequentem Autorum vsum, significari. Nam voluntarium *in se* iam immediatum, iam expressum, iam formale dicitur; contra verò voluntarium *in causa* dici solet voluntarium mediatum, & in alio, implicitũ; ac virtuale. Nam ad voluntarium *in se* fertur voluntas immediatè, expressè, formalitèr, & propriè. At vero, non sic fertur ad voluntarium *in causa*; sed fertur *ad aliud*, ex quo sequitur, *ad aliud*, in quo continetur tanquam in virtute, & radice, ex quâ prouenit. D. Tho.

3 Rursus. Voluntarium *in se* dici solet *formale*; & voluntarium in causâ *interpretatiuum*. Quia voluntarium *in se* verè, ac propriè intenditur à voluntate. Quamuis autem non sit de ratione voluntarij *in causa*, quod à voluntate ametur; solet tamen prudentèr, & rationabilitèr conijci ab eo amari, qui causam adhibet cum eo connexam, & connexionem non ignorat: ideòque voluntarium *in causa* dici solet voluntarium interpretatiuum. De cœtero tamen, in alio sensu voluntarium diuiditur in *formale*; & *interpretatiuum*. Voluntarium formalè dicitur, quod est à voluntate per volitionem verè, propriè, ac formalitèr existentem. Interpretatiuũ, quod est præsump-

tè à voluntate per volitionem præsumptam. Porrò, vt rectè obseruant P. Obiedo *controu. 1. punct. 6. n. 92.* & P. Arriaga *disp. 8. sect. 4. num. 33. & 34.* post P. Suar. *disp. 1. sect. 4. n. 4.* bifariàm potest præsumi consensus. *Primò* prudentèr, & rationabilitèr iudicando, *quod esset*, si tales circumstantiæ proponerentur. *Secundò* prudentèr, & rationabilitèr iudicando, *quòd iam re ipsa est.* Exemplum prioris est: si debitor hîc, & nunc differat soluere creditori absenti; prudenter credens, quòd in dilationem solutionis consentiret, si circumstantiæ, quæ hîc, & nunc occurrunt proponerentur ipsi. Posterioris exemplum est. Si quis à superiore præsente, vigilante, & attendente petat facultatem accipiendi pecunias ab amico. Sanè si superior facilè potens eam facultatem negare, neque exterius eam negat, nec expressè concedit, prudentèr præsumitur iam reipsa consentire, ex cap. *Qui tacet* de regul. iuris in 6.

Obied. *Arria.* *Suarez.*

4 Id autem discriminis est in vtroque casû pro re morali. Nam quando non est fundamentum prudens ad iudicandum, *quòd consensus est*; sed, *quòd esset, si tales circumstantiæ proponerentur*, prudentèr censetur, quòd ille, qui consentiret, non est inuitus circa talem rem pro his circumstantijs; non tamen prudenter præsumitur, vt præsumitur in primo casu, quòd actualitèr, & positiuè consentit. Vnde voluntarium, quod interpretatiuum dicitur à præsumptione cõsensûs, *qui esset*, sufficit quidem ad exercendas licitè eas actiones, quæ duntaxat postulant, vt licitè exerceantur, quòd alio *non inuito* executioni mandentur, vt in priori exemplo contingit. Non tamen sufficit tale voluntarium ad exercendas licitè actiones illas, quæ ad executionem licitam exposcunt positiuum, & actualẽ consensum ex parte alteriùs. Nam ad licitam executionem istarum actionum requiritur, quòd talis consensus prudentèr iudicetur, vt iam actualiter, & positiue existẽs. Quamobrem, quia actualis licentia Episcopi requiritur ad audiendas confessiones, sanè (vt benè P. Arriag. sup.) quamuis iudicẽ, quòd si eam peterem facultatem ipse concederet; non tamen possum ex hâc solâ præsumptione confessiones audire. Si tamen ipse Episcopus esset præsens, cui ego dicerem me accedere ad confessiones audiendas, si ipse taceret, potensque facile negare facultatem non negaret, iam audire possem licite, quia circumstantiæ prædictæ fundant prudens iudicium, quòd habet Episcopus hîc, & nunc actualem, & positiuum consensum.

5 Duo

5 Duo sunt animaduertenda: *Primum* id, quod ex communi notat P. Vazquez 1.2. *disp.* 107. *cap.* 3. *num.* 7. ex quo P. Thomas Sanch. *in Decal. cap.* 16. *num.* 25. nempè, vt effectus sit voluntarius *in causa* requiri prænosci causam, vt connexam cum effectû. Ratio est, quia voluntarium huiusmod stat in eo, quòd tibi iure optimo imputetur ad laudem, vel vituperium effectus, propterea, quòd causam apposueris. At, ex hoc nomine non imputabitur tibi effectus optimo iure, si causam apposuisti ignorans coniungendã esse cum effectu. *Secũdũ* id quod notat Auersa *hic sect.* 3. §. *Quinta diuisio* fine, nempè posse accidere, vt voluntarium *in causa* sit indirectè voluntarium in genere causali; directè tamen in genere obiectiuo: Itèm, vt sit indirectè voluntarium in vtroque genere. Primum accidet casû, quo quis per viam transeat expresè intendens induci alium ad peccandum. Tunc enim hoc peccatum est illi homini indirectè voluntarium in genere causali; directe tamen in genere obiectiuo. Prioris ratio, quia physica actio eius hominis præcise tendit directe ad transeundum per hanc viã, eique physicæ actioni per accidens est, quòd sequatur inde peccatum alterius. Posterioris ratio est, quia obiectum, in quod directe intendit sinistra eius hominis intentio, est peccatum alteriûs. Secundum accidet, casu, quo ille homo propter suam commoditatem transeat per viam, præuidens quidem; sed non intendens peccatum alienum inde futurum. Tũ enim tale peccatum non erit ei homini directe voluntarium sed indirecte tàm in genere obiectiuo, quàm in causali, vt e dictis patet. Sanch. Vazq. Auers.

6 Rursus. Voluntarium diuiditur in voluntarium *directum*, & *indirectum*, satisque commune est hanc diuisionem confundere cum diuisione præcedenti de voluntatio *in se*, & *in causa*. Præbuit occasionem D. Thom. sup. quatenus voluntarium *in se* explicuit illis verbis: *Aliquid potest esse voluntarium secundum se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur.* Cœterùm, idem Præceptor Angelicus in eodem loco, immediate post explicationem voluntarij secundum se; & volũtarij secundum suam causam, explicat voluntarium directe; & voluntarium indirecte his verbis: *Secundo considerandum est, quòd aliquid dicitur volũtarium directè, vel indirectè. Directè quidem id, in quod voluntas fertur: indirectè autem illud, quod voluntas potuit prohibere, sed non prohibet.* Quapropter, D. Tho.

iuxta

iuxta D. Thomam, voluntarium directum est illud, in quod aliquo modo fertur positiuè voluntas: quia vero dupliciter potest ferri positiuè in aliquid, nempè, vel in illud secundum suum *esse* formale, vel in illud secundum suum *esse* virtuale, id est, secundum causam connexam cum illo; ideo dici potest voluntarium directum aliud esse formale; & aliud virtuale. At voluntarium purè puteque indirectum est illud, in quod nullatenus fertur positiuè voluntas; quòd tamen non remouet cũ posset. Ex quo fit, quamuis voluntarium *secundum se* sit semper voluntarium directum; at voluntarium *secundum causam, aut in causa* non est voluntarium indirectum iuxta hunc modum explicandi. Ratio prioris patet ex ipsis verbis D. Thom. quia ex illis voluntarium *secundum se, vel in se* est illud, in quod voluntas directe fertur. Deinde, voluntarium directum est illud, in quod voluntas fertur. At, voluntas fertur proculdubio in aliquid quoties in illud directe fertur: ergo quoties aliquid est voluntarium in se est voluntarium directe. Secunda pars patet. Nam ad voluntarium in causâ fertur *positiuè* voluntas virtualiter: ad voluntarium autem indirectum, vt accipitur à D. Thom. non fertur *positiuè* voluntas; sed ad ipsum se habet purè *negatiuè* tanquam ipsum non impediens, cum impedire posset: ergo in acceptione D. Thom. voluntarium in causâ nõ est voluntarium indirectum. Hæc mihi videtur legitima D. Thom. mens.

7 Prætermissis autem alijs voluntarij diuisionibus, quæ parùm ad rem nostrum faciunt, viderique possunt apud P. Obiedo supra cit. Voluntarium diuiditur tandem in necessarium, & liberum. De hac diuisione plura dicemus in sequentibus. Nunc breuiter satis sit attingere, voluntarium liberum esse illud, quid à voluntate procedit potente illud pro sua electione ponere, & non ponere. Voluntarium autem necessarium est illud voluntarium, quid sic procedit à voluntate, vt nequeat voluntas eius determinationem ponere, & euitare. Harum descriptionum rectitudo patebit inter explicandam naturam liberi. In hac verò diuisione liberum accipitur, vt contrapositum necessario; non vèrò, vt contrapositum inuoluntario, & coacto. Nam liberum accipitur bifariam: nempe, vt liberum à necessitate antecedente, per quam voluntas ita ipsum ponat, vt non habeat in suo dominio cõstitutum determinare ipsum, & nõ determinare. Secundò, vt liberum à coactione

Obied.

tione

tione, nempe, vt *incoactũ*: & hac ratione liberum est quidquid in genere causali est voluntarium: quia coactum est, quod cõtingit alicui simplicitèr illud nolenti. At, vt constat ex disp. 1. nihil nobis est voluntarium in genere causali, quod contingat nobis simpliciter nolentibus; potiùs contingit nobis simplicitèr volentibus. In hoc genere libertatis acceptæ pro *incoactione*, libertatem tribuunt processioni Spiritus Sancti, & amori, quo Deus se amat Scot. Bassol. Mairon. Rubion. Alex. S. Thom. Capreol. S. Bonauent. Argent. & Henrric. quorum memini tract. de Volunt. Dei disp. 9. num. 2. *Scotus. Bassol. Mairon. Rubion. Alex. S. Tho. Capreol. S. Bona.*

8 Quamobrem, iure optimo contra Michaelem Baium SS. Pontiff. Pius 5. Gregorius 13. sententias istas damnarunt. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fieri.* Et: *solam violentiam repugnare libertati hominis naturali.* Eandem damnationem confirmauit SS. Vrbanus 8. prohibens Augustinum Cornelij Iansenij in bulla, quæ incipit. *In eminenti.* Deinde nouissimè SS. Innocentius 10. in Bullâ editâ anno 1653. contra quinque propositiones Cornelij Iansenij Episcopi Iprẽsis sic damnat tertiam propositionem: Tertiam. *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*: hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Nitebantur Baius, & Iansenius, quibusdam D. Augustini testimonijs sinistrè intellectis pessimæ sententiæ maculam fulgentissimo Ecclesiæ sideri adscribentes. At, iam olim in idem impegerunt alij, quorum errorem conuicit efficacitèr egregius ille Augustinianus Doctor Anthẽticus Augustinianæ Doctrinæ studiosissimus Gregorius Arimin. in 1. dist. 10. art. 2. Iam vero Theoll. nostri temporis pugnarunt acriter contra Iansenium. Videte, si placet doctissimum P. Ioannem Martinez de Ripal. tom. 3. qui totus est contra Baianos, maximè disputat. 14. 15. 16. & 17. P. Dionysium Petau. Theologicorum dogmat. tom. 1. lib. 5. cap. 3. num. 9. & præcipuè tom. 3. de opificio sex dierum lib. 4. per totum, ac tandem tomo integro de libero arbitrio. Patrem Franciscum Annato præclarum nostræ Societatis ornamentum in pluribus suis planèque aureis operibus, nempè in opere cuius inscriptio est: *Augustinus à Baianis vindicatus lib. 2. cap. 6.* In opere *de incoacta libertate* per totum. *In informatione de quinque propositionibus ex Iansenij Theologia* *Argẽt. Henrr. Baius. Pius 5. Greg. 13 Inno. 10 Vrb. 8. Ipresf. August. Arim. Ripal. Petau. Annat.*

collectis, quas Episcopi Galliæ Romano Pontifici ad censuram obtulere. Item in opusculo, quod inscribitur. *Cauilli Iansenianorum contra latam in ipsos a Sede Apostolica sententiam.* Videatur etiam Antonius Ricard. de libero arbitrio contra nouum quendam dogmatistam. Vel, ablatâ nominis alieni laruâ, videatur elegantissimum opus P. Stephani Dechamps de hæresi Ianseniana ab Apostolicâ Sede meritò proscripta: opus quidem ante annos decem sub nomine Antonij Richardi inchoatum. Legantur etiam Antoninus Moraines *in suo AntiIansenio disp.* 18. & ex illustri Dominicanorum Familia (quem per breuissimum temporis spatium præ manibus habere potui) Alexander Sibille contra Vincentium Lenem. sed de his alibi plura.

Anton. Ricard. Steph. Dechã-ps. Morai. Sibille.

CAP. II.

Quodnam sit perfectius voluntarium, an liberum an necessarium?

9 IN hâc difficultate non parùm de nomine controuertitur, vt notant P. Vazquez *hic disputat.* 23. *capit.* 4. *num.* 21. & *P. Arriaga disput.* 8. *sect.* 3. *subs.* 2. *num.* 20. Quapropter, in primis aperiam, de more meo, quæ mihi certe videntur, & in quibus reipsa omnes disputantes conuenire iudico, deindeque decernam, quid in dissidio reali, si quod fuerit, sentiendum sit. Ante omnia præmittendum est, terminos istos: *Perfectum in tali genere* idem significare, ac *plenum, & completum in eo genere*, iuxta illud Aristot. lib. 5. (aliàs 4.) Metaphysic. capit. 16. *Perfectum dicitur vno quidem modo, extra quod non est vllam accipere particulam*, id est, cui, vltrà ea, quæ habet, nihil deest eius rationis, in qua perfectum dicitur. Dupliciter autem considerari aliquid potest perfectum in aliquo genere. *Primò* essentialiter. *Secundò* quantitatiuè; aut quasi quantitatiuè. Primum est, cui nihil deest ex constitutiuis necessarijs, vt in eo genere collocetur. Secundum est, cui nullus gradus deest ex illis, qui iuuant, vt maius, & maius in eo genere censeatur. V.g. odium peccati considerari potest, in genere excludendi peccatum, vel tanquam essentialiter perfectum; vel tanquam omnibus numeris absolutum, non solùm

Vazq. Arria.

Arist.

lum essentialitèr; sed etiam quantitatiuè in eo genere. Ad veritatem prioris considerationis, præcisè petitur, quod nihil illi desit ex constitutiuis necessarijs detestationis excludentis peccatum, siue plura excludat; siue vnum. Ad veritatem autem posterioris considerationis requiritur, quòd non solùm excludat læthalia certæ speciei; sed omnia; neque solum omnia læthalia, certæque speciei venialia; sed omnia prorsus læthalia, & venialia. Quo præmisso.

10 Certum est primò: Voluntarium formale in genere voluntarij formalis non crescere ex ratione libertatis, vel necessitatis. Nam forma volendi non habet, formalitèr loquendo, constituere subiectum magis volens, vel obiectum magis volitum, ex eo quòd sit voluntati necessaria, vel libera; sed ad id muneris istæ differentiæ materialiter se habent: cum igitur eatenùs crescat voluntarium formale in genere voluntarij formalis, quatenus est forma constituens subiectum magis volens, & obiectum magis volitum, planè fit ex necessitate, aut libertate non crescere formalitèr.

¶ Certum est secundò, neque crescere formalitèr voluntarium obiectiuum in genere voluntarij obiectiui ex necessitate; vel ex libertate. Quia voluntarium obiectiuum est tale, quatenus est volitum; & est magis tale, quatenus est magis volitum. At, formaliter loquendo, neque constituitur volitum ex eo quòd sit necessarium, vel liberum; sed ex eo quòd ametur; neque quia necessarium, vel liberum constituitur magis volitum; sed eo quòd magis ametur: ergo voluntarium obiectiuum non crescit formalitèr in hoc genere ex necessitate, vel libertate. Quocirca, tota controuersia deuoluitur ad voluntarium causale.

11 Porrò autem, voluntarium causale potest à voluntate *necessariò* prouenire, vel ex imperfectione aduertentiæ, aut cognitionis; vel ex perfectione aduertentiæ, & cognitionis. Primum accideret, si quis aliquam actionem subitò determinaret, ideo non potens ipsam reprimere, quia passio vehemens obtenebrat rationis lumen, aduertentiam remouens ad eas rationes, quæ ad eam actionem cohibendam mouerent; vt si vehementi concitatus ira neque appetitum; neque manum detinere possis quominùs imprimas alapam proximo: quia vehementia passionis fecit, vt ad motiua reprimendi talem actum non attenderes. Secundum accidit, si

clarè visâ infinitâ Dei bonitate, & iucunditate amandi tantum bonum; suauitèr quidem; sed necessariò eâ notitiâ traharis, vt Deum ames, & amare velis. Hoc obseruato, certum est tertiò, voluntarium causale tametsi necessarium sit, siue necessitas proueniat ex imperfectione aduertentiæ; siue ex perfectione, esse voluntarium perfectum quoad perfectionem essentialem. Nam alioqui, non esset propriè, & formalitèr; sed impropriè in genere voluntarij. Nam omne, quod propriè, & formalitèr est in aliquo genere habet omnia constitutiua simplicitèr necessaria, vt in eo genere collocetur; idque ipsum est, esse perfectum voluntarium quoad perfectionem essentialem.

12 Hinc fit, iuxta hanc acceptionem *perfecti*, ipsum voluntarium brutorum esse perfectum. Nam, vt dicebamus *disp.* 1. *n* 40. competunt brutis actiones, quæ in genere voluntarij collocantur, quibus proindè nihil deest ex constitutiuis simplicitèr necessarijs, vt in eo genere collocentur. Vnde, secundò fit à fortiori, actiones, quæ à naturâ rationali volitæ procedunt, tametsi necessariò proueniant, maximè si oriantur ex perfecta notitia, vt in amore beatifico contingit, *perfectè* voluntarias esse, iuxta hanc acceptionem *perfecti*, quippè, quæ propriè, ac formalitèr in genere volũtarij constituũtur. Propterea mihi indubitatum est, Autores negantes, quòd voluntarium necessarium sit voluntarium perfectum, nequaquam velle non esse perfectum in prædicta vsurpatione, vel absolutè nullâ factâ comparatione cum libero; sed tantùm velle, quòd voluntarium necessarium respectiuè ad liberum, minus habet de illis voluntarij gradibus, qui iuuant, vt voluntarium magis, ac magis voluntarium censeatur. Quamobrem, hoc iam duntaxat disputandum manet.

13 Vbi mihi certum est quartò, sic posse comparationem institui inter duo voluntaria, quorum aliud sit liberum, & aliud necessarium, vt necessarium sit quantitatiuè magis voluntarium, quàm illud aliud extremum liberum (vtamur eo termino *quantitatiuè* ad tollendam æquiuocationem, iam enim constat, quid eo termino significemus) Ratio est perspicua. Nam, vt vidimus *disput.* 1. voluntarium causale consistit in eo, quòd procedat à voluntate tanquam volitum, & cognitum modo ibi explicato. Potest autem aliquod volunta-

luntarium necessarium esse quantitatiuè maius in hac ratione, pensatis omnibus, quàm aliud voluntarium liberum. Sume nanque amorem beatificum, quo beati Deum amant, procedentem à voluntate beatorum tanquam expressissimè, & intensissimè volitum, nec non cum cognitione, non solum attingente clarissimè bonitatem diuinam; sed etiam ipsum amorem, &, si vis, omnes, vel plurimas circumstantias, cum quibus semel elicitus coniungetur. Ex aliâ vero parte, sume volitionem aliam nostram liberam cum semiplenâ deliberatione exercitam, quæ à voluntate procedit tanquam valde implicitè volita, nec non tenuissimè cognita. Sane, quamuis hæc volitio excedat illum amorem in processione à voluntate potente ipsam euitare; tamen, hic excessus non solum ad æqualitatem compensatur intra genus voluntarij; sed plurimùm superatur ex alijs capitibus assignatis in amore beatifico, vt ex se liquet.

14 Tandem certum est, sic posse comparationem institui inter aliud voluntarium necessarium; aliudque liberum, vt hoc sit quantitatiuè magis voluntarium, quàm illud necessarium voluntarium. Patet id, si ex vnâ parte sumas motum progressiuum brutorum ad oblatum cibum; & ex aliâ motum progressiuum hominis ad Ecclesiam summâ cum deliberatione, pluriumque circumstantiarum cognitione imperatum, & etiam exercitum cum plenâ potestate ipsum euitandi. Quis enim dubitet, hunc motum liberum pluribus gradibus superare motum illum necessarium intra genus voluntarij? Iam igitur, hoc duntaxat controuertendum relinquitur: num sumptis duabus actionibus causaliter voluntarijs, aliâ necessariâ; & aliâ liberâ, quæ præter necessitatem, & libertatem sint intra genus voluntarij quoad cætera pares: quia nimirùm æquè libenter, & æque aduertenter à voluntate procedunt, sit necessaria, potius quàm libera, magis voluntaria quantitatiuè; num ècontra? Id, quod claritatis gratiâ poterit explicari, sumptis duplici amore beatifico prouenientibus ex visione beatâ, quorum alius sit necessarius, quia præcisè fertur in Deum clarè cognitum; alius autem liber, quia fertur indiuisim in Deum clarè cognitum, & in creaturas finitæ bonitatis, quos actus ponimus æque libenter, & aduertenter à voluntate procedere, solumque differre intra genus voluntarij penès necessitatem, & liberta-

tem: dubium est quinam ex illis sit causaliter magis quantitatiuè voluntarius?

15 In hâc re prima sententia est, voluntarium necessarium, cœteris paribus, esse quantitatiué magis voluntarium, quàm voluntarium liberum. Pro hanc sententia stant expressè cursus Carmelitanus Salmantic. *tract. de Voluntario disp. 3. dub. 1. num. 12.* Petrus Cornejo *hic disput. 1. dub. 5. num. 11.* Marcus Serra *hic quæst. 6. art. 2. dub. vnic.* P. Amicus *disput. 3. sect. 1. num. 11.* censet voluntarium necessarium ex determinatione obiecti, vt amor beatificus, esse perfectius in genere naturæ voluntario libero; hoc autem in genere moris. Video autores alios pro hâc opinione aduocari; sed immeritò, quia nihil aliud asserunt, si attentè legantur, quàm ea, quæ vt certa stabilita sunt in præsenti capite, & apud omnes, vel ferè omnes debent esse indubitata. ¶ Secunda sententia est, voluntarium liberum esse quantitatiuè magis voluntarium, quàm voluntarium necessarium, cœteris paribus. Pro quâ sententiâ expressè stant P. Vazquez *disput. 23. cap. 4.* Lorca *disp. 1. sect. 2.* P. Salas *disp. 1. sect. 2.* P. Obiedo *cõtrou. 1. punct. 4. num. 49.* P. Baldellus *lib. 1. disp. 3. num. 3.* Medina *1. 2. quæst. 6. art. 2.* & Conrradus *ibidem.* Cui sententiæ fauere D. Thomam satis mihi probabile est propter testimonia, quæ apud hos autores videri possunt. Quia tamen, vt verum ingenuè fatear, non omnino conuincunt, ideo prudenter satis dixit Raphael Auersa *sect. 3.* non satis constare, quid intellexerit S. Thom. per voluntarium perfectum, & imperfectum. Huic posteriori sẽtẽtiæ tanquã veriori subscribo.

Carmel. *Cornejo* *Serra* *Amic.* *Vazq.* *Salas* *Obiedo* *Lorca* *Baldel.* *Medina* *Cõrrad.* *D. Tho.* *Auersa.*

CAP. III.

Nostra sententia probatur, & ab argumentis vindicatur.

16 PRobatur, in quam, breuiter vnica duntaxat ratione. Libertas de se præscindendo ab alijs est gradus augens voluntarium in ratione voluntarij; & non sic necessitas: ergo voluntarium liberum, quod voluntario necessario sit æquale in reliquis, præter necessitatem, superat in aliquo voluntarij gradû voluntarium necessarium, & consequentèr est quantitatiuè maius, quàm voluntarium necessarium. Discursus est legitimus, probato antecedente. Quoad primam partem

tem, quam affirmat, probatur. Tum, quia libertas, vt videbimus agentes de illiûs naturâ, præstat ex suâ propriâ ratione, quòd voluntarium liberè causatum existat potiori iure ab intrinseco ipsiûs voluntatis determinatiuè, quàm voluntarium necessariò causatum. Liquet autem ex terminis, id esse incrementum in ratione voluntarij. Tum, quia libertas ex suâ propriâ ratione præstat, quòd voluntarium liberum imputetur voluntati, non solùm vt ipsum ponenti; sed etiam permittenti, nempè, vt non impedienti cum impedire posset: nouus autem titulus imputationis est augmẽtum in ratione voluntarij. Tũ, quia voluntarium liberum, eo ipso, quò est liberum, proximius est, quàm si non esset, vt agẽti rationali imputetur ad laudem, aut vituperium. Eodem autem, quo voluntarium constituitur ex modo existendi à voluntate proximius ad hanc imputationem, constituitur magis voluntarium.

17 Deinde probatur antecedens quoad partem, quam negabat. Quia non est gradus augens voluntarium in ratione voluntarij ea formalitas, quâ sublata, nulloque adueniẽte actui voluntario præter purum contradictorium eiûs formalitatis, remanet actus æquè, vel magis voluntarius. At necessitas sic se habet: ergo non est gradus augens voluntariũ in ratione voluntarij. Maior mihi notissima est, tum ex ipsis terminis, quam eis introspectis à nullo negandam crediderim. Tũ inductione perpetua augmentorũ. Nam, vt nouus quãtitatis palmus adiectus præexistentibus augeat extensionem, necesse est, quòd quantitas sine illo non remaneat æquè grandis ex eo prĉcisè, quòd ipso careat, quãuis aliud accideret, si loco palmi sublati palmus alius extensionis adiungeretur: idq; perpetuò verũ inueniet, qui velit alia incrementa percurrere. Tum, quia alioquin incrementũ esset inutile ad augendũ, quo nihil repugnantius. Nam, quid inutilius ad augendũ, quàm id, quo sublato manet res æquè grandis, licèt vice sublati nihil aliud adijciatur? Minor probatur, posito sub adspectum claritatis gratiâ exemplo, cuius memini num. 14. Sumamus amorẽ beatificum visione beatâ regulatum, sumamus, inquam, illum secundùm rationem procedentis plenè libentèr, plenèque aduertẽter à volũtate, prĉscindẽdo ab eo, quòd procedat liberè; vel necessariò, quo vtroq; modo, iuxta probabilẽ sentẽtiã procedere queit, prout fuerit amor, aut soliùs Dei, aut etiã creaturarũ. Tunc sic.

18 Talis actus considerari potest, aut procedens cum necessitate; aut procedens sine necessitate. At, sub hac posteriori cōsideratione, tametsi nihil aliud cōcipiamus, quā procedere plenè libentèr; plenèq; aduertenter, vel æqualitèr, vel magis volūtarius cōcipitur, quā sub priori cōsideratione: quia ex vna parte concipitur tanquā plenè libenter, pleneque aduertēter procedens, sicut in primâ cōsideratione; & aliūde cōcipitur sine impotentiâ ipsum euitandi, id est cū potentiâ ipsū impediendi: neque perceptibile est, quomodo cū omnimodâ æqualitate in procedēdo libentèr, & aduertentèr, minus volūtariùs euadat ex eo præcise, quòd cōtingat cū potētia ipsum impediēdi potiùs, quā cū impotētiâ: ergo necessitas actûs volūtarij est formalitas, quâ sublatâ, nulloque adueniente actui voluntario præter purū cōtradictoriū eius formalitatis remanet actus equè, vel magis voluntarius. Id, quod maius accipit robur ex n. 16.

19 Respondebis, actum, qui vice procedendi necessariò à voluntate habeat præcisè, cæteris paribus, procedere nō necessariò, imminui in ratione voluntarij. Ratio autem est. Nam id, quod procedit necessariò à voluntate est volūtati magis intrinsecum, & magis prouenit ab intrinseco ipsiûs voluntatis, quàm id, quod procedit non-necessariò. *Est volūtati magis intrinsecū*. Nàm, quæ rei conueniunt necessariò strictiorē habēt coniunctionē cum illa, quàm ea, quæ cōpetunt ipsi non-necessariò. *Magis prouenit ab intrinseco ipsius voluntatis*. Nā, quæ procedunt à voluntate necessariò, procedunt ab ipsâ acceptâ per modum naturæ; quæ autem ab illâ procedūt non-necessariò, procedunt ab illâ per modum libertatis: Id verò, quod est voluntatis, per modū naturæ acceptæ, est magis intraneū voluntati; quā id, quod est volūtatis acceptæ per modū libertatis. Verum est, actum voluntarium procedentē à voluntate *non necessariò* aliquomodo crescere in ratione voluntarij ex hoc modo procedendi: quia ex hoc modo procedendi ita existit à voluntate, vt non impediatur potens impediri; huic tamen modo crescendi præponderat crementum, quod susciperet, si procederet necessariò. Nā, in hoc euētū esset positiuè magis intrinsec⁹ volūtati, & magis ab intraneis ipsius volūtatis.

20 Constat solutio speciosis verbis, in quibus ego nonnulla inuenio falsa, nullamque rem, quæ satisfaciat. Nam, primo, falsum est, actus volūtatis, quos voluntas in se ipsâ producit ne-

necessariò, esse ipsi *magis intrinsecos*, si hoc sumatur condistinctè ab eo, quòd magis existant ab intrinsecâ propensione voluntatis. Huius falsitas conuincitur cum à posteriori; tum etiã à priori. A posteriori: nam affectus indeliberati, qui dicuntur *primo primi* sunt necessarii; & tamen non sunt magis intrinseci voluntati, quàm affectus deliberati, ac liberi; alioquin illi, pensatis omnibus, essent magis vitales, quàm illi, quòd absurdè diceretur: ergo necessitas affectuum non reddit eos magis intrinsecos voluntati, quam libertas. Quod roborabitur amplius ex dicendis *num.* 22. Deinde à priori. Nam actus voluntatis necessarius, eo quòd sit necessarius, tantùm habet, quod non possit deficere, nisi deficiente aliquo ex principijs præuiè impellentibus ad ipsum; actus autem liber habet posse deficere non solùm ex prædicto capite; sed etiam pro libito voluntatis, tametsi nullum principium desit ex præuiè impellentibus. At, ex hoc discrimine non est magis voluntati intrinsecus actus necessarius, quam liber: ergo actus necessarius, eo quòd necessarius, non est magis intrinsecus voluntati, quàm liber. Minor probatur. Nam, quòd aliqua forma pluribus modis, quàm alia possit à subiecto diuelli, non benè arguit alterã esse magis intimè vnitam subiecto, quam alteram. Si enim, animum æqualiter occupet, ac diuexet tristitia de morte patris, ac tristitia de peccatis commissis, quælibet erit æquè intimè, quàm alia vnita animo, quanuis ad depellendam tristitiam de morte patris plures extent rationes, quàm ad excludendam tristitiam de peccatis commissis.

21 Secundò falsum est, actus necessarios voluntatis, eo quòd sint necessarij, prouenire magis ab intrinseco volũtatis, quàm actus liberos. Tum, quia alioquin, cum viuere sit mouere se ab intrinseco, modo, quem explicuimus in lib. de Anima, fieret, vt omnibus pensatis, minus viueremus per actus liberos, & meritorios, quàm per actus necessarios, quod inauditũ, & absurdum apparet. Tum, quia actus necessarij voluntatis procedunt à voluntate, quatenùs sortitur necessitatem radicalem; scilicet vim operandi necessariò; actus autẽ liberi procedunt à voluntate, quatenùs sortitur indifferentiam radicalem, nempè vim dominij operatiui liberè. At, seclusis nostris fictionibus, æquè intrinsecum est voluntati radicale dominiũ, ac radicalis necessitas, nam sicut hæc, reipsa loquendo, identificatur penitùs cum voluntate; ita etiam illud: ergo actus

liberi

liberi voluntatis æquè proueniunt ab intrinseco voluntatis, ac necessarij. Neque obest id, quod nomine aduersariorum dicebatur num. 19. nempè *id quod est voluntatis, per modum naturæ acceptæ, esse magis intraneum voluntati, quàm id, quod ipsius est accepta per modum libertatis.* Hic enim æquiuocatio committitur. Nam, ea propositio in vno sensû est vera, in quo nihil nobis officit. Est autem falsa in sensû, in quo veram esse oporteret, vt nobis officeret. Sensus verus est, id quod est naturale voluntatis, id est, de intrinsecâ naturâ, & essentiâ voluntatis, esse magis intraneum ipsi, quàm id quod eidem competit potens ipsi competere, & non competere pro ipsiûs voluntatis nutû. Patet autem id nobis nihil nocere. Sensus autē falsus est, vim constitutiuam voluntatis in ratione radicaliter operatiuæ *naturaliter*, id est, *necessariò* (quo pacto sumi solet ly *naturalitèr*) esse magis intraneam voluntati, quàm vim cōstitutiuā ipsius in ratione radicaliter operatiuæ liberè. Oporteret autem hunc sensum esse verum, vt ea propositio nobis obesset.

22 Tertiò adhibita solutio non satisfacit. Nam, vt optimè dicunt aduersarij, actus voluntatis, qui necessarij sunt ex imperfectione cognitionis non omnia perspicientis, quæ ad obiectum, & ad actum pertinent, sunt minus voluntarij, quàm actus liberi; & tamen, iuxta doctrinā solutionis, eo ipso quòd sint necessarij, sunt magis intrinseci voluntati, & procedunt magis ab intrinseco voluntatis, nempè ab ipsâ, vt natura est; non ab ipsâ, vt habente libertatem: ergo illa, quæ solutio expendit pro maiori voluntario actus necessarij insufficientia sunt. *Dices* insufficientia esse pro maiori volūtario actûs, cuius necessitas proueniat ex imperfectione cognitionis; sufficientia tamen esse pro maiori voluntario actûs, qui simul est necessarius, & procedens ex cognitione perfectâ. Hoc tamen mihi satis ostendit, quàm parum sit firma solutio tradita. *Primò.* Quia voluntarium liberum, & voluntarium necessarium, etiā illud, cuius necessitas oritur ex imperfectione cognitionis, se habent tanquam excedens, & excessum, quia tametsi liberum excedat quatenùs ex perfectiori cognitione prouenit; exceditur tamen, quatenus voluntarium necessarium est magis intrinsecum, & magis ab intrinseco. Cur ergo mutuus iste excessus non facit, voluntarium necessarium, etiamsi necessarium ex imperfectione cognitionis, esse saltem æquè voluntarium, ac volunta-

luntarium liberum? Sanè, nisi hæc momenta voluntariè librẽtur; non satis apparet quomodo alterum potius quam alterũ ascendat.

23 *Secundò*. Comparatis inter se voluntario libero; & voluntario necessario, necessitate prouenięte ex imperfectione cognitionis, illud primum, quia procedens ex cognitione perfectiori est magis voluntarium, quàm hoc posterius, quamuis hoc posterius sit, per te, voluntati magis intrinsecum, & magis ab intrinseco voluntatis: ergo comparatis inter se voluntario libero procedente ex perfectâ cognitione, & voluntario necessario procedente similiter ex notitiâ perfectâ, sanè, quamuis hoc sit voluntati magis intrinsecum, magisque ab intrinseco voluntatis; tamen voluntarium liberum euadet simpliciter magis voluntarium, quia magis est ab intrinseco voluntatis determinatiuè: item à voluntate, vt ponente, & permittente; necnon proximius, vt imputetur volũtati ad laudẽ, vel vituperium, vt expendebam num. 16. Profectò, non video excogitari posse disparitatem nisi purè, putèque voluntariam. *Tertiò*. Nam si sumamus amorem beatificum necessarium ex visione beatâ prouenientem, præcisèque tendentem in Deum clarè visum; & amorem beatificum liberum ex visione beatâ similiter ortum, indiuisimque tendentem in Deum, & creaturas propter bonitatem Dei, certè hi actus sunt æqualiter voluntarij, exceptâ necessitate vniûs, & libertate alteriûs, cum ex æquè perfectâ notitiâ proueniant: acceptis autem necessitate vniûs; alteriusque libertate se habent tanquam excedens, & excessum: quia necessitas, per te præstat maiorem intraneitatem cum voluntate, & maiorem processionem ab intrinseco ipsiûs; at libertas ea præstat, quæ nuper recensuimus ex num. 16. Cur ergo, pensatis omnibus, non resultat vtrinque iusta compensatio? Vnde, voluntarium necessarium, & liberum non sic se habebunt, vt, cæteris paribus, necessarium sit magis voluntarium; sed vt summùm ita, vt liberum, & necessarium, cæteris paribus, sint æqualia in ratione voluntarij.

24 Tandem, principalis solutio tradita num. 19. reijtur. Nam actus voluntatis intrinsecè supernaturalis, æternæque vitæ meritorij, sunt, cæteris paribus, æquè voluntarij, ac actus intrinsecè naturales, præmijque naturalis meritorij. Nã alioquin, neque essent ęquè vitales, neque æqualiter liberi, cum eâdem ratione probentur hæc omnia, vel nihil, vt constabit legen-

legenti superiora, solutioneque, quam impugnamus. At, actus naturales sunt connaturaliùs vniti voluntati, quàm supernaturales; rursusque naturales procedunt à voluntate præcisè spectatâ secundum ipsiûs voluntatis naturalia; supernaturales autem á voluntate, vt eleuatâ viribus supernaturalib' sibi accidentaliter contingentibus: ergo actus liberi, cæteris parib', esse poterunt æqualiter voluntarij, ac necessarij, quamuis isti magis necessariò vniantur voluntati, & ab ipsâ, vt naturâ procedant; illi verò magis contingenter vniantur voluntati, & ab eâ, vt liberâ proueniãt. *Dices*, actus supernaturales esse æquiualentèr, & plusquam æquiualenter ipsos actus naturales. Vnde, prædicata vitalitatis, & voluntarietatis, quæ competunt actibus naturalibus, competunt præstantiùs, & eminentiùs actibus supernaturalibus. At contra est: quia tametsi demus prædicata cõmunia actibus naturalibus, & supernaturalibus, in his præstantiùs, & eleuatiùs residere, quàm in naturalibus; impossibile tamen est prædicata, quibus differunt actus naturales à supernaturalibus, dari verè, & propriè in actibus supernaturalibus. Nam alioquin, actus supernaturales essent verè, & propriè naturales.

25 Ex quo notissimo principio sic formatur, & explicatur solutionis impugnatio. Non minùs connaturaliùs vniri voluntati, & ab eâ procedere spectatâ secundûm pura naturalia, sunt prædicata, in quibus differunt actus naturales à supernaturalibus, quám ipsa naturalitas sit prædicatum differendi. At, propterea implicatorium est naturalitatem ipsam dari verè, proprièque in actibus supernaturalibus: ergo implicatoriũ paritèr est illa prædicata dari verè, ac propriè in ipsis; & consequenter implicatorium est augmentum voluntarij petitum formaliter, iuxta aduersarios, ex illis prædicatis, reperiri in actibus supernaturalibus; cumque non compensent aliundè prædictum augmentum: quia comparo actus supernatnrales cum alijs naturalibus procedentibus ex notitiâ, nõ minus penetratiuâ obiecti, & circumstantiarum, demùm infertur, eam connaturaliorem vnionem cum voluntate, eamque processionem à puris naturalibus ipsiûs voluntatis, non augere voluntarium respectiuè ad alios actus voluntati vnitos; tametsi minùs connaturaliter, & ab intrinseco voluntatis procedẽtibus; etsi non à voluntate nudè sumptâ; sed in consortio virium supernaturalium.

CAP.

CAP. IV.

Argumentorum solutio.

26 OMittenda sunt argumenta, quibus plerique ex Thomistis disputant contra P. Vazquez supra citatum. Duo namque duntaxat probant, quæ Author iste sapientissimus non negat, si legatur attentè. *Primum est*, voluntarium necessarium esse volũtarium *perfectè essentialitèr*: id est, vt explicuimus num. 9. ex Arist. cui nihil deest ex constitutiuis necessarijs, vt in genere voluntarij collocetur. *Secundum est*, interdum contingere, volũtarium aliquod necessarium esse *quãtitatiuè* æquale, & etiam maius, quàm voluntarium liberum. Constat autem ex num. 13. hoc esse verum, neque vnquam à P. Vazquez negatum inuenietur. Quamobrem, ea duntaxat argumenta proponenda, soluendaque supersunt, quæ probare nituntur voluntarium necessarium, cæteris paribus, esse perfectius in ratione voluntarij, quàm liberum.

27 Obijcies primò. Libertas actus voluntarij non est prædicatum augens actum in ratione voluntarij: ergo voluntarium liberum, saltèm non est perfectius in ratione voluntarij, quàm voluntarium necessarium. Antecedens probatur. Nã alioquin, voluntario, cui deficeret libertas, deficeret aliqua perfectio in genere voluntarij, & consequentèr amori necessario, quo Deus se ipsum amat, & processioni necessariæ Spiritus Sancti per voluntatem deficeret aliqua perfectio in ratione voluntarij. Hoc autem dici non potest. *Primò*. Nam, vt ait Ioannes Ildephonsus Baptista. 1. 2. disp. 78. fragmento 2. num. 54. contra P. Vazq. non benè sonat modus loquendi huius autoris. *Secundò*, Nam, vt aiunt Carmelitani Salmantini supra num. 9. quidquid propriè, ac formalitèr est in Deo nullam importat imperfectionem. Vnde, quicquid nequit imperfectionem excludere non est formaliter in Deo; sed solùm eminenter, vt ira, dolor, & discursus. At, ratio voluntarij inuenitur formalissimè in amore diuino necessario, quippè qui est ab intrinseco Dei cum perfectissimá cognitione obiecti amati: ergo non obstante necessitate eius amoris, nulla datur imperfectio in ratione voluntarij, quæ in eo amore reperitur, nullaque deest voluntarij perfectio.

28 Confirmant primò. Excluditur à Deo, quòd se ipsum liberè amet, quia talis libertas importat imperfectioné: ergo à contrario, cum in Deo detur, quòd se amet necessariò, talis necessitas nullam importat imperfectionem, & consequenter ea necessitas neque in genere volũtarij imperfectionem importat. Confirmant secundò. Ira, dolor, & discursus excluduntur à Deo, quia imperfectionem aliquam importat. At, voluntarium necessarium necessitate ortâ ex perfectissimâ cognitione diuinæ bonitatis non excluditur à Deo: ergo in nullo genere imperfectionem importat. Tertiò. Excluditur à Deo voluntarium necessarium necessitate ortâ, vel ex limitatione potentiæ incapacis liberi dominij; vel ex imperfectione cognitionis non plenè penetrantis obiectum. At, non excluditur à Deo voluntarium necessarium necessitate ortâ ex perfectissimâ cognitione diuinæ bonitatis: ergo ideo est, quia priora voluntaria imperfectionem aliquam important; nullam autem posterius, tametsi necessarium.

29 Ad obiectionem negatur antecedens, cuius omnes probationes, & confirmationes nituntur in æquiuocatione huius termini *perfectio*. Pro qua æquiuocatione resecandâ notetur, perfectionem, quoad præsens attinet, bifariam accipi posse. *Primò* pro iustâ rerum æstimabilitate; scilicet pro illâ bonitate ipsarum, cuius nomine dignæ sunt, vt habeantur pretio, & amore. Talis autem æstimabilitas dicitur perfectio simpliciter simplex quando tam abest, vt componatur ex aliquo pretij, & æstimationis depresiuo, vt potius nihil sine ipsâ possit esse summi pretij, & æstimationis. Sic sapientia, v.g. est perfectio simpliciter simplex, quia nihil absque illâ potest esse summè æstimabile: quamobrem, quia Deus non potest non esse summè æstimabilis, ideo nullâ perfectione simpliciter simplici carere potest. *Secundò* sumitur perfectio, vt num. 9. dicebam ex Arist. pro subiecti plenitudine, & completione essentiali, vel quantitatiuâ, siue illa dicat aliquam æstimabilitatē; siue nullam; siue dicat æstimabilitatem simpliciter simplicē; siue secus.

30 Hinc. Ipsa malitia formalis peccati perficit, id est integrat, & complet essentialiter peccatum in ratione peccati, nempè reddit ipsum in ratione essentiali peccati perfectũ, id est. essentialiter completum, & integrum. Hinc. Maior peccati malitia reddit ipsum in ratione peccati perfectius quantita-

titatiuè, id est, peccatum maius, integrius, & cõpletius. Hinc Arist. loco cit. dixit: *Ita etiam in malis transferentes dicimus calumniatorem perfectum, & furem perfectum: quoniam etiam bonos eos appellamus, vt puta furem bonum, & calumniatorem bonum.* Hinc demum, ad primam probationem antecedẽtis negati distinguendus est terminus ille *perfectio*, fatendumque est voluntario, cui deficiat libertas, deficere aliquam perfectionem in genere voluntarij, sumptâ perfectione pro prædicato quantitatiuè augente, cæteris paribus, voluntarium liberum in ratione voluntarij supra necessarium; falsum tamen est, voluntario necessariò, eo ipso quòd illi deficiat libertas, deesse perfectionem aliquam in genere voluntarij: sumptâ perfectione pro æstimabilitate simplicitèr simplici, quia licet amori necessario, quo Deus amat se ipsum desit libertas, non ideo deest vlla æstimabilitas, sine quâ non sit summè æstimabilis. Sic perfectione libertatis acceptâ pro prædicato, cæteris paribus, magis extensiuo ipsius, libertas ad omittendũ amorem erga Deum, ad odium Dei, & ad peccatum est perfectio libertatis; tamen ea libertas Deo non competit, quia non est perfectio simplicitèr simplex, acceptis his terminis pro æstimabilitate, sine quâ nihil est summè æstimabile.

31 Vnde Theologis, qui metaphysicas terminorum vsurpationes, iuxta materiam subiectam, benè nouerint, nequit malè sonare in hac materiá, quòd dicatur, amori diuino necessario deesse ex defectû libertatis aliquam in ratione voluntarij perfectionem, sumptâ perfectione, pro prædicato, cęteris paribus, magis extensiuo voluntarij; non tamen sumptâ perfectione pro bonitate, ex cuius carentiá cadat aliquatenùs talis amor ab æstimabilitate summâ. Ex his reliqua facilè cadunt. Ad secundam probationem dicatur. Quidquid propriè, ac formalitèr existit in Deo caret omni imperfectione faciẽte rem cadere ab æstimabilitate summâ: & quia imperfectio iuxta communem acceptionem sumitur pro prędicato, quod hóc faci[illegible] diuinis præsertim, castissimè loquamur, faten[illegible] est, quidquid formalitèr existit in Deo carere [illegible]tione; ideoque iram, dolorem, discursum, [illegible]ari formalitèr in Deo: quia nequeunt ex[illegible]cludere imperfectiones facientes, vt cadant [illegible] summâ. Deinde admissâ minori, distinguẽ[illegible]guens, concedendumque est, in eo amore nullam esse

esse imperfectionem diminuentem æstimabilitatem summam, nullamque illi perfectionem deesse requisitam ad summā æstimabilitatem; negandum tamen habere omne prædicatum, quod, cæteris paribus, magis, quàm oppositum extendit voluntarium, ideòque, saltem translatitiè, dicitur perfectio voluntarij: nam idem est illi deesse libertatem, ac deesse vnum ex his prædicatis.

32 Hinc patet ad primam confirmationem. Nam ex eo, quòd excludatur à Deo amor liber circa se ipsum; non autem amor necessarius, colligitur quidem, amorem liberum; nō verò necessarium, importare imperfectionem strictè, & propriè dictam: nempè deijcientem rem ab æstimabilitate summá, cum quo benè stat, amorem necessarium ex defectu libertatis importare carentiam prædicati, cæteris paribus, magis extensiuè voluntarij, quàm sit oppositum, quæ carentia laxè, & trāslatitiè potest nuncupari imperfectio in ratione voluntarij; quæ potius proficit, quàm officit æstimabilitati eius amoris; sicut carentia libertatis ad peccandum, potius prodest, quàm obest æstimabilitati diuinæ libertatis. Patet etiam ad secundam confirmationem, sicut ad tertiam. Nam ira, dolor, discursus, voluntarium necessarium vel ex limitatione potestatis incapacis dominij, vel ex imperfectione cognitionis non penetrantis plenè obiectum, excluduntur à Deo: quia hæc omnia important imperfectionem, quæ deijciunt illa ab æstimabilitate summâ; eam autem non important amor, quo se Deus amat necessariò ex perfectissimâ suæ bonitatis comprehensione: quapropter datur in Deo, quamuis talis amor expers sit prædicato libertatis, quæ, cæteris paribus, est magis extensiua voluntarij, quàm necessitas. Omitto amorem necessariū, quo Deus amat se ipsum, tametsi existat in genere voluntarij formalis, & obiectiui, quia & est amor, & quid amatum; non tamen verè, & propriè in genere voluntarij causalis; nō enim Deus est principium adhuc virtualitèr intrinsecè producens eum amorem, vt constat ex tract. de Volunt. [illegible] 4. 5. & 6. Ex quo tract. disp. 9. n. 8. constat, amo[illegible] um, omnibus pensatis, esse perfectius voluntari[illegible] ber: quia in eis casibus valde essent imparia, q[illegible] un-tarij spectant: cū quo stat, libertatem, cæter[illegible] quantitatiuè voluntarium potius quàm nece[illegible]

33. Obijciunt secundò Carmelitani Salm.

Amor, qui necessarius est ex perfectione cognitionis, nempè amor beatificus ortus ex visione beatâ, superat voluntarium liberum, tùm in processione à meliori cognitione: quippè visio beata melior est cognitio quâlibet aliâ regulante amorem liberum; tum etiam in processione ab intrinseco voluntatis: ergo superat in omnibus, ex quibus pensatur ratio voluntarij, & consequenter est, cæteris paribus, magis voluntarius, quàm amor liber. Posterior antecedentis pars, quæ sola est difficilis, probatur. In voluntate, prior est ratio potentiæ naturalis actiuæ necessariò, quàm ratio potentiæ liberæ: quemadmodum, priùs est operari necessariò, quàm liberè, cum omnis operatio libera supponat operationem necessariam; & non contrà. At amor necessarius procedit à voluntate secundùm rationem potentiæ naturalis; liber autē secundū rationē potētiæ liberæ: ergo amor necessarius procedit à voluntate sumptâ secūdū formalitatē priorē: cum igitur ea, quę sunt priora in re, sint rei intimiora, cōsequēs est, amorē necessariū procedere ab eo, quod est voluntati intimius; proindeque procedere magis ab intrinseco voluntatis, quàm amorem liberum.

34 Confirmant primò. Prior, & intimior est voluntati inclinatio ad suum obiectum adæquatè satiatiuum, quod amat necessariò, & propter quod amat alia obiecta inadæquata, quàm inclinatio ad hæc alia, quæ liberè amat; hæc enim inclinatio posterior est fundata super priorem. At, amor necessarius erga Deum clarè cognitum oritur ex illâ inclinatione priori, & intimiori; amor autem liber oritur ex aliâ inclinatione posteriori, & minùs intimâ: ergo amor necessarius magis, quàm liber, est ab intrinseco voluntatis. Confirmant secundò. Sicut magis amatur finis, quàm media, sic magis voluntaria est intentio finis, quàm electio mediorum. At, electio mediorum magis libera est, quam intentio finis: ergo excessus voluntarij non sumitur per se, & formaliter ex libertate; sed ex potiori processione à voluntate, vt naturâ, quàm, vt liberâ, & quia finis intentio magis, quàm electio mediorum procedit à voluntate, vt naturâ, ideo magis voluntaria est, quam electio mediorum. Probatur minor. Tum, quia nomen *electionis* tribui solet omni actui libero, cuius causa non est alia, nisi quia libertas splendet potius in electione mediorum, quàm in intentione finis. Tum, quia sæpè voluntas amans finem necessariò, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium, manet

vtrolibet modo libera ad electionem mediorum, vt si plura media ocurrant æquè vtilia, ad finem. Hoc autem signum euidens est, vt ipsi dicunt, exerceri magis libertatem in electione mediorum, quàm in intentione finis.

CAP. V.

Horum, & aliorum solutio.

35 AD argumentum ex num. 33. respondeo. Amor, qui necessarius est ex perfectione cognitionis mouentis ad ipsum, superat *aliquem* amorem liberum in processione à cognitione meliori; non tamen siue in hoc; siue in processione magis ab intrinseco voluntatis superat amorē liberū æqualem necessario in reliquis pertinentibus ad rationē voluntarij, preter libertatē, vt statim explico. Vnde tantùm probat argumētum id, quod concessimus n. 13. nempè prædictum amorē necessarium cōparatum cum aliquo amore libero, esse magis voluntariū, quàm liberū; nō tamē probat id, quod negamus, nempè actum liberū, & necessariū æquales in alijs pertinentibus ad genus voluntarij, præter necessitatē, ac libertatē, sic se habere, vt actus necessarius magis voluntarius sit, quàm liber.

36 Explicatur. In primis, sunt actus liberi ex tàm perfectâ cognitione prouenientes, quàm actus, qui necessarij sunt ex perfectione cognitionis determinantis ad ipsos. Id patet primò in actibus liberis, quibus beati propter diuinam bonitatem clarè visam diligunt creaturas, quæ ad diuinam gloriā conducunt. Secundò in actibus liberis, quibus Deus creaturas decernit propter diuinam bonitatem, quam ipse Deus comprehensiuè intuetur. Nam huiusmodi actus liberi, tám veniunt ex visione clarâ Dei, quàm actus, qui ex determinatione eiusdem visionis euadunt necessarij. Quamobrem, procedere à visione clarâ Dei est prædicatum commune actibus voluntarijs necessarijs, & actibus liberis, quamuis non omnibus. *Deinde*, Actus liberi procedunt à prædicato tàm intrinseco voluntatis, quàm actus necessarij, vt expendebam num. 21. Nam radicalis indifferentia dominij, ex quâ procedunt actus liberi, est prædicatum voluntati tàm intrinsecum, quàm vis ad operandum necessariò, ex qua proueniunt actus necessarij.

37 Neque obstat, quod opponunt aduersarij n. 33. arguen-

gientes ex prioritate ad intraneitatem. Scio Præceptorē Angelicum non semel dixisse, quod est in re prius, esse intimius: quapropter hoc dictum mihi venerandum, & explicandum est. *Primò*, quia loquendo ex modo nostro concipiendi, quæ sunt ratione nostra prædicata primaria rei, concipiuntur per modum substantiæ ipsiûs rei; at, quæ sunt ratione nostrâ prædicata secundaria rei, concipiuntur per modum accidentium ipsiûs rei: quæ autem sunt de intrinsecâ substantiâ alicuius, intimiora sunt illi; quàm accidentalia. *Secundò*, quia iuxta doctrinam mihi veram, cuius memini non semel, maximè tract. de Voluntate Dei disput. 21. á num. 4. prædicata primaria identificata cum re imbibuntur formaliter in secundarijs; non autem hæc in illis. Vnde, cum primaria sint formaliter intrinseca sibi ipsis, nec non secundarijs; secundaria verò sibi ipsis solùm, consequens est, vt formaliter loquendo primaria sint intimiora, quàm secundaria ijs, quæ identificantur cum re. *Tertiò*, quia loquendo in ordine reali independenter à modo nostro concipiendi, quæ in eo ordine sunt primaria rei, constituunt ipsam intrinsecè; quæ autem sunt secundaria, tametsi sint ex illis, quæ intrinsecè rem afficiunt, non constituunt ipsam; sed præconstitutam supponunt. Patet autem, constitutiua rei esse ipsi intimiora, quàm supponentia rem præconstitutam.

38 Minimè verò crediderim, in Angelicam illam Doctoris Angelici mentem venisse, sumptis duobus prædicatis realiter simpliciter identificatis cum re, aliud esse realiter intimius rei, quam aliud: cum enim solâ terminorum inspectione sit opus ad sciendum identitatem realem simpliciter dictam alicuius cum aliquo, esse summam intraneitatem realē cum ipso: quid enim mihi intimius, quàm egomet? perspicuū est, quæcunque realiter simpliciter identificentur cum re, esse realiter æquè intranea rei; omnia enim illa sunt realiter summè intranea. Vnde patet ad ea, quæ dicebantur num. 33. Nam cùm voluntate realiter simpliciter idētificatur vis radicalis agendi necessariò. Item, cum eâdem voluntate realiter simpliciter identificatur radicalis indifferentia dominij. Quamobrem, actus liberi procedentes ab hâc indifferentia procedunt æquè, realiter loquendo, à prædicatis intrinsecis voluntatis, ac actus necessarij procedentes ab illâ vi radicali agendi necessariò; & consequenter ex hac parte non sunt alij magis vo-

luntarij, quàm alij realiter loquendo, quidquid sit de malo nostro modo concipiendi, de quo non est curandum, quando non agimus, quomodo nos falsò res concipimus; sed quomodo illæ reuerà in se ipsis sunt.

39 Hinc ad primam confirmationem ex num. 34. negatur maior in sensu reali, quidquid sit ex imperfecto modo nostro concipiendi; neutra enim ex illis inclinationibus est realiter prior alterâ: imò realiter non est altera, & altera; sed vnica simplicissima voluntatis entitas, ex quâ procedit amor necessarius circa Deum, & amor liber circa alia obiecta. Vnde, ex ratione procedendi magis ab intrinseco voluntatis, non superat amor necessarius amorem liberum in ratione voluntarij, realiter loquendo. Præterea, si sumamus amorem necessarium erga Deum; & amorem liberum indiuisim attingentem bonitatem diuinam; & creaturas propter ipsam; vterque sunt æquales in processione ab inclinatione ad obiectum adæquatè satiatiuũ: vnde, processio ab hâc inclinatione communis est etiam amori libero, proindeque metiendum nõ est ex processione ab eiusmodi inclinationibus, vter ex amoribus necessario, & libero, sit magis voluntarius, stante paritate cæterorum communium vtrique; solaque disparitate necessitatis, & libertatis.

40 Ad secundam confirmationem respondeo ex doctrinâ sapientissimi P. Vazquez, intentionem finis, plerunque loquendo, esse magis voluntariam, quàm electionem mediorũ, supposita intentione finis: quia intentio finis communiter est æqualis electioni mediorum in principijs vnde sumitur voluntarietas eius electionis; & aliunde liberiùs se exercet voluntas, plerunque loquendo, in intentione finis, quàm in electione mediorum: quia voluntas quominus intendat finem non habet, quo tantum retardetur, quantum ab intentione finis præsuppositâ retardatur, quominus eligat media ad consecutionem finis intenti. Neque obstant, quæ in contrarium opponebãtur in cõprobationem falsæ minoris. *Non primum*: causa enim, cur nomen *electionis* tribui soleat omni actui libero, nõ est, quæ ibi assignatur: sed, vt expendemus agentes de libertate: quia per actum liberum voluntas habens in suo dominio constituta extrema opposita, præfert quoad existentiã alterũ alteri pro suo libito. *Non secundum*. Nam etiam frequenter exercet liberiùs voluntas intentionem finis, quàm electionem mediorũ præsuppo-

ſuppoſitâ intentione finis: v. g. ſi occurrant plures fines incompoſsibiles, quorum omnium intentionem poſsit omittere, quemlibetque præferre alteri: deindeque ſuppoſitâ efficaci intentione vniûs finis, duo duntaxat occurrant idonea media ad cóſecutioné ipſius. Tunc enim voluntas, neque poterit omnium mediorum electionem omittere, neq; tàm ampla dabitur optio, vt medium medio in electione, quàm, vt finem fini in intentione præferat. Cócludimus ergo, neq; de ratione electionis mediorũ eſſe, quòd ſemper ſit liberior intẽtione finis; nec de huius intentionis ratione eſſe, quòd ſemper ſit liberior electione mediorum; ea veró illarum, cęteris paribus, erit magis voluntaria, quæ liberior euadat.

41 Obijcies tertiò. Non eſt aptum ad incrementũ voluntarij prædicatum illud, quo decreſcente ſolet creſcere voluntarium. At libertas ſic ſe habet. Nam, vt obſeruat inter alios P. Becanus *de actibus hum. cap. 3. q. 3. n. 4.* quando delectatio, vel concupiſcentia impellunt ad actioné, quò vehementior eſt impetus, eò voluntas magis trahitur, & inclinatur ad agendum, & ſic augetur voluntarium. Et tamen, minuitur liberum: quia quò magis trahitur in vnam partem; eò minus libera, ſeu indifferens eſt in vtrãque parté: ergo libertas non eſt prædicatũ aptum ad incrementum voluntarij. ¶ Reſp. Non eſt aptum ad incrementum voluntarij prædicatum illud, quo decreſcente creſcit voluntarium citra aduentum alterius potiori ratione iuuantis ad augmentum, quàm iuuaret, quod deperditur. Aptum tamen eſt ad incrementum voluntarii prędicatum illud, quo decreſcente creſcit voluntariũ, quando prædicatum illud ſic decreſcit, vt vice ipſiûs adueniat aliud potiori ratione iuuans ad aug[illegible]ntum voluntarij. Quoniam ergo in caſu argumenti, decreſcente libertate ad conſenſum, v. g. per vehementem propenſionem voluntatis ad conſentiẽdum; ſic decreſcit libertas, vt loco illiûs adueniat propenſio, quæ potiori ratione iuuat ad hoc, vt ſponté exerceatur conſenſus, quàm iuuaret id libertatis, quod amittitur; ideò relinquitur, quòd libertas ſit prædicatum aptum ad incrementũ voluntarij. Sic actus fidei ſupernaturalis idoneus eſt, vt homo creſcat in ratione cognoſcentis ſupernaturaliter, quanuis eo actu deperdito per viſionem beatam, homo eſſet ſupernaturaliter cognoſcens præſtantiori ratione.

P. Becan.

42 Dicet aliquis, hanc ſolutionem malè cohærere cum

doctrinâ traditâ num. 17. vbi diximus, non esse gradum augentem voluntarium in ratione voluntarij prædicatum illud, quo præcisè sublato per purum contradictorium ipsius, magis, vel æquè voluntarius relinquitur actus. Nam oppositum esse verum probatur sic in casû posito n. 41. Illud enim propensionis incremẽtum, per quod voluntas redditur magis inclinata ad consensum, quàm ad dissensum auget voluntarietatem consensûs. At, eo incremento sublato per puram carentiam ipsius, relinquitur consensus æquè voluntarius, ac eodem incremento posito: eo enim incremento sublato, dabitur æqualis indifferentia ad consensum, & dissensum, & consequẽter voluntarietas, quæ perditur, eo quòd consensus fiat cum minori propensione voluntatis, quàm antea, cõpensabitur, eo quòd fiat cum maiori libertate, quàm antea: ergo gradus est voluntarium augens in ratione voluntarij prædicatum illud, quo præcisè sublato per purum contradictorium ipsius relinquitur actus æquè voluntarius. ¶ Resp. Potest dupliciter dari prædictæ propensionis incrementum, *Primò* ita vt libertatis gradus, quem aufert, tantum conferat ad augendam voluntarietatem consensûs quantum ad id confert propensionis excessus, quem affert. *Secundò*, ita vt libertatis gradus, quem aufert, minus ad id conferat, quàm propensionis excessus, quem affert. In priori euentû, tale propensionis incrementum non auget voluntarietatem consensus; quia, quantum ponit iuuans ad acretionem, tantum adimit: vt non augeretur extensio, si vno palmo addito, adimeretur alius. Quapropter, mirum non est, quòd in hoc euentû, cæteris manẽtibus, & præcisè sublato eo incremento per puram carentiam ipsius, relinquatur actus ex capite libertatis æquè voluntarius, ac, eo incremento posito, voluntarius esset ex capite propensionis. In posteriori euentû, tale propensionis incrementum auget volũtarietatem consensûs: quia magis ponit, quàm adimit iuuans ad accretionem. At in eo euentû, ex præcisâ ablatione talis incrementi, nullo alio adiecto æquè, atque ipsum conducẽte ad accretionem voluntarietatis; non manet consensus æquè voluntarius, ac posito tali propensionis incremento.

43. Obiicies quartò. Libertas est actui voluntario extrinseca non constituens ipsum in ratione voluntarij; sed ipsi, vt voluntario, accidentalis. At nihil perficitur in aliquâ ratione per id, quod ipsi, prout in ea ratione constituto, acciden-

tale

tale est: vt homo non perficitur in ratione hominis per albedinem: ergo actus voluntarius non perficitur in ratione voluntarij per libertatem: & consequenter actus liber non erit, cæteris paribus, magis voluntarius, quàm necessarius. ¶ At in primis simili argumento probari poterit contra aduersarios, actum necessarium, cæteris paribus, non esse magis voluntarium, quàm liberum. Si enim actus liberè exercitus, est liber ab extrinseco; ita actus necessariò exercitus, erit ab extrinseco necessarius, de quo in sequentibus. Deinde, admissâ nunc maiore, de quâ disputabimus infra, dicatur ad minorem: non perfici rem *essentialitèr* in aliquâ ratione per id, quod extra eam rationem est; benè tamen *quantitatiuè*. Non quidem *essentialitèr*: quia perfectio essentialis rei dicitur illa, quæ ita est de quidditatiuo esse illiûs, vt nequeat res eius esse quidditatis nisi talem perfectionem intra se imbibendo. Benè tamen *quantitatiuè*, quia stat optimè rem independētèr ab aliquo adiuncto sortiri cōstitutiua sufficientia, vt ad aliquā rationem spectet; & tamen ex tali re, alioque adiuncto consurgere aliquid maiori de causâ pertinēs ad eam rationem. Sic extensio palmaris, independentèr ab additione secundi palmi, sortitur constitutiua sufficientia, vt ad rationem extensionis pertineat; & tamen ex eâ extensione, & additamento secundi palmi consurgit extensio maior, quę maiori de causâ ad rationem extensionis pertinet. Sic igitur, tametsi libertas extrinseca sit actui voluntario, vt voluntario, poterit propter rationes supra datas, ex eo actu vt voluntario, & ex libertate consurgere maius voluntarium.

44 Demùm oppones, malè nos tanquā certum statuisse num. 13. contingere posse, quòd aliquod voluntarium necessarium sit quantitatiuè magis volūtarium, quàm aliquod voluntarium liberum. Nam ex quocunque capite veniat necessitas actus voluntarij, talis actus erit minus perfectus in ratione voluntarij, quàm actus liber. Vel enim, necessitas amoris, v.g. prouenit ex Deo negante concursum ad oppositum, nolenteque, vt vllâ viâ impediatur amor; vel ex prædeterminatione Dei ad amorem; vel ex eo, quòd appareat maior bonitas in obiecto, quod necessariò amatur, amandum liberè, si tanta bonitas non appareret; vel ex eo, quòd eadem bonitas appareat clarius; eadem enim bonitas diuina, quæ liberè amatur, obscurè cognita per fidē; amatur necessariò clarè cognita per

visionẽ beatã. Quodcunque autẽ ex his eligatur, amor necessarius erit minùs perfectus in ratione voluntarij; quàm amor liber. Si eligatur primũ: quia tunc actus necessarius minus erit ab intrinseco, quã liber, & magis ab extrinseco, nempè à Deo negante concursum ad oppositum. Si eligatur secundum: quia tunc vrget eadem ratio: erit enim actus necessarius minus ab intrinseco, quàm liber; & magis ab extrinseco, nempè à Deo prædeterminante ad actum. Si aligatur tertium: nam illa attractio maioris bonitatis prouenit ab extrinseco, nempè ab obiecto: hoc enim est, quod mouet, trahit, & determinat, quanuis media cognitione intrinsecâ animo, vt conditione. Si eligatur quartum: quia voluntarium pensandum est per id, quòd fiat ab intrinseco ipsiùs voluntatis, vt condistinctæ à quolibet superaddito voluntati. Cum igitur quò magis fiat à cognitione superadditã voluntati, minus fiat ab intrinseco ipsius voluntatis, vt condistinctæ ab omni superaddito, consequens est, quò magis á cognitione fiat voluntarium, eò magis minui in ratione voluntarij, proindeque omne voluntarium liberum semper, & absolutè erit magis voluntarium, quàm necessarium.

45 Sic opponit P. Arriaga de Actibus hnmanis disp. 8. n. 23. & 24. Sed non vrget. Responsio fit. Actus necessarius (in nobis) procedit semper in aliquo sensũ magis quàm liber ab eo, quod extrinsecum est nostræ voluntati, id est, ab eã distinctum: cum hoc tamen benè stat, vt ex quocunque quatuor capitum assignatorum veniat necessitas, euadat interdum actus necessarius magis voluntarius, quàm liber. Ratio prioris, quæ benè tangitur in argumento, ea est: quia licet actus liber; & actus necessarius nostræ voluntatis in eo conueniant, vt ab intrinseco nostræ voluntatis oriantur; discrepant tamèn, quia liber nõ oritur ab alijs voluntati adiunctis, quæ ineluctabiliter determinẽt ad actum; sed solùm, quæ indifferenter moueant; necessarius verò procedit ab alijs voluntati adiunctis irrefragabilitèr determinantibus ad ipsum. Cum igitur, magis procedere dicatur effectus à causa vehementiùs, & efficaciùs causante; quàm à causante minus vehementèr, planè fit, in aliquo sensũ, actum necessarium potiùs, quam liberum procedere magis ab extrinsecis voluntati. Ratio posterioris petenda est ex dictis num. 13. Nam, ex quocunque prædictorum capitum veniat necessitas actus necessarij, bene stat, eum actum

om-

omnibus ponsatis, quæ ad rationem voluntarij pertinent, superare liberum, eò nimirum, quod longe libentius, & aduertentius, expressiùs volitum, & magis, secundùm se, & secundū circumstantias præcognitum, procedat à voluntate. Vide locum citatum.

DISPVTATIO TERTIA.

De voluntario, quod indirectum, vel omissiuum dicitur.

POst explicationem voluntarij, quod per positionem operationis exercetur, iure suo succedit exponendum, quod exercetur per omissionem eius operationis, quam omittimus potentes eam ponere.

CAP. I.

Quibusdam prænotatis statuitur ad voluntarium omissionis requiri potestatem ad ipsam euitandam.

1 TAmetsi non diffitear, non parum in præsenti de nomine disputari; non tamen hæc disputatio prætermitti debuit. Tum, quia multùm in scientijs ad veritates aperiendas referre solet vsurpatio nominum iuxta proprios, & legitimos rerum conceptus. Tum, quia grauiores quique Theologi præsentis disputationis obiectum exactè discutiunt. Præmitto primò. Duplex est in nostrâ tempestate celebris sententia circa rerum carentias. Prima censet, eas consistere, non solùm virtualitèr, & radicalitèr; sed etiam formalissimè in impedimento reali, & positiuo denominante impeditas quoad existentiam res non existentes. Hanc opinionem primus illustrauit egregiè vir ingeniosissimus P. Antonius Perez, eaque postea placuit innumeris RR. doctis, mihique probabilior, quàm opposita visa fuit in metaphysicis, eamque nouissimè probatam reperio apud doctum, & ingeniosum Patrem Sfortia Pallauicinum 1.2. disp. 3. de Voluntat. & inuo-

lunt.

lunt. q. 2. art. 5. à num. 7. Secunda censet, res positiuas, quæ non existunt, non deficere *formalitèr* per aliud positiuum oppositum ipsis essentialitèr; sed per *non esse* ipsarum, quod à bene concipientibus nequit per affirmationem monstrari, quod proinde nullo gaudet prædicato intrinseco, quòd ei possit per propositionem veram attribui. Vnde primò, non est esse aliquid; sed præcisè aliquid non esse, v.g. Petrum. Vnde secundò, ipsum dari (quamuis hæc ipsa sit abusiua locutio imaginationi vitiosæ innixa) præcisè est non dari Petrum: vnde non est aliud eiusmodi *non-esse* existere (quæ sunt etiam voces impropriæ) quàm Petrum non existere. Vnde tandem rebus existentibus quasi adiunctum non multiplicat numerum rerum; sed præcisè minuit numerum, qui daretur. Si Petrus insuper existeret.

2 Præmitto secundò. Disputatio nostra procedit iuxta secundam sententiam: cum enim innumerorum, magnorumq; virorum sit, non est dubium, quin sit valdè probabilis; cumque aliunde receptissima sit in scholis, nō oportet prætermittere quæstiones, quæ ex illius suppositione communitèr disputantur. Et quidem, iuxta priorem sententiam, non est cur seorsim disputemus (quodattinet ad voluntarium) de omissionibus, quibus actus voluntatis omittimus: cum enim eos omittamus, iuxtà eam sententiam, non alitèr quàm per alios actus oppositos, tota doctrina de voluntario circa positiuos actus tradita complectetur etiam omissiones, quin pro istis necesse sit nouam superaddere. ¶ Præmitto tertiò. Duplicitèr considerari potest *non-velle*; non quidem sumptum in vi vnius dictionis; sed in vi orationis, vt optime loquitur D. Thom. *hic q. 6. art. 3. ad secundum.* Primò, ita vt voluntas consideretur non volens *purè*: nempè præcisè carens actuali volitione: Secundò, ita vt consideretur non volens *mixtè*: scilicet nō solùm carens actuali volitione; sed etiam habens actū positiuum incompossibilē cum eâ volitione. Magna controuersia est: an quoties voluntas potens proximè amare non amat, non alitèr possit non amare, quàm mixtè: an etiam purè, quod inquiri solet sub his terminis. An sit possibilis pura omissio libera? Nos in præsenti non versamus hanc difficultatem; sed præcisè inquirimus principalitèr. An voluntatem *non-velle*, sumptum in vi orationis, possit habere rationem voluntarij, ita vt in hâc ratione non includatur essentialitèr actus

D.Tho.

volun-

Voluntatis incompossibilis cum volitione omissâ, siue talis actus aliàs detur, vel non detur, quamuis non intra rationem essentialem voluntarij omissiui?

3 Præmitto quartò. Volitionis omissio considerari potest voluntaria, vel in actu primo; vel in actu secundo. Non est aliud esse voluntariam in actu primo, quàm dari in voluntate potestatem, vt exerceatur, vel quasi exerceatur voluntariè: neque aliud est esse voluntariam in actu secundo, quàm exerceri voluntariè. Præsens quæstio est, an omissioni competere possit esse voluntariam in actu secundo, id est exerceri volūtariè. Porrò autem, quando quis v.g. non vult audire sacrum tria spectari solent. Primum: *Non-velle*. Secūdum: *Posse velle*. Tertium: *Teneri, vt velit*. Quæritur: an hæc omnia requirantur, & sufficiant, vt voluntas voluntariè in actu secundo se exerceat in non volendo? Requiri *non-velle* certissimum est. Requiri etiam *posse velle*, ferè ab omnibus supponitur ex D. Thom. hic quæst. 6. art. 3. Videri possunt inter alios eximius Doct. Franciscus Suar. de Volunt. & inuolunt. disput. 1. sect. 5. num. 3. & latius num. 13. P. Vazquez disp. 24. P. Præpositus q. 6. art. 3. dub. 2. P. Amicus disput. 3. sect. 3. num. 49. P. Sfortia sup. q. 2. art. 1. n. 1. omnesque alij; quos ego viderim, quibus mirum est se opposuisse Petrum Cornejo, per doctum sanè virum, ac D. Thomæ principijs addictissimum tractat. 4. disput. 1. dub. 10. conclus. 1. cuius non contemnenda fundamenta diruemus postea. *D. Tho. Suarez. Vazq. Præpos. Amic. Sfortia, Cornejo.*

4 Communis tamen sententia mihi est omnino vera. Quare dicendum est, omissionem non posse esse voluntariam absque potestate ipsam impediendi. Pro clariori intelligentiâ probationis, obseruandi sunt quatuor modi existendi à voluntate. *Primò*. Physicè. *Secundò* Moraliter. *Tertiò*, positiuè. *Quartò*, permissiuè. Existere physicè à volūtate est ab ipsa procedere per propriam strictam, & realem productionem, quâ producatur à voluntate. Sic, nostri actus positiui volendi, ac nolendi existunt à voluntate. Existere moraliter à voluntate, est sic se habere ad voluntatem, vt ratione talis habitudinis moueant rationabiliter ad effectus consimiles illis, quos actus pertinentes ad mores inducunt procedendo physicè à voluntate: cuiusmodi effectus sunt laus; vituperium, præmium, & pœna. Quæ sic existunt à voluntate dici etiam solent procedere ab illâ virtualiter, & interpretatiuè. *Virtualiter*,

liter: quia in ordine ad mouendum, vel ad omnes, vel ad aliquos, vel ad aliquem ex prædictis effectibus perinde se gerunt, ac si essent actus positiui pertinentes ad mores producti physicè à volũtate. *Interpretatiuè.* Quia effectus, ad quos mouent, scilicèt laus; aut vituperium, præmium; aut pœna, sunt aliquale fundamentum ad iudicandum, vel coniectandum processisse aliquid à voluntate inductiuum talium effectuum. Obseruentur hæc diligenter: non enim semel videmus, viros, alioqui doctissimos, falsissimis sententijs irretiri ex minùs, quàm oporteret, perspectâ significatione terminorum. Existere positiuè à voluntate, acceptum pro existere positiuè physicè, est illud, in quo cõsistere diximus, existere physicè ab illâ: acceptum autem pro existere positiuè moralitèr est illud, in quo consistere diximus, existere moralitèr ab eâdem. Tãdem existere permissiuè à voluntate est ita existere (adde propter carentias, *vel quasi existere*) vt possit voluntas ipsum impedire: ideo enim ego non permitto plurima peccata aliena, quia penès meam potestatem non est ea impedire.

5 Iam ergo nostra conclusio sic probatur. Omissio non potest esse voluntaria physicè, ac positiuè: quippè quæ nõ potest existere à voluntate per propriam strictam, & realem productionem, quâ producatur ab ipsâ. Solùm ergo potest esse volũtaria, vel moralitèr, vel permissiuè. At, neque moraliter, neque permissiuè potest esse volũtaria absque potestate ipsam impediendi. *Non quidem moralitèr*: illud enim, quod voluntas nequit impedire non potest rationabiliter nobis imputari siue ad laudem; siue ad vituperium, siue ad præmium; siue ad pœnam. *Non permissiuè*, quia illorum duntaxat existentiam permittimus, quæ sic existunt, vt ea non impediamus, cùm possimus impedire: ergo omissio nequit esse voluntaria absq; potestate ipsam impediendi. Id amplius roboratur ex argumentorum solutione, ex quâ etiam excluduntur responsiones, quæ adhiberi possent.

6 Obijcit primò Petrus Cornejo. Non solùm sunt voluntarij actus positiui liberi; sed etiam necessarij, vt patet in amore beatifico: ergo possunt esse voluntariæ non solùm omissiones liberæ; sed etiam necessariæ. Hoc argumentum bene ostendit probasse insufficienter nostram conclusionẽ Mag. Baptista 1.2, quæst. 6. art. 3. num. 17. ex eo præcise quòd sit necessaria omissio posita citra potestatem ipsam euitandi: difficultas

Baptista

cultas enim est, quomodo hæc necessitas excludat ab omissione rationem volũtariæ; siquidem similis necessitas non excludit ab actu positiuo rationem voluntarij. In primis respondeo. Ipse arguens ait conclus. 2. omissionem liberam non esse voluntariam citra præceptum ipsam impediendi; & tamen nõ requiritur præceptum, vt actus positiuus liber sit volũtarius. Quid ni ergo nos dicamus, potestatem impediendi omissionẽ requiri, vt hæc sit voluntaria; non tamen requiri potestatem impediendi actum, vt hic sit voluntarius? Tandem, concesso antecedente, negatur consequentia. Discrimen est. Nam actus positiuus, citra potestatem voluntatis ad impediendum ipsum, existit physicè, & positiuè à voluntate, reliquisque non caret ad voluntarium petitis; at omissio, citra potestatem impediendi ipsam; neque physicè; neque moraliter; neque positiuè; neque permissiuè existit à voluntate, vt patet ex dictis.

7 At, ex eodem Autore replicabis, & obijcies secundò difficilius. Voluntas ex intrinsecis, certis quibusdam cognitionibus positis, determinari potest ad omissiones aliquorum actuum; citra potestatem euitandi eas omissiones: ergo, citra talem potestatem, istæ erunt voluntariæ, quippè, quæ ab intrinsecis voluntatis sectantis ductum cognitionis. Antecedens probatur. Tum; quia voluntas beati, citra potestatem ponendi affectus turpes, determinatur ex visione beatâ ad ipsorum omissiones, quas euitare nequit. Tum, quia, positâ notitiâ, per quam appareat obiectum, vt omnino impossibile, determinatur voluntas ad omittendam intentionem efficacem eiûs obiecti, cumque nõn possit tunc eam intentionem ponere, neque potest eiûs omissionem euitare. Tum, quia, positâ notitiâ, per quam obiectum appareat, vt purè malum, ac disconueniens, voluntas necessitate constringitur, vt sequens ductum eiûs notitiæ omittat affectus prosecutiuos eius obiecti. Determinatur ergo per cognitiones ad omissiones, quas, eis cognitionibus positis, nequit euitare. Confirmatur. In beatis est necessaria omissio odij Dei; & tamen est voluntaria; quia sequitur ad cognitionem claram diuinæ bonitatis, & ad amorem volunrarium eiusdem: ergo conciliari possunt in omissione voluntarietas, & necessitas.

8 Huius argumenti responsio, quæ mihi placet, his verbis continetur. Omissio, quam voluntas nequeat impedire, poterit existere à voluntate, prout certis cognitionibus instructâ,

logi-

logicè quidem; non verò physicè formalitèr, vel virtualitèr; positiuè, aut permissiuè. Non autem sufficit ad rationem voluntarij causalis existere purè logicè à voluntate prout certis cognitionibus instructâ, ideòque omissio, quam voluntas nequeat impedire, non potest suscipere rationem voluntarij causalis. Explicatur. *Primò*. Non potest existere à voluntate physicè formaliter, aut virtualiter(id est moralitèr)positiuè; vel permissiuè ea omissio, quam voluntas nequit impedire, vt probatum est num. 5. *Secundò*. Potest existere logicè à voluntate, prout certis cognitionibus instructâ ea omissio, quã voluntas nequit impedire. Nam ex voluntate, prout sic instructâ, infertur talis omissio per bonam consequentiam logicam. Nam omissiones, quæ necessariæ sunt in exemplis adhibitis num. 7. inferuntur per bonam consequentiam ex voluntate, vt instructâ notitijs ibi commemoratis. *Tertiò*. Existere logicè à voluntate, prout certis notitijs instructâ, non sufficit ad rationem voluntarij causalis in actu secundo. Tum, quia nomine voluntarij causalis in actu secundo, non aliud intelligitur ab Autoribus, quorum iudicio standum est in acceptione terminorum, nisi quod procedit physicè à volũtate; vel se gerit, ac si sic procederet in ordine ad effectus recensitos num. 4. Tum, quia datâ opinione Scoticâ, quòd visio beata infundatur à solò Deo sine concursû actiuo intellectûs creati, similiterque à solo Deo infundatur amor beatificus sine concursû actiuo voluntatis creatæ, inferetur per bonam consequentiam amor circa Deum ex voluntate, prout coniunctâ cũ visione beatâ: & tamen nullus dixerit eum amorem suscipere in eo casû rationem voluntarij causalis.

Scotus.

9 Hinc ad confirmationem respondetur. In beatis omissio necessaria odij est voluntaria in radice logicâ sui; nempè in amore, ex quo infertur logicè; non tamen ea omissio, formaliter in se ipsâ accepta, vt condistincta ab amore, ex quo infertur logicè, est voluntaria; neque sequitur physicè siue ex visione clarâ diuinæ bonitatis; siue ex ipsius bonitatis amore: quia sequi physice ex his est physice procedere ex ipsis: carentiæ autem cum nihil sint, vt condistinctæ â fundamentis positiuis, incapaces sunt, vt ab vllo physicé procedant, quatenus sic condistinctæ. ¶ Si autem insistas, non procedere propriè, & strictè à voluntate, quod non procedit physice, & formaliter; sed solùm moraliter, virtualiter, & interpretatiue; & ta-

tamen hanc qualē qualē processionē sufficere ad voluntariū: Similiter ergo sufficiet ad voluntarium procedere logice à voluntate vt vt sit hæc processio, tametsi non sit propria, & stricta. Responsio erit negare consequentiam. Nam, vt dicebam num. 8. standum est Autorum iudicio in acceptione terminorum: intelligunt autem, sub nomine voluntarij id etiam, quod à voluntate procedit physice virtualiter; non vero, quod procedit pure logicè: atque id optimo fundamento nititur. Nam tractationem de voluntario præcipue instituunt in ordine ad mores, & in ordine ad istos non solum habendæ est ratio eorum, quæ proprie, & stricte procedunt à voluntate; sed eorum etiam, quæ in ordine ad mouendum ad laudem; vel vituperium, ad præmium; vel pœnam perinde se gerunt, ac si propriè à voluntate procederent.

CAP. II.

An vt omissio sit voluntaria requiratur præceptum impediendi illam?

10 VErb. gr. An vt voluntarium sit non velle audire sacrum, requiratur præceptum obligans ad volendū audire. Non requiri tale præceptum opinantur Almainus, Palatios, Angestus, & Durand. quos referunt, & sequuntur Gamachæus q. 6. cap. 2. §. *Tertiò addimus*. Malder. disp. 28. §. 3. *vt omissio*. Montesinos disp. 9. quæst. 4. Pascualig. de Voluntario disp. 14. sect. 6. Aluarez disp. 34. Gregorius Martinez 1. 2. quæst. 6. art. 3. dub. 1. conclus. 2. quanuis suspicetur, & sanè iure optimo, vt videbimus, oppositam sententiam esse magis conformem litteræ D. Thom. Ioannes à S. Thom. hic disp. 1. § *Hæc secunda sententia*. Fœlix de Actibus hum. cap. 1. diffic. 5. Auersa hic sect. 6. Ex nostris P. Valent. 1. 2. disp. 2. q. 1. punct. 1. P. Suar. de Voluntar. disp. 1. sect. 5. P. Vazq. disp. 24. cap. 3. à n. 7. P. Salas q. 6. disp. 1. sect. 3. P. Granado hic disp. 3. P. Gaspar Hurt. disp. 1. diffic. 6. P. Præposit. 1. 2. q. 6. art. 3. dub. 3. P. Amicus de Voluntar. disp. 3. sect. 3. n. 49. P. Arriaga de Actibus hum. disp. 8. sect. 5. P. Obiedo contr. 1. punct. 5. ¶ At verò, tale præceptum requiri ad hoc, vt omissio sit voluntaria in actu secūdo censent Caietan. Conrrad. referturque Medina, qui tamen loquitur de omissione culpabili,

Almai. Palat. Angest. Durād. Mald. Montes. Pascual. Aluar. Marti. A S. Th. Fœlix. Auersa Valent. Suarez Vazq. Salas Granad. G. Hur. Præposi. Amicus Arria. Obiedo.

bili. D. Antoninus Nauarr. Siluius, P. Azor, quos referunt, & sequuntur Lorca disp. 2. §. *Vtraque tamen sententia.* Curiel dub. 2. §. 3. conclus. 2. Petrus Cornejo tract. 4. disput. 1. dub. 10. conclus. 2. Viguer. cap. 3. §. 4. Putean. 1. 2. quæst. 6. art. 3. Carmelitani Salmant. 1. 2. tract. 10. disp. 4. dub. 2. num. 39. Ioannes Ildephonsus Baptista hic disput. 79. num. 42. Marcus Serra 1. 2. quæst. 6. art. 3. dub. vnico, & quod caput est D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 3. Quem pro hac sententia stare sic probo cum alijs.

Caietan. Corrad. Medina D. Ant. Nauar. Siluius. P. Azor Lorca. Curiel. Cornejo. Viguer. Putean. Carmel. Baptista Serra D. Tho.

11 Sic enim ait D. Thom. in corp. eius art. *Quia igitur voluntas volendo, & agendo potest impedire hoc, quod est non velle, & non agere, & aliquando debet: hoc quod est non velle, & non agere, imputatur ei, quasi ab ipsa existens.* Ex quibus verbis sic argumentor. Id, quod necesse est, vt *non velle* reducatur in voluntatem, quasi ab ipsâ voluntate existens, necesse est vt *non velle* sit voluntarium. Sed ad illud prius necesse est, iuxta D. Thom. quòd voluntas possit, & debeat impedire hoc, quod est non-velle: ergo id ipsum necesse est ad hoc, vt non velle sit voluntarium. Consequentia tenet. Maior est certa. Minor autem videtur satis expressa verbis D. Thomæ iam relatis. Et, vt excludantur solutiones, quæ adhiberi solent, confirmatur hoc primò. Illud voluntarium omissiuum, de quo hic loquitur S. Doct. significat exposcere potestatem, ac debitum impediendi ipsum. At, hic loquitur de voluntario in genere, prout præscindit à culpabili, & non culpabili, acturus in sequentibus de culpabili: ergo non solum voluntarium omissiuum culpabile; sed etiam voluntarium omissiuum in genere postulat potestatem, ac debitum impediendi ipsum. Confirmatur secundò. Aliud est imputari voluntati *quasi ab ipsa existens*; aliud quasi ab ipsa culpatè existens. Primum, est illi tribui quasi causæ. Secundum, est illi tribui quasi causæ peccanti. Primum dicit voluntarium in genere. Secundum dicit voluntarium prauum. At Angelicus Præcept. petit potestatem, ac debitum impediendi omissionem, vt hæc imputetur voluntati, quasi ab ipsâ existens: ergo non solùm, vt sit voluntaria prauè, vtque voluntati tribuatur, vt peccanti; sed etiam, vt sit voluntaria præscindendo à prauitate, vtque voluntati tribuatur, vt causæ.

12 Mag. Ioannes à S. Thom. supra vers. *Resp. ergo mentem D. Thom.* vt his occurrat, ait primo, & quidem optimè, inten-

A S. Th.

intentum D. Thom. in eo artic. esse, quòd aliquando detur voluntarium, quantum est ex sua specie, sine vllo actu voluntatis. Ait secundò D. Thomam ad huius intenti probationem sumpsisse aliqua, quæ notum est nobis esse imputabilia ad culpam, abstrahendo ab actu voluntatis: vt submersio nauis, quæ contingit ex eo, quòd non illam dirigat nauta, cui talis directio commissa est, posset que dirigere. Item ipsa directionis omissio, hæc enim abstrahendo ab actu voluntatis imputantur nautæ ad culpam. Tandem ait, sic rectè processisse D. Thom. quia, licet non omne voluntarium sit imputabile ad culpam; conuersim tamen notissimum nobis est, omne imputabile ad culpam esse voluntarium. Quamobrem, ex eo, quod aliqua sint imputabilia ad culpam absque actu voluntatis; optimè infert D. Thom. dari aliquando voluntarium sine actu voluntatis, quod erat intentum. Non ergo siue hic, siue alibi docuit vniuersalitèr D. Thom. ad voluntarietatem omissionis requiri potestatem, ac debitum euitandi ipsam; sed ex eo, quòd præscindendo ab actû voluntatis sit imputabilis ad culpam, quandò talis potestas, & præceptum adsint, rectè intulit suum intentum; nempè, non esse vniuersalitèr de ratione voluntarij actum voluntatis.

13 Hæc solutio speciosa est; quæ tamen mihi videtur extorta; & sic forsan videretur Thomistis, si ego essem solutionis author. Nam *Primò*, sine fundamento statuitur, D. Thomam sumpsisse hîc *imputabile*, prout est inferius voluntarij in genere: nimirum, prout quid magis dicens, quam reduci in voluntatem, vt causam. Nam, si aliquod esset fundamentum non aliud, quàm vsum fuisse verbis illis *aliquando debet.... imputatur ei.* Hoc autem fundamentum est nullum. Nam eisdem verbis vtens *1.2.q.79.art.1.in corp.* non loquitur de imputabili alicui vt peccanti; sed de reducibili in ipsum, vt in causam: ibi enim tractans, non quomodo Deus non sit peccans; sed quomodo non sit causa peccati, hæc habet aurea verba: *Vnde non potest directè esse causa peccati. Similitèr etiam, neque indirectè: contingit enim quod Deus aliquibus non præbet auxilium ad euitandum peccatum, quod si præberet non peccarent: sed hoc totum facit secundum ordinem suæ sapientiæ, & iustitiæ, cum ipse sit sapientia, & iustitia. Vnde, non imputatur ei, quòd alius peccet SICVT CAVSÆ PECCATI: sicut gubernator non dicitur causa submersionis nauis ex hoc, quòd* S. Tho.

non gubernat nauem nisi quando subtrahit gubernationem, potens, & debens gubernare. Vides idem significare apud D. Th. *non imputari alicui, vt causæ*, atque non reduci in ipsum, vt in causam. Vrgetur hoc conferendo inter se verba illa: *imputatur ei, quasi ab ipsa existens*: & illa: *non imputatur ei sicut causæ peccati.* Sicut imputari alicui *sicut causæ peccati* est ipsi imputari sicut causanti peccatum; ita imputari aliquid voluntati, *quasi ab ipsa existens* est ipsi imputari tanquam causanti existentiam. At, primum non sonat duntaxat non esse causam peccati peccando; sed simpliciter nō esse causam: ergo secundum nō sonat præcisè non esse causam, aut quasi causam existentiæ peccando; sed simpliciter non esse causam existentiæ.

14 *Secundò.* Nam ipse Magist. Ioannes à S. Thom. vers. *Hæc sententia videtur sine dubio esse D. Thom.* loquens de sententiâ affirmantium, requiri præceptum, non solùm ad hoc, vt euentus ortus ex omissione sit omittenti imputabilis ad culpam; sed etiam vt sit voluntarius, censet eam sentētiam absque dubio esse D. Thom. sed dicat nobis quare ipse Mag. à S. Thom. *Sensus*, ait, *D. Thom. sumitur ex hac q. 6. art. 3. vt supra ponderatum est, cum dicit, quod id quod sequitur ad defectum actionis* (id est ad omissionem) *non reducitur in agens tanquam in causam, nisi tunc solum, quandò potest, & debet agere.* Subiungi à S. Thom. *Sed reduci in voluntatem, vt in causam est esse voluntarium: ergo tunc solùm, &c.* Iam sic argumentor. Sicut euentum ortum ex omissione reduci in voluntatem, vt in causam, est eum effectum tribui voluntati, vt causæ; sic omissionem imputari voluntati quasi ab ipsâ voluntate existentem est voluntati tribui, vt causæ, vt ex ipsâ rei veritate, & ex phrasi D. Thom. constitit num. 13. Deinde, sicut euentum tribui voluntati, vt causæ est esse voluntarium; ita omissionem tribui voluntati, vt causæ est esse voluntariam, ac tandem, sicut in præsenti art. postulat D. Thom. præceptum ad hoc vt euentus reducatur in voluntatem sicut in causam; ita ipsum postulat adhoc, vt omissio imputetur voluntati, quasi ab ipsâ existens. At, propter hæc prædictus euentus non est voluntarius, iuxta D. Thom. secluso præcepto: ergo propter eadem prædicta omissio non erit voluntaria, secluso præcepto.

D. Tho. 15 *Tertiò.* Legantur obsecro verba hæc D. Thom. simul

sump-

sumpta. *Sed sciendum, quòd non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo, quod non agit: sed solùm tunc cum potest, & debet agere: si enim gubernator non posset nauem dirigere, vel non esset ei cõmissa gubernatio nauis NON IMPVTARETVR EI nauis submersio, quæ per absentiam gubernatoris contingeret.* Iam sic arguo. Vel illis terminis *non imputaretur ei* significat D. Thom. non reductionem ad voluntatem, vt causam; vel non imputationẽ voluntati ad culpam? Si primum, iam in ipso testimonio huius art. pro eodem capiuntur imputatio voluntati, & reductio ad voluntatem, vt causam; non autem, vt vult Ioan. à S. Th. primum tanquam ratio inferior; & secundum tanquam ratio superior. Si dicatur secundum: ergo perperàm probat D. Th. à negatione imputationis voluntati negationem reductionis ad voluntatem, vt causam, quippe quod esset arguere à negatione rationis inferioris ad negationẽ superiorem. Propterea Gregorius Martinez, ab Angelici Præceptoris discedens sententiâ, verius, & magis ingenuè fatetur, oppositam videri cõformiorem litteræ D. Thomæ, cuius Sanctissimi Doctoris sententiam libentissimè amplector de more meo. Pro cuius explicatione, vt à facilioribus incipiam.

16 Sic *Prima conclusio.* Ad hoc, vt omissio sit indirectè, ac virtualitèr voluntaria sufficit sic existere, vt voluntas possit, ac debeat ipsam euitare. In hac assertione conueniunt omnes, & est citra controuersiam penetratis terminis. Nam illud est indirectè saltem, ac virtualitèr, moralitèr, & interpretatiuè voluntarium (omnes isti termini in idem recidunt) quod sic existit, vt voluntas, quanuis ipsum non efficiat, possit tamen impedire, tribuaturque voluntati, vel ad laudem; vel ad vituperium, vel ad præmium; vel pœnam. At omissio sic existens, vt voluntas possit, ac debeat ipsam euitare, ita se habet, vt existat potens à voluntate impediri, tribuiturque voluntati ad vituperium, & pœnam: ergo omissio sub eis cõditionibus existens sortitur, quod sufficit, vt sit voluntaria indirectè, ac virtualitèr. Non oportet amplius hîc immorari.

17 Sit *secunda conclusio.* Ad hoc, vt omissio sit indirectè, ac virtualitèr voluntaria, non sufficit præcisè sic existere, vt possit voluntas ipsam euitare. Num, verò id, quod vltra requiritur sit obligatio ipsam impediendi, dicemus in tertiâ cõclusione. Pro hac nostrâ cõclusione stat Angelicus Præcep-

tor; omnesq; authores, quos pro secunda sententiã retulimus, n. 10. Probatur nũc à posteriori probãda cap. seq. à priori. Sic formo rationem. Non sufficit adhoc, vt omissio sit voluntaria in genere causali (in quo genere loquimur nunc) quòd sit à voluntate purè permissiuè. At sic existere, vt possit voluntas ipsam euitare, si præcisè sumatur, est à voluntate existere purè permissiuè: ergo sic existere, &c. præcisè acceptum non sufficit ad hoc, vt omissio sit voluntaria in genere causali. Maior patet. Nam malitia formalis peccati est permissiuè à voluntate Dei: cum igitur non sit Deo voluntaria in genere causali, planè fit non sufficere ad voluntarium causale, quòd sit à voluntate purè permissiuè. Minor etiam videtur certa. Nam, si terminis non abutaris, non est aliud purè aliquid permittere, quàm circa illud se habere non strictiori influxu, quàm non impediendo ipsum cum potestate impediendi. Si igitur præcisè sumatur sic omissionem existere, vt voluntas eam non impediat potens impedire, non alitèr omissio existit à voluntate, quam purè permisiuè.

18 Confirmatur, & explicatur primò. Nam ex eo, quòd omissio praua, formaliter vt praua non existat strictiùs à voluntate diuinâ, quàm non impediendo ipsam cum potestate impediendi, ideo existit purè permissiue á voluntate Dei; proindeque non existit voluntariè in genere causali. At, in casu nostræ conclusionis omissio non praua non existit strictiùs à nostrâ voluntate, quàm non impediendo ipsam cum potestate impediendi: ergo in eo casu existit pure permissiue à nostra voluntate; proindeque non existit voluntariè in genere causali. Confirmatur secundo, sumendo ex aduersarijs id, quod plerique fatentur, de quo disputabimus infra, nempe euentum positiuum ortum ex omissione inculpatâ non esse voluntarium omittenti, tametsi possit eam omissionem impedire: v.g. submersio nauis orta ex eo, quod Petrus inculpatè omiserit gubernationem, quam exercere posset, non est Petro voluntaria. Tunc sic. In isto casu, submersio cõparata cum Petro omittente gubernationem indebitam non est terminus potestatis causatiuæ submersionis, & stricte causantis; sed præcise terminus potestatis permissiuæ non impedientis submersionẽ. Deinde in casu nostræ cõclusionis

nis omissio, vt condistincta à fundamentis positiuis, non est terminus voluntatis, vt habentis potestatem strictè causatiuam omissionis, & strictè causantis ipsam, quippè omissio, vt sic accepta, incapax est, vt strictè causetur; sed est terminus voluntatis, vt habentis potestatem permissiuam ipsiûs, & non impedientis ipsam cum impedire possit: solumque est discrimen, quòd submersio causatur strictè ab aliquibus causis; à nullâ vero causatur strictè omissio propter incapacitatem, vt strictè causetur. Hoc autem discrimen, si rectè spectetur, non præstat, vt magis omissio reducatur in voluntatē, vt causam, quam submersio; sed, vt magis submersio reducatur in aliquam causam, quam omissio: ergo in nostro casû tàm non est omissio voluntaria causalitèr, quàm in tuo casu submersio. Hæc firmiora euadent ex cap. seq.

CAP. III.

Probatur à priori nostra conclusio.

19 VIdi apud Autores nostræ conclusionis nonnullas rationes, quibus eam probant, quas vel absolutè censeo inefficaces; vel saltem, si non reducantur ad nostram. Vt, eam clarius, & breuius efformē, præmitto duo, quæ mihi sunt ex metaphysicis verissima, satisque videntur lumine naturæ nota. *Primum est*, id, quod per se, & essentialitèr est inutile ad existentiam alteriûs, non posse esse illiûs causam. Nam de conceptû essentiali causæ est conducentem esse ad existentiam effectûs, reddereque effectum propinquiorem ad existendum, cœteris paribus, quàm si talis causa non daretur in rerum naturâ. Id, quod ex ipsis terminis, & ex inductione causarum omnium videtur perspicuum. *Secundum est*. Inutilis est per se, & essentialiter voluntas creata ad hoc, vt existat carentia operationis dependentis essentialitèr ab ipsâ voluntate, loquendo de carentiâ, vt ab omnibus fundamentis positiuis cōdistinctâ, quam descripsimus num. 1. Ratio mihi est. Nam illud est ad existentiam alteriûs inutile per se, & essentialiter, cuius purum *non - esse*, cæteris paribus, æquè, vel magis prodest ad eam existentiam. Sed ad existentiam carentiæ operationis dependentis essentialitèr à volūtate creatâ magis prodest, cæteris paribus, purum *non esse* volun-

tatis creatæ, quàm ipsa creata voluntas: ergo hæc est inutilis per se, & essentialiter ad existentiam eiùs carentiæ. Minor, in quà stat difficultas, probatur. Nam existere purum *non-esse* voluntatis creatæ infert essentialiter existere *non esse* operationis eius voluntatis : valet enim per locum ab intrinseco * Non existit voluntas : ergo non operatur * At vero existentia voluntatis non infert defectum suæ operationis: stat enim voluntatem existere, & operari: ergo, per se, & essentialitèr loquendo, propinquior est ad existendum carentia prædictæ operationis, cœteris paribus, non existence voluntate, quàm eâ existente: & quod hinc sequitur, ad existentiam carentiæ operationis prædictæ, magis prodest, cæteris paribus, purum *non-esse* voluntatis creatæ; quàm ipsa creata voluntas. Ex quibus nostra conclusio.

20 Probatur sic. Omissiones nostræ, vt condistinctæ à fundamentis positiuis, nequeunt esse voluntariæ in genere causali, nisi nostra voluntas causet ipsas, vel physicè, ac formalitèr vel moralitèr; ac virtualitèr. At nullo ex his modis potest ipsas causare ex eo præcisè, quód ipsæ existant, possitque voluntas ipsas impedire: igitur hæc præcisè sumpta non sufficiunt, vt sint voluntariæ in genere causali. Maior est apud disputantes indubitata. Minor, quoad physicam, & formalem causationem probatur ex prænotatis numero 19. quia, cum voluntas per se, & essentialitèr sit inutilis ad existentiam talium carentiarum, vt probatum est; nequit esse physicè, ac formalitèr causa ipsarum. Deinde probatur quoad moralem, & virtualem causationem. Nam moraliter, ac virtualiter causari stat in eo, quòd ad vituperium, & pœnam imputentur voluntati; vel contrà ad laudem, & præmium. Ad primum autem requiritur, præter prædicta, obligatio impediendi ipsas; ad secundum verò positiuus actus voluntatis, quo ex honesto motiuo determinentur ad existentiam, vt cum communiori, ac verâ sententiâ D. Thomæ probabimus, Deo dante, tractatu demerito: ergo, &c.

21 Dices primò. Quandiu voluntas potens operationem exercere, omittit ipsam, hæc omissio est à voluntate tanquam à non ponente prohibens, quod ponere posset, scilicet tanquam à non ponente operationem, quæ, si poneretur, impediret omissionem eiùs operationis, atque id sufcit

ficit, vt omissio sit voluntaria. Sed contra *primò*. Quia totum hoc non transilit terminos se habentis purè permissiuè circa omissionem, vt constat ex numer. 17. & 18. ex quibus etiam constat, non sufficere ad voluntarium, quòd voluntas se habeat purè permissiuè circa ipsum. *Secundò*. Nam, vt infra videbimus, plerique aduersariorum existimant, euentum ortum ex omissione actionis, quam exercere quis non tenetur, vt impediat eum euentum, non esse tali omittenti voluntarium; & tamen, tunc voluntas non ponit operationem, quam potest ponere, & quæ, si poneretur, impediret eum euentum: ergo cum potestate ad ponendum id, quod aliud impediret, non ponere ipsum, insufficiens est ad hoc, vt illud aliud sortiatur rationem voluntarij. Recognosce n. 18. *Tertiò* Nam, si benè res consideretur, complexum hoc * Voluntatem potentem non ponere operationem, quæ omissionem eius operationis impediret, talem operationem non ponere * duo importat: aliud ex parte potestatis, nempè ipsam potentiam ad positionem talis operationis; aliud ex parte exercitij, vel quasi exercitij in actu secundo: nempe non *ponere talem operationem*. Atqui, adhoc est essentialitèr inutilis voluntas, & id, ad quod voluntas est essentialitèr inutilis non est physicè, & formalitèr voluntarium: quæ omnia constant ex præcedentibus; ergo quidquid se tenet ex parte actus secundi non est physicè, ac formalitèr voluntarium in casu nostræ conclusionis: aliunde neque voluntarium est moraliter, virtualitèr, & interpretatiuè, vt probatum est num. 20. ergo nullo modo est voluntarium in genere causali.

22 Dices secundò, voluntatem esse vtilem, vt ipsi voluntati sit libera carentia suæ operationis. Si enim voluntas non existat, implicat ipsi esse liberam talem carentiam. Vnde libera omissio operationis non desciscet à ratione voluntariæ ex eo, quod voluntas sit inutilis ad ipsam. Sed contra hanc solutionem vrgent eadem, quæ contra præcedentem. Tum, quia non est aliud in casû conclusionis omissionem esse liberam, quam non impediri à voluntate impedire potente, cumque id non transiliat terminos puræ permissionis, non sufficit ad voluntarium causale. Tum, quia, quando submersio contingit propterea quod omittit quis gubernationem indebitam, vtilis est voluntas huius homi-

[illegible] ad hoc, vt talis submersio sit ipsi libera, vel quasi libera permissiuè; & tamen talis euentus non censetur tali omittenti voluntarius in genere causali: ergo prædicta voluntatis vtilitas ad aliquid, insufficiens est, vt hoc aliquid sit voluntarium. Tum, quia complexum hoc * Omissio voluntati libera * non est aliud, quàm substantia, vt sic loquar, omissionis cum voluntate potente ipsam euitare. Iam, ex parte actus secundi se præcisè tenet substantia omissionis, ad quam voluntas est omnino inutilis; aliud vero se tenet ex parte potestatis, & actus primi: ergo nihil se tenens exparte actus secundi est voluntarium in genere causali.

23 Explicatur. Aliud est voluntatem esse vtilem, quasi in genere causæ formalis, ad hoc, vt aliquod extremum aliquam denominationem suscipiat. Aliud esse vtilem, quasi in genere causæ efficientis, ad hoc, vt tale extremum detur in rerum naturâ secundum se sumptum, vt condistinctum à denominationibus sibi accessorijs. In primo genere nostra voluntas, vt instructa cunctis prærequisitis ad operationem, vtilis est ad hoc, vt operationis omissio suscipiat denominationem liberæ, vel quasi liberæ voluntati. Rursus in eo genere, voluntas omittentis indebitam directionem nauis, vtilis est prout instructa prærequisitis omnibus ad euitandam submersionem per exhibitionem gubernationis, ad hoc, vt ea submersio tali omittenti permissiuè libera censeatur. Ad hæc. In eodem genere voluntas diuina, prout instructa prærequisitis omnibus ad euitandam malitiam formalem nostri peccati, vtilis est, vt ea malitia suscipiat denominationem permissæ à Deo. In his tamen casibus, neque Dei voluntas, neque nostra vtiles sunt in genere causæ efficientis ad hoc, vt vel carentia, vel submersio, vel malitia existant acceptæ secundùm se, vt condistinctæ à denominationibus sibi accessorijs: quemadmodum vtiles sunt ad hoc, vt sic existant effectus alij positiui fluentes ab ipsis: Cum igitur ad voluntarium causale requiratur hæc posterior vtilitas ad *esse* illiùs, quod voluntarium est; non verò sufficiat vtilitas illa prioris generis ad denominationem accessoriam, consequens planè est, eam voluntatis vtilitatem, quam excogitat solutio, insufficientem esse ad voluntarium causale.

24 Eas-

14. Eandem patiatur impugnationes necesse est id, quod tertiò dici solet, nempè dupliciter spectari posse carentiam, quâ voluntas omittit suam operationem. *Primò* in ratione puræ negationis, Et hoc modo nihil est aliud, quàm purum *non esse* talis operationis, siue existat voluntas proximè apta ad exercitium talis operationis, siue neque sic, nec vllo alio modo existat: & ad carentiã sic acceptã prorsus est inutilis voluntas, vt existens; ideòque carentia sic accepta non est voluntaria causaliter. *Secundò* in ratione priuationis: & hoc modo est deficere operationem à voluntate quando hæc est proximè apta, vt eam operationem exerceat. Cum igitur, ad hoc vt voluntas hoc modo suam operationem omittat necessaria sit existentia voluntatis, proindeque vtilissima, plane fit, non posse tali priuationi deesse rationem voluntariæ ex defectû talis cõducentiæ voluntatis ad ipsam. Hæc, inquam, solutio patitur easdem impugnationes. Tum, quia voluntatem proximè potentem impedire omissionem (id est operari) non impedire talem omissionem est præcisè illam permittere, si ab omni alio præscindas. Tum, quia dari positiuum euentum ortum ex omissione; & aliunde dari in voluntate potestatem proximam ad impediendum eum euentum, non sufficit, iuxta aduersarios, vt talis euentus sit voluntarius in genere causali: ergo similiter dari carentiam operationis; & aliunde dari in voluntate potestatem proximam ad impediendam eam carentiam, id est ad exercitium operandi, non sufficiet, vt ea carentia sit voluntaria in genere causali. Tum, quia priuatio operationis in ratione priuationis dicit duo: & ipsam carentiam secundũ se spectatam, vt condistinctam à quolibet alio; & potestatem proximam voluntatis ad operationem. Hoc secundũ ex parte potestatis, & actus primi. Illud primum ex parte actus secundi. Atqui ad illud primum inutilis est voluntas, vt toties vidimus; ergo inutilis est ad omne, quod consideratur ex parte actus secundi; proindèque nihil se tenens ex parte actus secũdi voluntarium erit in genere causali. Tandem, quia, si res benè consideretur, voluntas, vt potens proximè operari, vtilis quidem est quasi in genere causæ formalis, vt exhibeat carentiæ operationis denominationem priuationis; non verò, quasi in genere causæ efficientis, vt carentia secundùm se sumpta, præscindendo à denominationibus ipsi accessorijs detur in rerum naturâ. Oporteret autem hoc secundum; non verò præ-

cisè

cisè illud primum esse verum, ad hoc, vt talis carentia ratione causaliter voluntariæ indueret.

25 Propterea quartò cum nonnullis finges carentias essentialitèr liberas, nempè, quæ non solùm, quoad denominationem ipsis accessoriam, requirant voluntatem, vt proximè potentem ipsas impedire per operationem; sed etiam, quæ ex suis intrinsecis, & essentialibus prædicatis indispensabiliter requirant voluntatem, vt instructam potestate proximâ iam assignatâ. Patet autem ad has carentias, etiam secundùm se spectatas, vtilissimam, imò & omninò necessariam esse voluntatem, & consequenter cadere nequeunt à ratione voluntarij ex inutilitate voluntatis ad ipsas. Hæc tamen solutio falsa est, vt amplius constabit ex dicendis infra de libertate. Nam hæc doctrina, solùm carentiarum nomen carentijs relinquit, & ad entia positiua transfert. Si enim eiusmodi carentiæ suis gaudent prædicatis intrinsecis exigentibus existentiam voluntatis, vt instructæ potestate ad euitandas ipsas, iam in nihilo differunt ab entibus positiuis. Iam conceptæ legitimè poterunt affirmatiuè monstrari, attribuendo ipsis eiusmodi prædicata intrinseca. Iam, vt existant non requirent purè, ac præcisè non existere operationem, quam remouent, quæ omnia sunt contra obiectum purè, putèque negatiuum cum nullo positiuo identificatum. Præterea, semel admissis carentijs cum nullo positiuo idẽtificatis, quis implicationem in eo inueniat, quòd nostrarum operationum carentiæ iam sint nobis necessariæ, iam non-necessariæ, prout possimus; aut non possimus ipsas impedire? Huiusmodi autem carentiæ, de quibus duntaxat est quæstio, non erunt in genere causali voluntariæ eo præcisè, quód sic dentur, vt ipsas impedire possimus, vt probatum est.

26 Denique, poterit quis probabiliter sic ratiocinari. Voluntas non est vtilis *absolutè, & simpliciter* ad carentiã suæ operationis, vt benè probarunt superiora. At *ex suppositione*, quòd voluntas mediâ propositione obiecti alliciatur ad amorem ipsius, vtilis est, prout instructa cogitatione retrahẽte ab amore, ad carentiam amoris. Nam ex eâ suppositione non aliter dari potest omissio amoris, quàm eo quòd voluntas reuocata in actu primo ab amore, eoque ipso inclinata ad omissionem amoris; hunc amorem omittat. Quapropter, etsi carentia amoris non possit esse voluntaria seorsim ab eo, quòd

detur

detur voluntas allecta ad amorem; benè tamen ex hâc suppositione. Sic olim ratiocinabar pro prima sententia relatâ num. 10. Solutio tamen mihi displicet. *Primò*. Quia licet detur carentia amoris, datâ ex parte intellectûs notitiâ inclinante voluntatem vt amorem omittat, sanè, si positâ hâc notitiâ, nihil aliud præterea intelligatur, quàm eam carentiam non impediri, voluntate potente ipsam impedire, voluntas se habebit purè permissiuè circa talem carentiam. Hoc autem non sufficit, iuxta sæpè inculcata, vt talis carentia sit voluntaria in genere causali. Explicatur. Nam, etsi Petrus habeat notitiam de cōmodis, quæ ipsi obuenient ex submersione nauis, positâque tali notitiâ, simplicique complacentiâ circa submersionem, directionem indebitam omittat, ex quâ omissione prouenit submersio; certè, si Petrus nihil aliud præstet, quàm omittere talem directionem, se habebit purè permissiuè circa submersionem, in quam inclinat, eaque proinde non erit ipsi voluntaria in genere causali: ergo similiter in nostro casû.

27 *Secundò*, vt à priori reijciam hanc solutionem, placet obseruare duo. *Primum est*. Sunt aliqua, ad quorum existentiam voluntas, aut animus, vt præditus voluntate, iuuat purè passiuè, nempè vt subiectum recipiens formam, quæ tali subiecto inhærens confert ad existentiam illorum. Sic, si demus (vt mihi possibile est) animum rationalem, neque ad visionem beatam, neque ad amorem beatificum concurrere actiuè; sed merè recipiendo hos actus à solo Deo infusos, tunc animus recipiens visionem beatam iuuabit ad hoc, vt ipsa ornetur amore beatifico; non tamē iuuabit, siue hunc, siue visionem beatam agendo; sed recipiendo visionem, quæ inhærens animo Deum mouebit, vt amorem proportionatum infundat. Sic, si animus turpetur peccato mortali, iuuat ad hoc, vt Deus talem animum prosequatur odio inimicitiæ propter peccatū; non tamen in eo casu animus secundùm se, vt condistinctus à peccato, est pars motiui, vel totum motiuum, quod Deum prouocat ad actualem inimicitiam: quapropter non iuuat animus *motiuè* ad eiusmodi odium; sed purè passiuè, nempè suscipiendo peccatum, per quod contaminatur, & quod est, vt in animo existens, totum motiuum odio habendi inimicabiliter animum. *Secundùm est*. Vt principium actiuè concurrat, siue solùm, siue in consortio aliorum ad effectum, necesse est, quòd tale principium habeat secum identificatam aliquam potesta-

tem

tem actiuam eius effectûs: non enim potest effectus actiuè procedere nisi à potestate actiuâ ipsius, sicut nequit recipi nisi in potentiâ passiuâ ipsius: cumque potestas actiua effectûs dicat ex suâ ratione essentiali vtilis ad hoc, vt effectus trãseat de possibilitate ad existentiam, planè fit; omne principiũ actiuum esse per identitatem vtile ad existentiam effectûs, cuius est principium actiuum.

28 Ex his breuiter instauro nostram rationem à priori contra solutionem traditam. Nam ad voluntarium causale in actu secundo necesse est, quòd voluntas secundum se, vt condistincta ab omni alio, causet ipsum actiuè; non autem sufficit, quòd conferat ad ipsum volũtas purè passiuè, vt recipiens aliquem effectum formalem. Non enim est voluntarium in actu secundo, quod non est ab intrinsecis voluntatis; esse autem ab intrinsecis voluntatis est voluntatem per sua intrinseca, vt cõdistincta à quolibet alio causare ipsum actiuè. Vnde, quod incapax fuerit, vt sic causetur, erit incapax, vt propriè, ac formaliter sit voluntarium in actu secundo, & quod re ipsa nõ ita causetur, non erit re ipsa voluntarium in actu secundo causaliter, vt in casũ proposito n. 27. cõtingit in amore beatifico. At, iuxta solutionem datam, voluntas quidem confert ad omissionem passiuè, quatenus recipiens effectum formalem auocatæ ab actû omisso: quemadmodum, in casũ cõmemorato amoris beatifici à solo Deo infusi, confert purè passiuè ad hunc amorem, quatenus recipiens effectum formalem videntis Deum, à solo itidem Deo infusum; non autem iuuat actiuè voluntas ad carentiam amoris per ipsa intrinseca voluntatis, vt condistincta à quolibet alio. Nam eiusmodi intrinseca secũdum se sumpta præscindendo ab alijs, sunt essentialiter inutilia ad talem carentiam, vt supra probatum est; proindeque non identificat secum potestatem actiuam ad talem carentiam: ergo talis carentia non habet, quod requiritur ad voluntarium causale. ¶ Vbi, nè patiaris æquiuocationem, præ oculis habeas, ex suppositione voluntatis, vt proximè potentis amare, vtile est ad omittendum amorem, voluntatẽ auocari in actû primo ab amore: quia saluâ ea suppositione propinquior erit ad existendum carentia amoris, auocatâ volũtate in actû primo ab amore; quàm nõ auocatâ. At, ex prædictâ suppositione nõ est vtilis ad carentiam amoris volũtas secundũ se præscindendo à quolibet alio. Nam semper voluntatis *non existentia* ex suo conceptũ

ceptû propinquiorem reddit ad existendum voluntatem *non amare*; quàm existentia voluntatis. ¶ Hactenus de omissione præscindendo ab eo quòd detur occasione actûs positiui incompossibilis cum actû omisso. Quid quando detur occasione talis actûs? Constabit ex dicendis.

CAP. IIII

Soluuntur argumenta contra nostram sententiam.

29 NIhil est solutione dignum, quod obijciatur cōtra primam conclusionem positam num. 16. Contra secundam stabilitam à num. 17. Obijcitur primò. Quidquid est liberum est voluntarium; quanuis non contra. At amoris omissio sic existens, vt possit voluntas illam impedire per amorem, est libera voluntati: ergo voluntaria. Confirmatur. Extremum, quod est constitutum in potestate liberâ voluntatis existit liberè; proindeque voluntariè, si semel existat. At omissio amoris, quem voluntas ponere possit, est tale extremum: nam extrema, circa quæ versatur voluntas vt libera, libertate contradictionis sunt amor, & carentia amoris: ergo talis carentia existit liberè, proindeq; volūtariè; eo ipso quòd existat, datâ in actu primo ex parte voluntatis libertate contradictionis. Cōfirm. secundò. Nam Arist. lib. 3. de moribus cap. (apud me) 7. eodem modo loquitur de *non-agere* quantū ad hoc, vt sitū sit in potestate volūtatis. Ait enim: *In quibus in nostra potestate sitū est agere, sitū est etiā non agere: & in quibus non agere, simili modo etiam agere. Quapropter, si agere cum honestum sit, in nostra est potestate, non agere quoque cum turpe sit in nobis erit collocatum. Si item non agere cum honestum sit in nobis est; agere quoque cum turpe sit erit nostræ facultatis.* *Arist.*

30 Rursus Damascenus lib. 2. fidei cap. 26. ait: *In nostra potestate esse, nobisque spontanea esse moueri, & non moueri, appetere non necessaria, & non appetere, mentiri, & non mentiri, & alia huiusmodi, in quibus est virtus, aut vitium.* Nunc sic. Illud est voluntarium in actū secundo, quod sic existit, vt pro priori ad sui existentiam sit in potestate voluntatis. At ex Arist. ac Damasc. tàm non agere, quàm agere sic existunt, vt pro priori sint in potestate voluntatis: ergo vtrumque erit voluntarium in actu secundo. Et quidem, quemadmodum vt *Damasc.*

age-

agere sit voluntarium in actu secundo sufficit, quod sic existat, vt pro priori constitutum fuerit in potestate voluntatis; simile sufficiet ad hoc, vt non agere sit voluntarium in actu secundo. Confirmatur tertiò. Quando existit id, quod est *honestè non agere*, est voluntarium, quippè, quod est, iuxta Arist. extremum situm in potestate voluntatis. At tunc, neque datur obligatio impediendi tale non agere honestum; neque quidpiam aliud, per quod sit voluntarium, præter quam existere tanquam extremum situm in potestate voluntatis: ergo hoc sufficit, vt sortiatur rationem voluntarij.

31 *Ad argumentum resp.* Liberum stat dupliciter. *Primò* positiuè, & causaliter. Hoc modo liberum est, quod causatur à voluntate se positiuè determinante ad ipsum, potenteque non sic ipsum causare. Quod hoc modo liberum est, non est dubium esse voluntarium in genere causali. *Secundò* negatiuè, ac purè permissiuè. Tale est, quod non existit necessariò respectiuè ad voluntatem, propterea quod sic existit, vt ipsum impedire cadat sub potestatem voluntatis; quæ tamen non illud causat se determinans positiuè ad ipsum. Quod hoc modo est diminutè liberum; vel potius *non necessarium*, non est voluntarium in genere causali, scilicet à voluntate causatum, & ea propter formalis malitia peccati tametsi purè, putèque sit permissa à Deo; non tamen est voluntariè causata à voluntate diuinâ: quia licet non sit necessaria respectiuè ad diuinam voluntatem; tamen Dei voluntas præcisè se habet ad illam non impediendo ipsam, quamuis impedire posset; non verò se positiuè determinans ad ipsam. Cum igitur præcisè sumendo, quòd omissio sic existat respectiuè ad nostram voluntatem, vt possimus eam impedire, nihil aliud sumatur, quàm eam omissionem sic existere, vt sit nobis negatiuè libera, scilicet non necessaria, non ineuitabilis: consequens est, non sumi in eâ præcisione, quidquid requiritur, vt sortiatur rationem voluntarij causalis.

32 *Ad primam conf. resp.* Extremum constitutum in voluntatis potestate, quæ respectiuè ad ipsum sit libera positiuè, & causatiuè est in actu secundo voluntarium causale, si actualiter existat; secus extremum, respectiuè ad quod voluntas est purè negatiuè libera, nempe *non necessitata*, & ad quod habet potestatem purè permissiuam; cum igitur ex eo præcisè quòd omissio sic existat, vt voluntas possit ipsam impedire,

non

non aliud habeatur, quàm omißionem esse extremum, ad quod voluntas permißiuè se habet, fit ex eo præcisè non colligi omißionem esse causaliter voluntariam in actu secundo. Notandumque est libertatem contradictionis ad actum, & ad carentiam actûs, aliter, & alitèr se habere ad hæc extrema. *Ad actum*, tanquam potestas causatiua ipsiûs. *Ad carētiam actus*, tanquam potestas permißiua eiûs carentiæ, id est, tanquam coniungibilis cum eâ carentiâ, & eam potens euitare. Hinc, ad testimonia Arist. & Damasc. dicendum est, eos autores velle, quòd agere, & non agere sita sunt in potestate voluntatis: aliter tamen, & aliter. *Primum* causaliter, *Secundum* permißibiliter. Vnde carentiæ, ad quas permißiuè se habet voluntas, dicuntur largo quodam modo spontaneæ, quatenùs sic dantur, vt cadant sub potestatem voluntatis permißiuam, & impeditiuam ipsarum.

33. Ex his. *Ad tertiam conf.* formatam post prædicta testimonia. *Respon.* Non est voluntarium causale, quod sic existit, vt pro priori constitutum sit præcisè in potestate voluntatis permißiuâ; & impeditiuâ; sed constitutum pro priori in potestate causatiuâ ipsius. Quoniam ergo non competit carētijs hoc secundum; sed præcisè illud primum, ideo carentiæ non sunt voluntariæ in genere causali. Comparatio actuum positiuorum cum carentijs nulla est: nam actus positiui causantur verè á voluntate: quare, si aliud non obstet, sortiuntur rationem voluntarij; quam non sortiuntur carentiæ eo quòd sint á voluntate incausabiles. *Ad quartam confir. resp.* supponendo ex tract. de merito communem, & veram doctrinam D. Thomæ, nempè voluntatem non posse, *honestè non agere* nisi per actum positiuum se impediat propter honestum motiuum ab actione omissâ. Quo posito dicimus, id quod est *honeste non agere* stare dupliciter. *Primò*, pro determinatione positiuâ voluntatis ad non agendum; quæ determinatio vocari solet *non agere radicalitèr.* Tale autem *non agere* situm est in potestate voluntatis, & est voluntarium causale; non tamen per hoc præcisè, quòd ita existat, vt poßit volūtas ipsū impedire; sed quia cum cæteris ad voluntarium requisitis componit procedere viâ causali á volumtate. *Secundò* stat *non agere* pro carentiâ actionis condistincta ab omni positiuo: & ea carentia formaliter in se ipsâ neque est voluntaria causaliter; neque honesta; sed solùm in radice, id est, in positiua determinatio-

D. Tho.

natione volũtatis ad ipſam, vt alibi explicatiùs dicimus. Quapropter, quanuis ſic exiſtat, vt poſsit voluntas eam impedire; non tamen per hoc præcisè eſt voluntaria in genere cauſali, vt argumentum contendebat.

34 Obijcies ſecundò. Voluntas, quæ potens amare omittit amorem eſt cauſa *non amoris*: ergo malè excluditur *non amor* à ratione voluntarij cauſalis propterea, quòd non cauſetur à voluntate. Antecedens probatur. *Primò*, quia ſicut petitâ causâ cur amet voluntas alioqui indifferens indifferentiâ libertatis ad amorem, & non amorem, optime reſpondetur, *quia voluntati placet*, ideoque amare in voluntatem, vt in cauſam reuocatur; ſic petitâ cauſâ, cur voluntas ſic indifferens non amet, optimè reſpondebitur, *quia non placet voluntati amare*, ideòque non amare in voluntatem, vt in cauſam reducetur. *Secundò*. Quia voluntas eliciens amorem eſt cauſa amoris: ergo voluntas non eliciens amorem eſt cauſa *non amoris*. Probatur conſequentia. Tum, quia, vt dici ſolet, ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis; ita negatio negationis. Tũ, quia, vt ait Philoſoph. *lib. 2. phyſic. cap. (apud me) 3. textu 30. Eadem cauſa contrariorum eſt: quod enim præſens cauſa huius eſt, hoc & abſens facimus aliquando cauſam contrarij, vt abſentiam gubernatoris nauis ſubuerſionis, cuius erat præſentia cauſa ſalutis*. Si ergo voluntas eliciens amorem eſt cauſa amoris, voluntas non eliciens amorem erit cauſa non-amoris.

Ariſto.

35 Omnes tenẽtur huic obiectioni reſpondere. Nam cùm omnes iure meritò proprietatem, ac rigorem cauſationis à carentijs excludant, tenentur diſparitatem aſsignare (quæ nobis etiam forſan proderit) vt non propriè, & ſtrictè, in voluntatem, vt in cauſam carentiæ reuocẽtur; benè tamen actus poſitiui. Deinde. *Reſp.* Nego antecedens. Quanuis enim verum ſit, voluntatem omittentem amorem *non eſſe cauſam in actu ſecundo amoris*; falſum eſt *eſſe cauſam non amoris*, quia *non amor*, prout obiectum ab omni ente poſitiuo condiſtinctum, incauſabile eſt. Ad primam probationem antecedentis negati reſpondetur. Quando redditur pro causâ, vt amet voluntas libera, quod ipſi voluntati placet amare: certè cum *tale placere* ſit realiter indiſtinctum *ab ipſo amare*, nè in infinitum abeamus, non aſsignatur cauſa phyſica amandi; ſed ſignificatur naturam libertatis, ac dominij præſtare, quòd non ſit quærenda alia determinatio ad amandum, quàm amare. Vnde, vt dice-

dicebam tract. de Volunt. Dei disp. 16. n. 2. aiebat subtiliter Aureolus: *Tali modo respondendi magis causa excluditur, & quæstio repellitur, quàm causa detur.* Vide alia loc. cit. Similiter ergo dicatur, quando redditur pro causâ, vt voluntas ad vtrumlibet libera non amet, *quòd ipsi volũtati nõ placet amare*, non assignatur voluntas pro physicâ causa non amandi; sed significatur non esse quærendam, positâ libertate immediatâ ad vtrumlibet, determinationem ad non amandum distinctam à non amare. Non diffiteor, aliunde amorē reuocari in voluntatem, vt causam; secùs non-amorem: scilicet, quia amor est effectus ex actiuitate voluntatis procedens; secùs non-amor. Aureol.

36 Ad secundam probationē antecedentis negati, cõcesso antecedente negatur consequentia. Cuius primæ probationi dicatur proloquiũ illud * Sicut affirmatio est causa affirmationis; ita negatio est causa negationis * à nullo debet intelligi iuxta rigorem adæquatæ paritatis, vt patet ex initio num. 35; sed ita intelligendum est, vt quemadmodum positio alicuius extremi præcedentis ad alterum solet esse antecedẽs ad rectam illationem logicam consequentis; ita remotio eius extremi soleat esse antecedens ad rectam illationem logicam de remotione consequentis. Sic sicut benè valet * Datur causa causans effectum: ergo datur effectus * ita etiam benè valet * Non datur causa causans effectum: ergo non datur effectus * Dixi *solet*, & *soleat*. Nam, vt didici ex Angelico Præceptore 1.2.q.15.ar.2.ad 2. quamuis, cum effectus ex vnâ tantùm causa sequi potest, benè inferatur remotio effectus ex eiûs causæ remotione, nõ sic infertur ex remotione vniûs causæ, quando potest ex alijs sequi. Nam: *Remoto priori, remouetur posterius, quod propriè ex eo* TANTVM *sequitur. Si autem aliquid ex pluribus sequi possit, non propter hoc posterius remouetur vno priorum remoto: sicut si induratio possit fieri, & à calido, & frigido (nam lateres indurantur ab igne, & aqua congelata indurata ex frigore:) non oportet quòd remoto calore remoueatur induratio.* ¶ Ex dictis patet ad secundam probationem ex Philosopho, cuius mens solùm est, ex alicuius causæ absentiâ solere nos inferre oppositũ illius, quod ex eius causæ præsentiâ inferimus, quod non probat carentias causari physicè ab aliquo, vt patet. Vbi nota quàm attentè, & scitè dixerit Arist. *Hoc, & absens facimus aliquando causam contrarij.* FACIMVS. Nam quòd *non-esse* sit can- D. Tho. Aristo.

F fa

sa non contingit re ipsa propriè; sed potius est opus nostræ rationis malè concipientis. ALIQVANDO: propter illa quæ adnotabimus ex D. Th. Alia, quæ supersunt argumenta proponemus, & soluemus opportunius in seqq. capp.

D. Tho.

CAP. V.

Consectarium contra RR. Thomistas.

37 PRimum consectarium sit. Quamuis verum est non sufficere ad voluntarietatem carentiæ amoris, v.g. quòd ea carentia sic existat, vt possit voluntas eam euitare; tamen huius ratio non est, quia posito debito ipsam euitandi, talis carentia suo modo fiet destruendo terminum sibi oppositum; secus autem eo debito secluso. Est contra Carmell. Salmantic. 1.2. tract. 10. disp. 4. dub. 2. à n. 40. qui sic ratiocinatur. Vt carentia amoris sit voluntaria necesse est, vt suo modo fiat a voluntate. Sic autem fieri, nequit accidere, nisi amor, quem excludit, vel præcesserit in se ipso, vel in debito ad existentiam sui. Id quod sic explicant. Nam, sicut eatenus forma positiua fit, quatenùs destruitur eiûs carentia; sic eatenùs carentia suo modo fit, quatenùs destruitur forma positiua, quam excludit. Quocirca, sicut dari non potest productio formæ positiuæ, nisi duobus terminis interuenientibus, quorum alius dicitur terminus *à quo*, quia ille deperditur, & ab eo receditur per productionem formæ positiuæ, talisque terminus est *non esse* formæ positiuæ aduenientis; alius verò terminus dicitur *ad quē*, quia ille acquiritur, & ad eum acceditur per productionem formæ positiuæ, talisque terminus est ipsum *esse* formæ aduenientis; sic dari non potest fieri suo modo carentiam amoris, v.g. nisi duobus terminis interuenientibus, quorum alius sit *à quo* receditur per aduentum carentiæ, talisque terminus est ipse amor, qui per sui carentiam destruitur: aliusque terminus sit *ad quem* acceditur per aduentum carentiæ, talisque terminus est ipsa carentia formæ.

Carmel. Salman.

38 Porrò autem dupliciter potest præcedere amor ad carentiam ipsiûs postea venientem. *Primò*, præsuppositus formaliter in se ipso. *Secūdò* præsuppositus in obligatione, & quasi iure ad ipsum: quæ obligatio, & ius possunt dici ipse amor virtualiter: quemadmodū dispositiones materiæ ad hoc, vt introdu-

troducatur forma ignis sunt virtualiter ipsa forma; quia tam propè esse ad formã perinde est atque illã habere. Hinc, potest bifariã carentia amoris fieri ex ipso amore tanquã ex termino *à quo*. Primò, ex ipso amore formaliter accepto in se ipso, idq; contingit, quando amor in se ipso pręsuppositus destruitur per carentiam succedentem. Secundò, ex ipso amore virtualiter accepto in debito ad ipsum, idque contingit, quando præsuppositâ obligatione ad amorẽ, talis obligatio violatur per carentiam amoris. Vnde Autores isti cõsequenter docent à n. 48. quando actus in se ipso formaliter pręcedit, & per succedentẽ carentiã interrumpitur, non esse necessariũ debitum omittẽdi, vt omissio sit voluntaria. Si enim, vt à voluntate fiat suo modo carentia actus, sufficit fieri tanquã ex termino *à quo* ex obligatione ad actũ violatâ, propterea quòd talis obligatio censetur virtualiter ipse actus, à fortiori sufficiet fieri tanquã ex termino *à quo* ex ipso actû formaliter accepto in se ipso.

29 Hæc speculatio displicet mihi timenti sub hâc speciositate verborum nullam rem solidam contineri. Nam: *Primò* poterit esse voluntaria omissio, quæ non interrumpit actũ præcedentem, tametsi secludamus obligationem moralem ipsam euitandi; siue talis obligatio sit stricta sub peccato; siue laxa, & citra peccatum, vt est illa, quam habemus religiosi S. Dominici, Societatisque Iesu ad obseruantiam plurium regularum. Sequela probatur in casu, quo Petrus nimis affectus ad studium litterarum omittit decretum manendi domi, vt studeat, & ab amicis rogatus it ad venationem. Tunc sic. Exigentia amandi Deum, quam inducit præceptum, eo quod amor Dei sit necessarius ad finem moralẽ euitandi culpã, sufficit, vt omissio amoris fiat suo modo à voluntate; sitque proindè volũtaria: ergo, in casû assignato, exigentia decernẽdi manere domi, quæ venit ex eo quòd tale decretum requiratur ad finem physicum studendi, sufficiet ad hoc, vt omissio talis decreti suo modô fiat physicè à volũtate, proindeque sit physicè voluntaria. Probatur, & explicatur cõsequentia. Nam primò: exigentia, necessitas, vel physicum debitum eius decreti ad studium tàm propinquum reddit ad existendum tale decretũ; quàm morale debitum amãdi Deum reddit talẽ amorem existentiæ propinquum: id, quod maximè cernere est in homine ardenter affecto studio litterarũ, frigideque dedito adimpletioni præceptorum Dei. Hinc secundo, pręd ictum debitum

physicum non minus est virtualiter, iuxta ratiocinium aduersariorum, decretum illud, quod omittitur, quàm debitũ morale amoris est virtualiter amor omissus. Tãdem, sicut omisso amore violatur, & læditur debitum morale amoris; ità omisso illo decreto violatur, & læditur debitum physicum illiûs ad finem studij. Sicut ergo rationes enumeratæ pro debito morali præstant, vt omissio eiûs amoris fiat suo modo à voluntate, & ex tali debito tanquam ex termino *à quo*; sic rationes consimiles præstabunt, vt omissio eius decreti fiat suo modo á voluntate, et ex tali debito physico tanquam ex termino *à quo*. ¶ Ne tamen alicui nouũ appareat, has voces *debitum physicum* accommodare exigẽtiæ, ac necessitati, per quam aliquid requiritur ad aliud legat D. Th. 1. p. q. 21. art. 1. ad 3. illis verbis: *In nomine ergo debiti importatur quidam ordo exigentiæ, vel necessitatis alicuius ad quod ordinatur.* Et hoc modo ait se habere partes ad totum, & ad hominem habere manus: nimirùm, quia partes requiruntur ad totum: & manus ad integritatem hominis.

S. Tho.

40 Secundò. Nam pone hominem furtis assuetum, vehementerque tentatum, vt consentiat in furtum, omittere talem cõsensum. Pone rursus eundem hominẽ obligatũ ad amorem Dei omittere talẽ amorẽ. Tunc sic. Hic homo voluntariè omittit amorẽ Dei, ad quẽ obligatur: ergo, si vera est tua speculatio, voluntariè omittit consensum illũ, ad quẽ vehementer impellitur. Cum igitur hoc vltimum neges; cõsequiens est, tuã speculationẽ esse falsam. Probatur consequentia. Non minus exigitur ad succumbendũ tentationi consensus ille, quã ille amor ad acquiescendũ præcepto. Rursus, vt obligatio præcepti inclinat ad amorẽ; ideòque est virtualiter ipse amor, eaque inclinatio frustratur per omissionẽ amoris; sic vehemens tentationis impetus inclinat vehementius ad illũ cõsensũ, ideoq; potiori ratione erit virtualiter ille cõsensus; cuius omissione talis impetus irritatur. At eis de causis omissio amoris, ad quẽ est obligatio, fit suo modo volũtariè, & ex tali obligatione tanquã ex termino *à quo*: ergo paribus de causis omissio consensus, ad quẽ datur vehemens tentatio, fiet suo modo voluntariè, & ex tali tentatione tanquam ex termino *à quo*.

41 Tertiò, hinc pergo ad ostendendum, iuxta eam speculationem, omnem omnino omissionem, quæ existit, potente voluntate ipsam euitare, fieri suo modo voluntariè. Vt quæ me-

melius comprehendatur argumentum; notandum est id, quod benè docent aduersarij, scilicet ad hoc, vt omisſio euadat voluntaria, sufficere quamlibet obligationē euitandi omisſionē, siue talis obligatio strictisſima sit ligans sub peccato mortali, siue laxior ligans sub veniali, siue adhuc laxior non ligans sub vllâ culpâ, quem admodum ligant regulæ quarumdam Religionum. Etenim, omnes istæ obligationes sunt quodammodo virtualiter ipse actus omissus, *à quo* receditur per omisſionem ipsiûs. Nunc sic. Quoties omisſio existit, potente voluntate ponere actum omissum, datur aliquid, quod est quodammodo virtualiter ipse actus omissus, *à quo* receditur per omisſionē. Sed hoc sufficit, vt omisſio fiat suo modo à voluntate, proindeque sit voluntaria: ergo quoties omisſio existit, potente volūtate ipsam euitare, id est, ponere actum omissum, talis omisſio est voluntaria. Consequentia patet. Minor est aduersariorū. Maior, quæ sola est difficilis, probatur. Quoties omisſio existit, potente voluntate ponere actū omissū, instruitur voluntas cognitione alliciente ad talē actū, ac proinde aliquā inclinatione ad ipsum. At inclinatio voluntatis ad actū est aliqualis exigentia actûs, ideòque est aliquomodo virtualiter ipse act⁹, *a quo* receditur per omisſionē, quemadmodū per te, quæcunq; obligantiuncula ad actū, quia est aliqualis exigentia actûs, est quodammodo virtualiter ipse actus, *à quo* receditur per omisſionem: ergo quoties omisſio existit, potente voluntate ponere actum omissum, datur aliquid, &c.

42 Quartò. Demus claritatis gratiâ, vsque ad hoc momentum *A.* non instasse debitum amandi Deum, & iam nunc obligatione instante, omitti amorem. Iam sic. In hoc euentu talis omisſio est voluntaria, vt constans est aduersarijs. At, in eo euentû ex nullo termino *à quo* ab ipsis asſignato fit: ergo ipsorum speculatio nulla est. Minor probatur. Non fit ex amore præsupposito, cuius conseruatio nunc cesset: quia loquimur in casû, quo talis amor non prǫextitit. Non fit tanquam ex termino *à quo* ex ipsâ obligatione violatâ amandi, quę virtualiter est amor, qui omittitur. Nam cum quis per omisſionem amoris transgreditur obligationem amandi non cessat ea obligatio; sed cum illa cōponitur ipsiûs violatio. At, vt ipsis certisſimum est num. 40. & 46. ex Arist. & D. Th. terminus, *à quo* receditur, cessat, veniente termino ad quem acceditur: ergo in euentû prædicto ex nullo fit termino *à quo*. Respondebis ex ipso-

Aristo. *D. Tho.*

ipsorum doctrinâ n.47.eam obligationem tunc vrgentem destrui moraliter,eo quòd non adimpleatur, & omittatur actus debitus. Nam per talem omissionẽ violatur obligatio , & impeditur â cõsecutione actûs:& id ipsũ,quod est impediri actũ quãdo ex debito futurus erat,ac proinde,qui,iam prope erat, est virtualiter destrui talem actum. Nam tũc impediri actum, perinde se habet,ac destrui si formaliter adesset. Vnde, licet positâ omissione debitum quodammodo permaneat; non tamen sicut antea: quia ante omissionem erat quasi incolume, & explebile per actum, continensque eum in virtute ; postea verò manet quasi exanime,læsum,&violatum,exclusaque ab eo prædicta continentia. Et ita,ratione huius,quod in prędicto debito læditur,& destruitur,potest esse terminus vnde fiat omissio:ipsaque omissio sufficienter fieri intelligitur per illam læsionem, & destructionem. Sic illi.

43 Solutio tamen mihi valdè difficilis est. *Primò*,quia non est cur non possit similiter quisque ratiocinari de inclinatione ad actum,quæ datur in voluntate , quoties ad actum libera actum omittit. Vnde,quoties ponitur omissio existente voluntate liberâ in actû primo ad actum , omissio fiet voluntariè. *Secundò*. Vel omissionem formaliter fieri importat in suâ ratione,non solùm formaliter impediri actum ; sed etiam formaliter destrui;vel non importat formaliter destrui actum; sed satis est, quòd formaliter impediatur ; & virtualiter destruatur? Si primum : certè,sicut in casu disputationis non datur *formale destrui* actûs : sed cum reuera non detur;perinde res se gerunt,ac si daretur;ita non dabitur *formale fieri* omissionis ; sed cum reuera non detur;perinde res se gerent , ac si daretur:& quod hinc sequitur, omissio non erit reuerã voluntaria;sed perinde se geret, ac si voluntaria esset. Si secundum: cur sicut omissionem existere cum potestate proxima inclinatâ ad actum , & cum obligatione proximâ ad actum , sufficit ad virtualem destructionem actûs propter propinquitatem actûs ex duabus illis radicibus prouenientem;non itidem sufficiet omissionem existere cum potestate proximâ ad actum, præcisâ obligatione,quamuis hinc proueniat non tanta; sed aliqualis propinquitas ad actum?quemadmodum,perte sufficit propinquitas orta ex obligatione sub leui, tametsi maior propinquitas sit ex obligatione sub graui.Satis hinc apparet,quã sunt voluntariæ ratiocinationes istæ.

44 At

44 At *tertiò* longè difficilius est, quod in fine solutionis excogitatur, vt terminus *à quo* assignetur mutationi, per quā omissio fiat in casû nostræ disputationis. Falsum enim est obligationem illam amandi, quæ non extat ante instans A. in quo amor omittitur, dari aliter nunc; & aliter antea; nunc violatā; & non continentem in virtute actum; & antea illæsam: & continentem in virtute actum. Falsum, inquam, est: quia hæc obligatio antea non fuit: ergo antea non fuit continens in virtute actum. Rursus: ea obligationis incolumitas, eaque virtualis continentia actûs, quam destrui dicis per omissionem actûs, nihil aliud est, quam obligatio vrgens ad actum. At, quando omittitur actus, datur obligatio vrgēs ad actum, proindeque omissio peccatum est: ergo, positâ omissione actûs, manet id, quod destrui dicis per omissionem actûs, quod est implicatorium. Maior probatur. Nam ea virtualis continentiâ actûs nō est ea obligatio, vt iam expleta per actum. Tum, quia, vt sic nō præcisè virtualiter importat actum; sed formalissimè. Tum, quia obligatio ad nunc amandū, vt obseruata per *amare nunc* non destruitur per *non amare nunc*; sed impeditur, quippè ad *non amare nunc* non pręcessit *amare nunc*, vt patet. Igitur ea continentia non est aliud, quàm obligatio ad actum vrgens secundùm se sumpta, quæ tamen datur, proindeque non destruitur, positâ omissione actûs.

45 Dices, eam incolumitatem, & continentiam virtualem esse indifferentiam obligationis ad hoc, vt expleatur per actum, & violetur per omissionem actûs, quæ indifferentia destruitur, per omissionem actûs, datâ quippè omissione, iam datur determinatè violatio. At, præterquàm, quòd hac ratione lædetur etiam, ac destruetur ex parte talis obligatio per sui adimpletionem, agamus fortius, & quidem vtēdo terminis, qui sunt alibi Thomistis gratissimi. Duplex enim excogitari potest indifferentia obligationis, vt expleatur, & violetur. Alia suspensionis; alia potestatis, vel aptitudinis. Prima stat in eo, quòd ea indifferentia neque sit expleta, nec violata. Secunda stat in eo, quòd ea obligatio sit de se apta, vt expleatur, & violetur. Tunc sic. In euentu nostræ disputationis nulla ex prædictis indifferentijs destruitur per omissionem actûs. Non indifferentia aptitudinis: quia obligationem de se esse aptam, vt expleatur, & violetur componitur cum ipsius violatione. Non indifferentia suspensionis: quia

quod nunquam fuit non destruitur; nunquam autem fuit ea indifferentia suspensionis. Non enim ante hoc instans *A.* Nam ante illud non extitit hæc obligatio, proindeque non extitit vacua expletione, & violatione. Nō in hoc instanti *A.* Nam in illo non est vacuitas expletionis, & violationis, sed violatio. Patet ergo in casu nostrę disputationis nullam eius obligationis indifferentiam destrui per omissionem amoris, & consequenter solutio non subsistit.

46 Erit forsan, qui dicat. In ipso instanti *A.* spectari posse talem obligationē, & pro signo priori ad sui expletionē, & violationē; & pro signo ipsiûs violationis. Pro signo priori datur obligatio secundùm se; non autem siuè illiûs expletio, siuè violatio, sed suspensio, vel præcisiò ab vtrâque; & ea suspēsio, ac præcisio destruitur pro posteriori signo per trāsgressionem obligationis. ¶ Timeo solutionem errare turpiter in Philosophiâ: ea enim solutio in vno sensû est verissima; sed quæ aduersarijs non prodest; at in alio sensû pessimā continet Philosophiam. Declaro rem, quā exposui sæpè, quia sæpè occurrit. Signum obiectiuum obligationis secūdùm se est illud, quod verè significatur ex parte rerum, quibus homo constituitur obligatus, & de hoc signo sermo pręcipuus, & frequenter vnicus est, quando agimus de signo obligationis. Signum formale obligationis est notitia; quæ de his rebus agit; & non de alijs: & quia ex parte talium rerum neque includitur expletio obligationis; neq; illiûs violatio, idcirco in hoc sensû verissimum est in eo signo non dari siuè obligationis expletionē, siue violationem. At hoc nihil aliud est, quàm constitui hominem obligatum per res adæquatè distinctas ab expletione, & violatione obligationis. Vnde, manifestum est in eo signo nihil dari oppositum siuè cum expletione, siuè cum violatione obligationis: quia intra constitutiua obligationis nihil clauditur pugnans siue cum obseruatione, siue cum violatione obligationis. Vnde, secundo manifestum est pro signo obligationis, nullā dari, siue suspensionē, siue præcisionē ab obseruatione, & violatione obligationis pugnantem siue cum tali expletione, siue cum tali violatione. Vnde tandē fit, quomodo intelligēdū sit, quòd signū obligationis pręscindat ab obseruatione, & violatione obligationis. Nam, si loquamur de signo obiectiuo, sensus verus respicit distinctionem adæquatam obligationis ab eis extremis, atq; ita sensus est, omnia cōstitutiua obli-

gatio-

gationis adæquate distingui ab illius obseruatione, violatio-neque. Si autem sermo sit de signo formali, sensus est, notitiã, quæ præcisè significat directè constitutiua obligationis non significare directè siue illius obseruationẽ, siuè violationẽ.

47 Iam verò, hanc doctrinam, quæ verissima est, nihil aduersarijs prodesse: facilè probatur. Nam id, solùm obligationis potest destrui per omissionẽ actûs, quod sit oppositũ cum eâ omissione. At siue suspẽsio, siue præcisio, de quib⁹ n. 46. nõ opponũtur cũ omissione actus, vt explicatũ est: ergo destrui nõ possunt per talem omissionem. ¶ Porrò autem, si solutio intelligat in alio sensû prædictam suspensionem, & præcisionem; ita scilicet, vt sint aliquid pugnans cum omissione actûs, ad quem datur obligatio: sanè hic sensus maximè errat in Philosophiâ: quia implicatorium est in eodem instanti reali dari incompossibilia. Nam, quæ dantur in eodem instanti componuntur in illo. Rursus: quia pro signo obligationis, loquendo de signo naturæ, nihil datur nisi id obligationis, quòd conducit, vt obseruetur; vel violetur obligatio: hæc enim signa naturæ, nisi res sinistrè intelligantur, non aliud sunt ex parte rerũ, nisi obiecta illa, quæ verè significantur, vt causæ, vel quasi causæ effectuũ. Vt autẽ obseruetur obligatio nihil prodest; sed nocet, quod est oppositũ cũ obseruatione: similitèrque, vt violetur, nõ prodest; sed nocet, quod est oppositũ cũ violatione: ergo pro signo obligationis secũdũ se nihil datur oppositũ siue cum obseruatione, siue cum violatione.

48 Quare, vt nonnunquam arguebam, qui ex sinistrâ rerũ intelligentiâ dicere solent non esse implicatorium, quòd in eodem instanti reali dentur extrema pugnantia contradictoriè, modo dentur pro diuersis naturæ signis, nempè alterum pro priori; & alterum pro posteriori: qui, inquam, sic discurrunt, tantum absunt, quòd difficultatem euadant, vt potius ad implicationem effugiendam, maiore implicatione irretiantur. Nam implicatius est, pro diuersis signis naturæ dari in eodem instanti reali contradictoria, nempè alterum pro priori naturæ; & alterum pro posteriori; quàm dari in eodem instanti reali, & pro eodem signo naturæ. Cum igitur hanc posteriorem implicationem abhorreas, potiori iure priorem odisse debes. Assumptum probatur. Quæ intra idem signum naturæ se continent, ita se habẽt, vt neutrum sit causa alteriûs, vel quasi causa: quæ autem dantur pro diuersis signis, sic nempè, vt

aliud

aliud detur pro priori; aliud verò pro posteriori; sic se habent, vt alterum causet, vel quasi causet alterum. At, implicatius est; quòd contradictoria non solùm dentur in eodem instanti reali; sed ita vt vnum causet alterum; quàm præcisè dari in eodem instanti reali, ergo implicatiùs est ea dari in eodem instanti reali, & in ea diuersa signa distribui; quàm in eodem signo coniungi.

49 Standum ergo est rationibus, quas in capp. præcedentibus adhibuimus, vt non sufficiat ad hoc, vt omissio sit causaliter voluntaria, quod sic existat, vt voluntas possit eam impedire: & quia rationes illæ peræquè probant, vt eas recolenti patebit, id verum esse siuè omissio non interrumpat; siue interrumpat actum præcedentem, ideò in vtroque casu veram censemus D. Thom. doctrinam, quam eos præsertim viros oporteret non restringere, qui omni ope nituntur ab Angelico Præceptore, nec per latum quidem vnguem discedere.

DISPVTATIO QVARTA.

Positis alijs consectarijs concluditur doctrina de voluntario omissiuo.

CAP. I.

Consectaria ex doctrina præcedentis disputationis.

1 **S***Ecundum sit.* Verius mihi est, non sufficere ad hoc, vt omissio sit voluntaria causalitèr, & quòd existat; & quòd possit impediri à voluntate, & quòd existat occasione actûs positiui incompossibilis cum actu omisso, tametsi præuideatur talem actum fore occasionem eiûs omissionis. V. g. Non vrget nunc præceptum amandi Deum super omnia. Nūc decernit Petrus peccare mortalitèr, ac tale decretum, ratione incompossibilitatis cum amore Dei super omnia, est occasio infallibilis omittendi eiusmodi amorem. Petrusque sic decernit præuidens id decretum fore occasionem eius omissionis. Dicimus, etiam his omnibus interuenientibus, non euadere voluntariam causalitèr prædictam omissionem. Colligitur

gitur, meo iudicio ex dictis, si intime perspiciantur. Quia, neque euadit voluntaria causaliter interpretatiuè; neque causaliter formaliter. *Non interpretatiuè*. Quia tametsi in euentû dicto actus ille positiuus, qui est occasio omissionis, quippé qui est prauus, imputetur voluntati ad vituperium, & pœnã; ipsa tamen amoris Dei super omnia carentia, vt condistincta ab illo actu positiuo, cum neque sit honesta, vt patet; neque praua, quia non est hic, & nunc obligatio illam impediendi, nempè amandi Deum super omnia, non imputatur voluntati siue ad laudem, siue ad vituperium, siue ad præmium, siue ad pœnam.

2 Non est voluntaria *causalitèr formalitèr*. Probatur. Talis carentia, vt ab omni positiuo distincta, non causatur à voluntate tanquam à causâ proximâ; non tanquam à causâ remotâ: ergo nullatenùs est à principio intrinseco voluntatis, vt requiritur ad voluntarium causale formalitèr acceptum. Prima pars antecedentis constat ex dictis cap. 3. quæ probant, voluntatem per se ipsam immediatè non posse causare carentias suorum actuum, vt ab omni positiuo distinctas: quia tales carentiæ reddi nõ possunt, cæteris paribus, propiores ad existendum, positâ; quàm seclusâ voluntate. Secunda pars antecedentis probatur. Eatenus prædictæ carentiæ à voluntate essent, vt á causâ remotâ, quatenus essent tanquam à causâ proximâ à prædicto actû positiuo, qui est occasio infallibilis ipsarum. At, nequeunt esse ab eo actû positiuo, vt à causâ proximâ: ergo neque ab intrinseco voluntatis, vt à causâ remotâ. Minor probatur. Quia nihil causatur nisi, quod habet *esse* à causante: carentiæ autem cum purum nihil sint, vel, vt proprius loquar, cum non sint aliquid, à nullo habent esse; & consequenter à nullo proximè causantur.

3 Confirmatur. Carentia actus, vt ab omni positiuo distincta nequit esse causa alicuius rei positiuæ: quia, quod non est aliquid nequit dare *esse* alteri: ergo carentia, vt ab omni positiuo distincta, nequit esse effectus alicuius actus positiui: quia tàm repugnat non-aliquid habere *esse* ab alio; quàm dare *esse* alij. Explicatur in sententia aduersariorum, quàm esse veram videbimus postea. Nequit voluntas esse causa remota euentûs positiui per omissionem actus indebiti, tametsi talis omissio, & contingat occasione actûs positiui incompossibilis cum actû omisso, & sit infallibiliter hîc, & nunc connexa cum euêtû

po-

positiuo: quia cum nihil sit non causat talem euentum; sed alijs causis causandum relinquit: ergo nequit voluntas esse causa remota carẽtiæ amoris v.g. interuentû odij incôpossibilis cum amore, quamuis tale odium sit connexum cum eâ carentiâ; quia cum hæc nihil sit non causatur ab odio; sed hoc præcise constituit voluntatem impeditam, quominus causet amorem. Quamobrem diximus num.8.& 9. carentias, vt ab omni positiuo distinctas à nullo procedere physicé; licet ab aliquibus per bonam consecutionem logicam inferantur, vt in præsenti bene infertur ex odio carentia amoris. Ex quibus

4 *Tertium consectarium est.* Non erit omissio causaliter voluntaria, quamuis ita existat, vt posit impediri à volũtate, voluntasque decernat directe, & expresse talem carentiam. Etsi enim hinc habeatur carentiam esse volitam, & consequẽter *obiectiuè* voluntariam; non tamen esse voluntariam *causalitèr.* Nam ad hoc, inter alia, requiritur causari proximè, vel remoté ab intrinsecis ipsiûs voluntatis: estque vniuersaliter stabilitum nuper, carentias, vt ab omni positiuo distinctas, aptas non esse, vt ita causentur. Itaque quemadmodum plures dicunt cum P. Vazq. *disp.24.cap.4.num.18.* euentum positiuum ortum ex omissione actus indebiti non esse voluntarium causaliter, etiam casu, quo voluntas directe, & expresse ipsum velit: quia etiamtum voluntas non influit in ipsum per modum causæ; sic nos dicimus in nostro consectario. Et quidem huiûs, & præcedentis consectarij doctrinam, me iudice, tenentur amplecti, si suam velint consequentiam seruare, tum illi, qui carentias excludunt à ratione voluntarij causalis formalis propter repugnantiam carentiarum ad causationem passiuam. Tum nominatim Carmelit. Salmant. Si enim, secluso debito ad actum omissum, & seclusâ etiam præexistentiâ talis actûs, non est terminus *à quo* fiat carentia actus, quando carentia præscindit ab eo, quod existat, vel occasione actus positiui, vel directe volita, idem continget, quando existat, vel occasione actus positiui, vel directe volita, vt attendenti constabit.

P. Vaz.

Carmel. Salmãt.

5 Ad contra consectaria præmissa: oppones primò, ex doctissimo P. Raphaele Auersa sup. sect.6. §. *Quinto. Maiori,* & §. *Sextò. Etiam.* Nam quando existit omissio occasione actûs positiui infallibilitèr connexi cum ipsâ reducitur ea omissio in voluntatem, vt in causam: ergo nihil tunc deest, vt

Auersa

sit

sit causalitèr voluntaria. Antecedens, quamuis potius supponatur, vt certum, quàm probetur ab eo Autore, probari potest primò. Quia effectus positiuus resultans ex occasione datâ à voluntate, & infallibilitèr connexâ cum eo effectû reducitur in voluntatem, vt in causam: ergo similitèr omissio. Secundò. Quia infallibilis occasio alicuius, est huiûs causa. Cùm igitur, quod est causa causæ sit causa causati infallibilitèr per talem causam, patet voluntatem esse causã omissionis, quando est causa eius actus positiui, qui est infallibilis occasio omissionis. Tertiò. Quia in physicis causa, quæ introducit vnam formam in subiecto, causat primariò existentiam eius formæ in subiecto, & secundariò expulsionem, seu carentiam oppositæ: ergo voluntas causans odium, causat primariò odium, & secundariò carentiam amoris. Demùm, vt obseruat ille Autor, maior est ratio quando quis actu expresso vult carentiam suæ operationis, quàm posito præcepto operationis. Nã multò magis facit ad physicam causalitatem, quòd quis expresè velit non operari, quàm quod teneatur operari, & non habeat hanc expressam voluntatem.

6 *Respond.* Negatur antecedens. Nam, vt constat ex nostris rationibus, nec tunc; neque vnquam carentiæ, vt à positiuis distinctæ, reducuntur siuè in voluntatem, siue in aliud tanquam in causam realem formalem ipsarum (quidquid sit de causa virtuali, & interpretatiuâ) Ad primam probationem respondeo: concesso antecedente, negatur consequentia. Ratio discriminis est: quia causari physicè est habere *esse simplicitèr* ab alio: & quia effectus positiui, quippè qui sunt entia ab alio, capaces sunt vt habeant esse ab alio; carentiæ autèm, cũ non sint aliquid, non habeant similem capacitatem, ideò effectus positiui causantur aliquomodo ab occasione infallibili ipsorum; secus carentiæ. Ad secundam probationem resp. Infallibilis occasio alicuius est aliquomodo causa huiûs, quando hoc est reuera *aliquid*, & simplicitèr ens ab alio: quia tunc non pugnat cum causatione passiuâ sui; secùs quando non est reuera *aliquid*, vt se habent carentiæ ab omni positiuo distinctæ: & ideo infallibilis earum occasio est antecedens logicũ, quod per bonam consecutionem logicam infert ipsas; non verò principium physicum, quod per veram causationem exhibeat ipsis *esse*. Hinc ad tertiam. Qui introducit vnam formam in subiecto non est causa realis, & physica, siue primariò,

riò, siue secundariò carentiæ formæ oppositæ; sed præcisè est remotè principium logicum eiûs carentiæ: quia est principium principij per bonam consecutionem logicam inferentis carentiam: est enim principium existentiæ vniûs formæ in subiecto, & ea existentia bene arguit carentiam formæ oppositæ in eo subiecto. Hanc autem principiationem logicam non sufficere ad rationem voluntarij causalis diximus n. 8. & 9.

7 Porrò commune illud dictum, quòd vnam formam producens causat primario talem formam; & secundariò carentiam oppositæ, intelligendum est, quatenus formæ productio, ex suo conceptû essentiali, primario importat præcisè esse in genere efficientis causalitatem, per quam causa efficiens tribuit esse formæ, & quia hæc forma impedimentum est, vt existat sibi opposita, inde logicè consequens est *non-esse* huiûs oppositæ. Ad probationem vltimam, negatur assumptum. Cuius probationi dicatur, vel in illâ agi de causalitate physicâ formali, vel de virtuali, & interpretatiuâ? Si primum, ea probatio laborat falsâ suppositione: cum enim carentiæ, vt à positiuis distinctæ, non sint capaces causalitatis physicæ formalis, nihil ad hanc facit siue voluntas expressa ipsarum, siue præceptum ipsas impediendi. Si secundum; ad id potius facit præceptum, quàm ea voluntas expressa: Quia per præceptum tales carentiæ se gerunt, ac si à voluntate procederent in ordine ad rationabilitatem vituperij, ac suplicij; secus autem per talem voluntatem expressam, vt explicabimus infra.

¶ Ex dictis ad tertiam probationem obserua: Quandoque positiuus actus, vt cognitus, mouet ad hoc, vt subiectum priuetur aliqua forma, vt si scelus contra Remp. patratum moueat Principem, vt te diuitijs priuet. Tunc autem in genere motiuo, & intentionali tale scelus est principium earum rerum positiuarum, ex quibus logicè infertur ea carentia: huius autem est principium logicum quasi remotum, vt in simili dicebamus loc. cit.

8 Hinc tamen occasionem arripies, vt nobis sic opponas secundò. Nam admissa opinione satis probabili de possibilitate puræ omissionis liberæ, contingere potest, vt ex præuisione alicuius ingratitudinis Petri omittat Ioannes per puram omissionem amorem beneuolentiæ erga Petrum. At, tunc ea præuisio non erit principium, ex quo talis omissio sequatur per logicam consecutionem: ergo erit principium, ex quo

quo talis omissio sequatur, quasi per physicam causalitatem. Minor probatur. Non enim valet consequentia ab eâ præuisione ad omissionem amoris beneuolentiæ: quia stare potest Petrum esse ingratum, & adhuc Ioannem manere beneuolum erga ipsum. Principium autē, ex quo aliquid sequitur per cōsecutionem logicam, est illud, ex quo bona est consequētia ad id, quod sequitur. Resp. eâ opinione admissâ, dicendū est talem præuisionē; neque esse principiū logicum eiûs omissionis, vt benè probat argumētū; neque principiū physicè, aut quasi physicè influens in ipsā: quia huiûs influxû; capax nō est, quod aliquid non est. Quamobrem, iuxta eam opinionē dicendum est, eam præuisionem non conferre *influxiuè* in omissionem; idest, quasi in genere causæ efficientis causando ipsam; sed solùm conferre ad ipsam per modum formæ extrinsecæ reddentis actum, cum quo pugnat omissio, distantiorem ab eo quòd exerceatur necessariò: de quo iterum vbi de libertate omissionum.

9 Oppones tertiò. Qui Petrū consuleret, vt in die profesto sacrum omitteret, esset, omissione secutâ, causa moralis eius omissionis: quia consulens est causa moralis rei consultæ, quæ reipsâ sequitur ex consilio: ergo carentiæ sunt capaces, vt suo modo causentur moralitèr: ergo etiam erunt capaces, vt suo modo causentur physicè. Probatur hæc vltima consequentia. Tum, quia non minus implicatorium apparet, quòd *non-aliquid* habeat *esse* ab alio tanquam à causâ morali, quā, vt à causâ physica. Tum, quia causa moralis influit impellendo causam physicam, vt physicè causet: ergo, quòd non est capax terminandi causalitatem physicam, neque capax est terminandi moralem. *Resp.* Casû, quo existat omissio per volitionem ipsiûs omissionis, consulens Petrū, &c. est in actu primo causa moralis, vt Petrus velit omittere sacrum: eo enim ipso, quòd eam omissionem reddat consultam, adhibet motiuum impellens ad volitionem eiûs omissionis. Quod, si talis volitio sequatur reipsa, iam est causa moralis in actu secundo eiûs volitionis, & aliquo modo principium remotum logicum omissionis, quæ logicè resultat ex eâ volitione: licet enim cōsilium, neque inferat talem volitionem; neque talem omissionem per bonam consequentiam logicam; causat tamen moralitèr volitionem, quæ per bonam consequentiam logicam infert omissionem.

Quod

10 Quòd si sermo sit in obiectione præscindendo ab eo, quòd existat omissio siue per volitionem ipsiús omissionis; siue per alium actum positiuum causatum moraliter ex consilio, tunc dicendum est consulenté non esse causam moralē eius omissionis. Tú, propter dicta in obiectione inter probationē vltimæ cōsequētiæ Tū, quia, vt in simili dicebamus n. 8. *fine* consilium in hoc euentû non alitèr conferet ad omissionem, quàm actum oppositum omissioni, reddendo distantiorem ab eo quòd exerceatur necessariò. Tum, quia consilium moralitèr influere in actu secundo consistit in eo, quòd illud, in quod influit immediatè præuisio consilij, fiat per actionem, quæ sit essentialitèr quidam modus acquiescendi consilio, vt constabit ex dicendis de influxû morali vniûs actûs in alium: carentiæ autem, vt distinctæ ab entibus positiuis non sunt capaces, vt per actiones fiant.

11 Oppones quartò. Quando voluntas omittit amorem v.g. non solùm permittens omissionem; sed eam determinans, est causa illiûs. At quando sic omittit, vt expresè velit omittere, non solum permittit omissionem; sed determinat. Quæ enim maior determinatio omissionis, quàm expressa illiûs volitio ineuitabilitèr ipsam inferens? Ergo in eo casû voluntas est causa omissionis; proindeque nihil omissioni deest, vt sit volūtaria causalitèr. Maior probatur. Tum, quia influxus permissionem excedens constituit causam in ratione causantis. Tum quia, (maximè iuxta principia Societatis) Deus determinās omissionem prauam quoad materiale, esset causa illius quoad materiale; necnon determinans illam quoad malitiam formalem, esset causa illiûs quoad malitiam formalem: cuius ratio alia non est, nisi, quia determinans ad existentiam aliquod extremum est eo ipso causa talis extremi. ¶ In primis, cum omnes verissimè fateantur, carentias, vt á positiuis distinctas, non esse causabiles eâ proprietate, rigoreque sermonis, quo res positiuæ, consequentèr dicere debent, determinātem carentias nō esse tam strictè causam illarum, ac determinantem res positiuas propriè causabiles. Prætereà: *Determinare* non est ex suo vniuersali conceptû causare. Tum, quia Deus determinat ad existendum suos actus liberos; quos tamen non causat. Tum, quia nos peccādo determinamus Deū, vt nos videat peccantes; & tamē eam diuinā visionē nō causamus. Quibus, nō parum franguntur argumēti vires. Cui deinde

12 Res-

12 *Respondeo.* Negatur absolutè maior. Ad primam probationem, fateor influxum excedentem permissionem constituere causam in ratione causantis. Cæterum, determinare omissionem, nec est influxus permissionem excedens, nec reuerà vllus influxus. Nam, influxus est id, quo fluit à causâ *esse* effectûs: fluere autem à causâ *esse* omissionis, falsum est propter vitium falsæ suppositionis: quia *non-aliquid* nullo *esse* fluēte ab alio *esse* potitur. Ad secundam probationem resp. (semperque loquor de omissione, vt distinctâ ab omni repositiuâ) Deus determinans omissionem prauam, siue quoad materiale, siue quoad formale, siue quoad vtrunque, vt ab omni re positiuâ distinctam, non esset causa physica omissionis, siue quoad materiale, siue quoad formalem malitiam: quia quod nihil positiuum est, capax non est, vt terminet physicam causalitatem. Quare, neque ipsa voluntas creata determinans eam omissionem est causa physica illiûs. Deinde. Deus determinans omissionem prauam in circumstantijs, in quibus praua est, esset æquiualentèr causa moralis ipsiûs omissionis in ordine ad se habendum turpitèr, & indecentèr circa ipsam. Nam, sicut, qui illam non impedit, quando impedire tenetur, se habet turpitèr, & indecentèr circa ipsam; ita etiam turpitèr, & indecentèr circa eandem se gerit, qui determinat ipsam existere in circumstantijs, in quibus est praua, & in iudicio prudentum non minus censeri debet hoc postremum ad turpitudinem valere, quàm illud primum. Aliud reipsa non volunt Autores Societatis.

13 Oppones quintò. Omne exercitium meritorium est voluntarium in genere causali. At omissio mali, v. g. vitatio peccati venialis, est exercitium meritorium: quia declinare à malo dignum est prœmio: ergo talis omissio est voluntaria causalitèr. *Resp.* Concessâ maiore, distinguo minorem. Ea omissio est exercitium meritorium accepta in vi affirmationis, id est, actus positiui, per quem volūtas ex honesto motiuo fugit à malo, concedo minorem; accepta in vi carentiæ mali, vel peccati venialis, ab omni re positiuâ distinctæ nego minorem: quia licèt vt sic, sit consequens logicè illatum ex merito; non tamen est quid physicè factum à voluntate propter honestum motiuum, vt ad meritum requiri videbimus suo loco. Quare, sub eâdem distinctione, concedenda, & neganda est consequentia. Ad solutionem autem libentiùs amplectendam,

 expe-

expediet legere D. Thom. 2. 2. q. 79. art. 1. ad 2. illis verbis.
D. Tho. *Declinare à malo secundùm quod ponitur pars iustitiæ, non importat negationem puram, quod est non facere malum: hoc enim non meretur palmam; sed solùm vitat pœnam. Importat autem motum voluntatis repudiantis malum, vt ipsum nomen declinationis ostẽdit, & hoc est meritoriũ.* Vides in nullo alio poni à Doct. S. rationem meriti nisi in actû positiuo. Itèm, quæst. 7. de malo art. 11. ad 8. ait. *Vitare peccatum veniale potest intelligi dupliciter: vno modo secundum puram negationem, & sic non meretur vitam æternam: quia etiam dormiens non peccat venialiter, & tamen non meretur. Alio modo secundum aliquam affirmationem, secundum quod dicitur ille vitare peccatum veniale, qui vult non peccare venialiter, & quia ista voluntas potest esse ex charitate: ideo vitare peccatum veniale potest esse meritorium vitæ æternæ.* Ecce vitare, &c. quod à D. Thom. constituitur meritorium, non est aliud, quàm actus positiuus voluntatis excludentis peccatum.

14 Ex quibus quartum consectarium fit contra Petrum
Cornejo. Baptista. Cornejo supra dub. 11. vers. *Vel secundò*, & contra Ildephonsum Baptista *sup. concl. 3. à n. 95.* Omissio debita ex præcepto affirmatiuo, vt ab omni re positiuâ distincta, in nullo casu est voluntaria in genere causali. Nam, rationes hucvsque formatæ probant vniuersaliter in omni casu. At obijciunt isti Autores: Si quis, vel tentationibus vehementissimis impellatur ad consensum turpem; vel ingentium tormentorum comminatione perurgeatur à tyranno, vt fidem catholicam neget, sanè, quamuis nihil aliud intelligamus, quàm hunc hominem omittere consensum turpem, negationemque fidei contra impetum adeò vehementem ad oppositum, talis omissio erit voluntaria. Nam, ea omissio bona est moraliter, magnique meriti: omne autem bonum moraliter, ac meritorium est voluntarium in genere causali. *Resp.* ex doctrinâ D. Thom. citata,
D. Tho. n. 62. in eo casu nullum esse meritum, præciso omni actu positiuo, ad quem se determinet voluntas ex honesto motiuo: quia tamen in ea rerum præssura, omisso actu, cui extorquendo tãtus impetus admouetur, intercedit ordinariè positiuus affectus, per quem ex honesto motiuo talis actus reprimitur, ideo tunc ordinariè loquendo datur meritum; quod tamen non re-
D. Tho. sidet in carentia resultante logicè ex prædicto affectu positiuo; sed in hoc ipso affectu, vt nuper dicebamus ex D. Th.

15 Ex omnibus hactenus dictis deducitur, quomodo carentia alterius mundi sit; vel non sit Deo voluntaria in genere causali: idemque iudicium esto de carentijs aliarum rerum, quas Deus non-vult producere. In primis, tales carentiæ, vt ab omni positiuo distinctæ, non sunt Deo voluntariæ causalitèr: nam, vt sic acceptæ, nullam terminare possunt Dei causalitatem ducentem ortum ex voluntate diuinâ. Secundò, mihi difficilè est posse esse Deo voluntarias obiectiuè, formalitèr loquendo. Vt, enim solum ex imperfecto concipiendi modo potest attentio mentis circa illas directè versari, ac denominare directè monstratas; sic forsan voluntas solùm potest ex directione imperfectæ notitiæ velle ipsas directè, volitasque directè constituere: & sicut intellectus, vt de rebus non existentibus iudicium ferat congruentèr ad hoc obiectum: *rem non-existere*, oportet, vt potius per dissensũ neget rei existẽtiam, quàm quòd per assensum tribuat existentiam carentiæ; sic, vt voluntas congruenter se habeat circa prædictum obiectum, oportebit, vt potius per affectum fugæ voluntas auertat se ab existentiâ rei deficientis, quàm, vt per affectum prosecutionis conuertat se in existentiam, aut quasi existentiam carentiæ.

16 De his tamen nihil nunc decernentes dicimus, tales carẽtias esse volũtarias obiectiuè, vel in sensû formali; vel in sensû ęquiualẽte. In sensû quidẽ formali, si Deus possit ipsas directè velle, quod mihi est valdè dubiũ, vt dicebã (quidquid sit, an ex inde probari possit imposibilitas earũ carẽtiarũ, vt distinctarum ab omni re positiuâ) In sensu æquiualente: quia in ordine adhoc, vt creaturæ non existant; proindeque in ordine ad hoc, vt suo modo existant carentiæ creaturarum, non minus valet absolutè nolle talium creaturarum existentiam, quã absolutè, expresè, ac directè decernere carentiam ipsarum.

CAP. II.

Omisio cum debito ipsam impediendi est causalitèr voluntaria virtualitèr, & interpretatiuè.

17 HÆc sit tertia nostra cõclusio, cõmunisq; Theologorum, in quâ defendimus, quamuis non sufficiat ad voluntarium omissionis in genere causali, quòd existat omissio,

possitque voluntas ipsam euitare; benè tamen sufficere ad voluntarium illiûs in genere causali virtuali, & interpretatiuo; quòd existat omissio, possitque voluntas, & teneatur ipsam euitare. Probatur breuitèr. Nam voluntarium est in genere causali virtualitèr, & interpretatiuè, quod licet non procedat à voluntate; tamen se habet instar actionis procedentis à voluntate ad constituendum hominem dignum vituperio, & pœna. At; omissio præsignatis conditionibus affecta sic se habet, quippè quæ sic affecta peccatum est: ergo talibus conditionibus affecta est in genere causali voluntaria virtualitèr, & interpretatiuè. ¶ Vbi obseruandum est id, quod alij bene notarunt. *Primò*. Ad eiusmodi voluntarium sufficere obligationem siue sub peccato graui, siue sub leui: quia, posita quâlibet istarum obligationum, suam vim retinet ratio facta; sicut etiam quanuis oriatur obligatio ex conscientiâ erroneâ. *Secundò*. Religiosi S. Dominici, Societatisque Iesû, sacrarumque aliarum familiarum, ad aliquas in nostris regulis actiones præscriptas obligamur, quæ potius quàm earum omissiones ad nostri statûs perfectionem conducunt; non tamen strictâ obligatione, siue sub peccato graui, siue sub leui; sed laxiore aliâ sub non-nullis grauaminibus, & reprehensionibus tepiditatem nostram in statû nostro exprobrâtibus. Istæ autem, vt vt sint obligationes sufficere videntur, vt istarum actionum omissiones censeâtur virtualitèr, & interpretatiuè voluntariæ: quia instar actionum liberè procedentium à voluntate constituunt nos dignos aliquali mulctâ, vituperioque rationabili.

18 At, contra nostram conclusionem objicies primò. Omissio vestita prædictis conditionibus non solùm est virtualiter, & interpretatiuè peccatum; sed formaliter: quia non solùm se habet instar peccati; sed est reuerà peccatum. At peccatum; quâ ratione peccatum est; est voluntarium: ergo omissio prædictis conditionibus vestita, non solum est virtualiter, & interpretatiuè voluntaria; sed etiam formaliter. Huic tamen argumento in simili satisfecimus disput. 1. num. 4. vbi vidimus ad peccatum formaliter tale non requiri voluntarium formale, vt contradistinctum à virtuali. Recolantur ibi dicta.

19 Objicies secundò. Id, quod potiùs retrahit voluntatem ab omissione actûs, quàm ad illam mouet; nihil confert, vt omissio sit voluntaria. Si enim omissionem esse voluntariã

stat

stat in eo, quod sit existens à voluntate, quomodo cõferre potest adhoc, vt sit voluntaria, quod retrahit ab eo, quòd sit existens à voluntate? At obligatio ad actum potius retrahit ab eo quòd omittatur actus, quàm ad omissionem moueat: ergo talis obligatio nihil confert, vt omissio sit in genere causali voluntaria. In primis, præuisio effectus oriundi ex causâ, sæpè quantum est ex se retrahit à positione causæ, in qua voluntarius est; & tamen conducit ad hoc, vt sit voluntarius. Deinde distinguo maiorem. Id, quod potius retrahit, &c. nihil confert, vt omisѕio sit voluntaria physicè, ac formalitèr, concedo maiorem; moralitèr, & virtualitèr, nego maiorem. Deinde sub eadem distinctione occurrendum est consequenti. Ratio est: quia licèt obligatio ad actum animum reuocet ab illius omisѕione; confert tamen ad hoc, vt omisѕio semel posita peccatum sit, & consequentèr ad hoc, vt ad vituperium, & pœnam imputetur instar actûs procedentis à voluntate: atq; in hoc stat esse moralitèr, ac virtualiter voluntarium.

20 Obijcies tertiò. Nam, vt constat ex doctrina tradita à num. 4. non alitèr omisѕio potest esse voluntaria, nisi quatenus sit libera. At nihil refert obligatio ad actum, vt sit libera: atque ad hoc solum refert, quod sic existat, vt posѕit voluntas ipsam impedire: ergo talis obligatio nihil confert, vt sit voluntaria. Confirmatur. Nequit obligatio cõducere adhoc, vt omisѕio sit voluntaria, nisi aliquâ ratione tribuat voluntati libertatem ad omisѕionem. At, nulla ratione tribuit hanc libertatem; sed eam prorsùs supponit: ergo conducere, nequit vt omisѕio sit voluntaria. Maior probatur: quia, vt dicebamus, in omisѕionibus idem est esse voluntarias, & esse liberas. Probatur minor. Quia libertas est potestas ad actum; & ad omisѕionem actus. Obligatio autem ad actum supponit totum hoc. Supponit potestatem ad actum: quia obligatio non est ad imposѕibile; sed ad id, quod posѕibile est illi, qui obligatur. Supponit potestatem ad omisѕionem: nam hanc prohibet, & stultum est, cui prohibere, quod est ipsi imposѕibile, vt prohibere claudo ambulationem. Confirmatur secundò ex Auersa. Quia nullus ideò iudicatur liberè omisѕisse actum, quòd eum omiserit cum obligatione faciendi; sed, quòd omiserit cum potestate non omittendi: ergo non illa obligatio; sed hæc potestas confert ad libertatem omisѕionis. Confirmatur tertiò roborata prima confirmatione. Nam Auersa

prohibitio omissionis ad hoc tendit, quòd voluntas potens ipsam ponere non ponat: ergo talis prohibitio nullatenus eam reddit causabilem á voluntate; sed causabilem supponit. Vt autem conducat ad hoc, vt sit voluntaria in genere causali, oporteret, quòd eam aliquatenus redderet à voluntate causabilem: ergo nihil talis prohibitio confert, vt omissio sit voluntária in genere causali.

21 Ad argumentum concessâ maiore, distinguo minorem: concedens nihil conducere obligationem, vt omissio sit purè negatiuè, & permisiuè libera; negans tamen nihil conducere, vt sit positiuè libera virtualitèr in genere causali. Ratio prioris est: quia omissionem esse liberam purè negatiuè, & permisiuè, est sic dari, vt non detur necessariò, possitque voluntas ipsam impedire: ad quod non refert dari obligationem ad actum. Posterioris ratio est, quia talis obligatio conducit, vt omissio imputetur voluntati *quasi ab ipsa existens* (verba sunt D. Thom.) hoc est, adhoc, vt in ordine ad vituperium, & pœnam se habeat instar actûs à voluntate procedentis. Quoniam ergo id requiritur ad hoc, vt omissio sit voluntaria in genere causali, saltem virtualitèr, consequens planè est, obligationem conducere ad id muneris. Hinc patet ad confirmationes. *Ad primam* dicatur. Libertas ad omissionem est duplex: alia negatiua consistens in non necessitate antecedente ad actum omissum, quæ non inuoluit potestatem causatiuam omissionis; sed præcisè, quòd voluntas non sit antecedentèr ad vsum sui arbitrij determinata ad actum; tametsi potens proximè sit ad positionem actûs: & hæc libertas non venit ex obligatione ad actum, & prohibitione omissionis; sed potius talis obligatio, & prohibitio talem libertatem supponit: satisque est ad prudentem prohibitionem omissionis *per modum obligationis ad actum* potestas proxima ad actum, sine determinatione antecedente ad ipsum. Alia est libertas ad omissionem, quæ libertas cum potestate ad actum includit potestatem voluntatis positiuè causatiuam virtualitèr omissionis, & ad hanc libertatem valdè conducit obligatio ad actum; cum ex dictis constet, omissionem, vt ab omni positiuo distinctam, eatenus posse virtualitèr causari, quatenùs detur obligatio stricta, vel laxa ad actū, cuius est omissio.

22 Dixi: *per modum obligationis ad actum*. Nam, prohibi-

bitio

hibitio omissionis bifariam potest considerari. *Primò*, quasi dicat sic: *Non efficias omissionem talis actus*: & hunc modum nō habet, quippè qui supponit potestatem causatiuam omissionis intendendo illam potestatem arcere à causatione omissionis. *Secundo* sic: *Pone talem actum*: & hic modus obligationis ad actum est, qui propriè conuenit tali præcepto: non enim supponit potestatem causatiuam omissionis; sed potestatem causatiuam actûs sine antecedente determinatione ad ipsum.

¶ *Ad secundam confirmationem* dicatur. Nullus iudicatur omisisse libere actum, libertate negatiuâ præscindente à potestate causatiua omissionis, eo quód prematur obligatione ad actum; benè tamen libertate positiuè causatiuâ virtualitèr omissionis. Vnde, talis obligatio, quanuis non ad illam priorē; bene tamen ad hanc posteriorem libertatem confert. Explicatio solutionis patet ex num. 21. *Ad tertiam confirmationē* dicatur. Prohibitio omissionis non tendit in actû signato ad hoc, vt voluntas, potens ponere, & causare omissionem, non causet ipsam; sed ad hoc, vt voluntas, potens quidem causare actum; sed non necessitata ad causandum, causet ipsum: atque ad hoc signatè tendendo constituit exercitè voluntatem potentem causare virtualitèr omissionem. Vnde, potestatem istam causatiuam non supponit; sed ponit.

CAP. III.

Euentus positiuus ortus ex omissione non est voluntarius in genere causali citra obligationem aliquam ipsum impediendi.

23 HÆc sit vltima conclusio pertinens ad voluntarium omissiuum, pro quâ stant communitèr cum D. Th. fere omnes Theologi (si vnum, vel alium excipias) Videri poterunt adducti *disp. 3. c. 2. n.* 10. Cōclusionis exēpla sunt obuia. Imminet submersio naui procellis agitatæ, Petrus omittit diligentiam, quam adhibere quidem non debet; si tamen eā adhiberet, incolumis euaderet nauis, quæ omissâ tali diligentiâ submergitur. Rursus, admotus est ignis huic domui, cuius accidit combustio; quæ tamen non accideret, si Petrus, vt potest, quanuis non debet, remoueret ignem. Dicimus ergo eos euentus ortos ex omissione Petri non debentis ipsos impedire D. Thō.

non esse ipsi voluntarios in genere causali. Probationes communes à priori, & à posteriori mihi sufficiunt. A priori. Quia non est voluntarius in genere causali euentus ille, qui non causatur â voluntate. At, prædicti euentus nô causantur à voluntate, ergo non sunt voluntarij in genere causali. Minor, in quâ est difficultas, probatur. Quia circa tales euentus se habet voluntas purè permissiuè, quippè quæ nullum conatum positiuum adhibet, vt sequantur; sed præcisè non impedit alias causas, vt eos euentus causent; quas tamen impedire posset, certis diligentijs adhibitis. Non autem sufficit ad causationem effectûs habere se circa ipsum purè permissiuè, vt non semel diximus. Et hinc.

24 A posteriori probatur nostra conclusio probatione cõmuni. Nam, quoties creatura peccat, Deus omittit cõferre illi certa quædam auxilia, quæ, si cõferret, euitaretur peccatum. At, ex se falsum, & durum apparet, Deo esse voluntaria in genere causali nostra peccata: ergo, quia illa omittere, quæ, si non omitterentur, euitaretur euẽtus, nõ excedit limites permittendi euentum; proindeque non attingit terminos causationis. *Dices primò*. Deus non præbens ea subsidia desiderat, consulit, allicit, iubetque peccati euitationẽ: ideòque peccatum potiùs est ipsi inuoluntarium, quàm voluntarium. Huius solutionis meminit P. Vazquez disp. 24. n. 11. ex quo sic argumentor contra ipsam. Sicut per nos sufficit ad constituendum voluntarium euentũ ortum ex omissione, quòd potentes, ac debentes ipsũ impedire nõ impediamus, ita per te sufficit, quòd potentes impedire, non impediamus. At, euentus in primo casû secutus est volũtarius, quamuis desideremus, cõsulamus, & iubeamus ipsiûs euitationem, ideòque peccatum subditi, quod superior potest, ac debet euitare, voluntarium est superiori omittenti non difficilem diligentiam, quâ positâ euitaretur, quamuis alijs superior desideret, consulat, & præcipiat eiûs euitationem; ergo similiter euentus in secundo casu secutus est voluntarius, quamuis eiûs permissioni adiungantur desiderium, consilium, & præceptum euitationis.

25 Si dicas, non sufficere permissionem euentus nudè sumptã, vt euentus ortus ex omissione censeatur volũtarius; sed vlterius carẽtiã eorũ, quibus positis potiùs euadit inuolũtarius, quã volũtarius, ac proinde requiri carẽtiã prædicti desiderij,

con-

consilij, & præcepti: Contra est, quia dato, quòd his positis talis euentus sit magis inuoluntarius, quàm voluntarius, non ideo consequens est, per positionem illorum omnino tolli rationem volũtarij; sed misceri cum inuoluntario excedente: ergo si alioquin eis ablatis, datur sufficiens ratio voluntarij permittendo talem euentum; etiam dabitur eisdem positis, quãuis immixta cum inuoluntario exedente. Hæc impugnatio roboratur, & explicatur primò. Si enim superior non impediat peccatum subditi, quod impedire tenetur, ita hoc peccatum est superiori voluntarium, vt accessio desiderij, consilij, & præcepti de vitando peccato solùm habeat vim immiscendi inuoluntarium cum voluntario; non autem euertendi funditus voluntarium: ergo similiter in re nostrâ. Secundò à contrario sensu. Nam licet mercator cum magnâ animi renitentiâ proijciat merces, vt vitam seruet; tamen efficaciter vult eas proijcere. At, hæc voluntas efficax, quæ proiectionem facit volũtariam potius, quàm inuoluntariam, non destruit omnino inuoluntarium; sed rationem inuoluntarij miscet cum voluntario excedente; ergo à contrario eueniet in nostro casû, nempè cum ratione voluntarij misceri inuoluntarium excedens.

26 Hinc patet inane esse (Thomistarũ phrasin in puncto de prędeterminatione peccati imitãdo) dicere, nobis quidem volũtarios esse in genere causali euentus, eo prçcisè quòd potentes eos impedire non impediamus; Deo tamen non esse voluntaria in genere causali peccata creaturarum, quia sunt extra sphæram causalitatis diuinæ, quippè quæ tantùm versatur circa ens, vt bonum. Hoc, inquam, friuolum est. Quòd enim peccata, vt talia sint extra sphæram causalitatis diuinæ, non facit ad hoc, vt positis in Deo rationibus formalibus causandi peccatum vt tale, Deus nõ sit causa peccati, vt peccati; sed ad hoc, vt eę rationes remoueantur à Deo, vt ex se manifestum est. Quamobrem, insanum esset dicere, Deum influere in peccata, suam omnipotentiam applicando ad positionem ipsorum, per decretum efficax statuendo materialem illorum entitatem, formalemque malitiam: & tamen non esse causam peccati, vt peccati. Tunc sic arguo. Sicut in nobis est ratio formalis sufficienter constituens euentum voluntarium in genere causali, quòd non impediamus ipsum potentes, ac debentes impedire; ita per te, quòd non impediamus ipsum potentes

tentes impedire. At, nequit dici primum illud competere Deo respectû peccati; & tamen peccatum non esse voluntariũ Deo in genere causali; sed illud est remouendum, ne sequatur voluntarietas peccati: ergo, si in nobis sufficeret ad voluntarietatem euentûs non impedire illum, & impedire posse; hoc esset remouendum à Deo, ne peccata essent ipsi volũtaria. Vnde, si dicatur non esse rationem de se sufficientem ad voluntarietatem euentûs non impedire ipsum, & impedire posse; benè tamen non impedire, posse, & teneri: ergo neque in nobis sufficiet illud prius ad talem voluntarietatem; sed requiretur posterius.

27 Porrò autem, quamuis euentus positiuus ortus ex omissione nõ sit voluntarius in genere causali citra obligationem aliquam ipsum impediendi; positâ tamen huiusmodi obligatione, voluntarius est in genere causali virtuali, & interpretatiuo. Nam id, quod est eum euentum nõ impedire cùm obligatione impediendi, se habet instar eiûs, quod est eum euentũ positiuo influxu causare quantum ad hoc, vt talis non-impeditio imputetur voluntati ad vituperium, & pœnam. In hoc autem stat talem euentum esse voluntarium in genere causali interpretatiuo, & virtuali. Vnde patet ad huius generis voluntarium satis esse obligationem impediendi talem euentum, siue talis obligatio sit grauis, siue leuis; siue sit ex iustitiâ, siue ex charitate, vel quâlibet aliâ virtute.

CAP. IV.

Obiectiones in contrarium.

28 AT, contra nostram conclusionem obijcies. Combustio, quæ procedit ab igne est volũtaria in genere causali illi, qui applicat ignem passo: ergo similiter illi, qui non remouet à passo ignem ipsi admotum: quia non minus conducit ad combustionem passi, nõ remouere ab illo ignem ipsi iam admotum, quàm ignem ipsi admouere. Concesso antecedente, negatur consequentia. Ad probationem dicatur. Siue illa duo cum omnimodâ æqualitate; siue cum aliquâ inęqualitate conducant ad combustionem passi; tamen aliter, & aliter se habent applicans ignem; & applicatum non remouens. Ille tanquam positiuè adiuuans, & determinans physicè passum ad com-

combustionem: hic tanquam non impediens, purèque permittens. Quoniam ergo physicè adiuuans, & determinans ad existentiam effectûs est huius causa; secus purè permittens, non mirum, quòd illi sit voluntarius effectus in genere causali; secus autem huic.

29 Obijcies secundò. Sicut remouens applicationem ignis est verè, & propriè impediens combustionem: ita non remouens eam applicationem erit verè, & propriè non impediēs combustionem: ergo verè, & propriè causans illam. Probatur hæc consequentia. Non impediri combustionem, est ipsam poni: ergo verè, & propriè non impediens illam est verè, & propriè illam ponens in rerum naturâ. Sed verè, & propriè illam ponens in rerum naturâ est verè, propriéque illam causans: ergo verè, & propriè non impediens illam est verè, & propriè illius causa, & consequenter non deficiet ea combustio à ratione voluntariæ in genere causali respectiuè ad non impedientē ex defectû causationis ab illo. ¶ Laborat obiectio in æquiuoco, nimiumque probat, nempè omnes, qui non impediunt aliorum actiones, tametsi nequeant eas impedire, causas esse illarum. Vnde, nos omnes erimus causę omnium peccatorum, quæ committuntur in mundo, quippè nō impedimus illa. Rursus. Cum Deus nō impediat nostra peccata, erit verè, propriéque illorum causa, quod est hæreticum.

30 *Resp.* Dupliciter stat *non impediens*. Primò, pro illo, qui ponit id; in quo stat rem absolutè, & simpliciter non impediri. Secundò pro illo, qui quantum est ex se non ponit obstaculum existentiæ rei. Qui primo modo se habet, causat rem, eamque ponit absolutè, & simpliciter. Nam, vt bene argumētum, rem poni, & rem absolutè, & simpliciter non impediri idem sunt. Qui secundo modo se habet, non causat rem; sed præcisè non impedit alias causas, quomin' rem causent. Cum igitur non remouens à passo ignem applicatum, præcisè se habeat secundo modo, ideo non est causa combustionis. Vbi nota. Quamuis ponens id, in quo stat absolutè, & simpliciter non impediri combustionem, v.g. sit *absolutè* causa combustionis; tamen, qui quantū est ex se non ponit obstaculum existētiæ cōbustionis, non est huius causa, adhuc quatenus est ex se. Ratio discriminis est. Quia primo modo se habens, cum ponat id, quod est absolutè, & simpliciter non impediri combustionem, & hoc sit ipsa combustio, ponit ipsam combustionem. At verò secun-

secundo modo se habens, neque quatenus est ex se ponit combustionem, neque aliquid in ipsam influens; sed præcisè permittit, siue non impedit, quod aliunde ponatur.

31 Obijcies tertiò. Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis: quamobrem, quia dari causam proximè expeditam ad agendum in hoc passum est causa actionis in illud; ideò non dari causam sic proximè expeditam est causa non-actionis in ipsum. At ponens impeditionem actualem combustionis est causa, vt absolutè, & simpliciter impediatur combustio: ergo non ponens impeditionē actualem combustionis est causa, vt absolutè, & simpliciter nō impediatur combustio: ergo causa, vt absolutè, & simpliciter existat combustio: nam, vt dicebamus, eam absolutè, & simpliciter non impediri est eam absolutè, & simpliciter existere.

¶ In primis maior fallit in rigore paritatis adæquatæ, de quo disp. 3. num. 35. & 36. Deinde, vt alias omittam, instantia est aperta in amore, qui est ratio, vt absolutè, & simpliciter impediatur odium; & tamen non-amor non est ratio, vt absolutè, & simpliciter non impediatur odium, id est, vt absolutè, & simpliciter existat odium. Nam frequenter omittimus amorem obiectorum, quæ non oderimus. Demum ex dictis loc. cit. Quando affirmatio est causa affirmationis solet contingere, quamuis non semper contingat, negationem esse impropriè, ac logicè causam negationis: nempè, negatio alicuius causæ solet esse antecedens ad concludendam negationem effectûs per bonam consecutionem logicam: quod tamen non semper euenit, vt ex dictis patet. Quare permissâ minore, negatur consequentia: quia stat causam aliquam neque ponere actionem exclusiuam effectûs, neque inductiuam ipsiûs, & consequenter neque ipsum impedire, neque ipsum causare.

32 Obijciuntur quartò plura exempla, quæ videntur ostendere voluntarios esse omittenti plures euentus ortos ex omissione. *Primò*. Nam voluntaria est homini conseruatio gratiæ eo præcisè quòd omittat peccatum mortale, per quod destruitur. *Secundò*. Voluntaria est ægritudo illi, qui omittit sibi applicare medicamentum, quo adhibito sanaret. *Tertiò*. Voluntaria est incarceratio illi, qui omittit effringere vincula, quibus effractis liber euaderet. *Quartò*. Voluntaria est illi inimicitia aliena, qui omittit communia vrbanitatis signa, quibus positis alter deponeret maleuolentiæ affectum.

Cuius

Cuius generis innumera possunt excogitari. Quæ tamē nō vrgent. Ad primum, secundum, & tertium dicatur, eos euentus loquendo in rigore metaphysico, non esse voluntarios in genere causali prædictis omissoribus; nam, ab his non causantur; sed purè permittuntur. Possunt tamē dici voluntarij cum hoc addito diminuente: *negatiuè*: quia non sunt contra volūtatem efficacem, vt non existant: si enim tales omissores eam efficacem voluntatem haberent, non omitterent illa, quæ necessaria sunt, vt impediantur. Ad quartum, secluso præcepto impediendi talem inimicitiam, dicendum est idem. At, eo præcepto posito, talis inimicitia est illi omissori voluntaria causaliter in genere interpretatiuo, & virtuali; quia non impediri illam, imputatur illi instar effectus procedentis à voluntate ipsius.

33 Obijcies quintò. Ex eo precisè, quòd Petrus v.g. coniungatur cum combustione domûs potens eam cōbustionem impedire, talis combustio est illi libera: ergo voluntaria. Consequentia patet: quia omne liberum est voluntarium; quāuis nō cōtra. Antecedens probatur. Nam ex eo præcisè, quòd Petrus &c. ea combustio existit cum libertate ex parte Petri, vt talis combustio existat, & non existat. Hoc autem est esse liberam Petro: ergo. Probatur maior, quæ sola est difficilis. Ea combustio existit cum libertate ex parte Petri, vt ea non existat, quippè potest Petrus eam impedire: ergo etiam cum libertate, vt existat: quia cum libertas sit ad opposita, qui libertatem habet ad non-existentiam rei, habet etiā ad existentiam: vnde, cui liberum est omittere amorem, liberum etiam est amare. Confirmatur. Talis cōbustio non est necessaria Petro, cū possit Petrus eam impedire: ergo est illi libera. Respōsio est, vt in simili dicebamus in anterioribus, distinguēdo antecedens. Etenim, ex eo præcisè &c, talis combustio est Petro libera negatiuè, nempè contingens Petro non necessitate, vt coniungatur cum ipsâ; non autē ex eo præcisè est libera Petro positiuè, & causaliter: nō enim ex eo præcise procedit reuerà à voluntate Petri viâ causalitatis, prout opus est ad liberum, & voluntarium causale. Eodemque modo distinguendum est cōsequens. Ea enim combustio ex eo præcisè, &c. est voluntaria negatiuè; scilicet non contingens contra voluntatem efficacem non combustionis, vt in simili dicebamus num. 32. non verò positiuè, & causaliter voluntaria. Ex quibus patet ad

con-

confirmationem. Patet rursus, quo pacto sit intelligendum, quòd omne liberum sit voluntarium: nempè debitâ proportione seruatâ: nam omne liberum, positiuè, & causaliter acceptum, est voluntarium positiue, & causaliter: omneque liberum negatiuè acceptum, nempe contingens alicui non necessariò, & ineuitabiliter; sed cum potestate ipsum euitandi, est voluntarium negatiue; nempe non existens contra voluntatem efficacem eius, qui potest ipsum euitare.

34 Sed quoniam argumentum occasionem præbet, vt doctrinam scitu dignam tradamus, quam bene vidit P. Obiedo in præsenti, controu. 1. punct. 5. â num. 86. placet eam occasionem captare. Sciendum ergo est, sufficere ad libertatem voluntatis ad aliquod extremum, quòd ipsa voluntas reuerâ possit determinare pro suo libito tale extremum ad existendum, simulque habeat potestatem ad non sic determinandum ipsum. Quia libere existit respectû voluntatis id, quod existit ex vi dominij, quo voluntas pro suo nutû potest determinare, & non determinare talem existentiam: quod enim existit hoc modo, existit ex vi libertatis, quam habet voluntas, & quod existit ex vi prædictæ libertatis, existit libere respectû voluntatis. ¶ Hinc fit primò. In casu argumenti Petrus habet libertatem ad impediendam combustionem domus. Nam habet potestatem, vt pro suo nutu determinet, & non determinet existentiam obstaculi pugnantis cum combustione: nimirum existentiam remotionis ignis ab eâ domo. ¶ Fit secundò. Libertas semper respicit extrema opposita: scilicet, voluntatē pro suo nutû determinare, & non determinare pro suo nutu tale, vel tale extremum ad existendum.

Obied.

35 Fit tertiò. Bene stat voluntatem habere libertatem ad existentiam alicuiûs extremi; & tamen non habere potestatem ad impediendam eam existentiam. Ratio est. Quia voluntas habebit libertatem ad existentiam alicuius extremi eo ipso, quòd possit pro suo nutû determinare, & non determinare ipsum ad existendum, vt ex dictis patet. At, bene stat hoc sine potestate voluntatis ad impediendam existētiam eiûs extremi: ergo, &c. Minor probatur: quia nihil prohibet, quòd arbitrio voluntatis relinquatur determinare, & non determinare existentiam alicuius extremi; & aliunde voluntatem esse necessitatam ad hoc, vt si ipsa non determinet existentiā talis extremi, ponatur ex alio capite talis existentiam. Sic res se

habe-

habebũt, si Deus ex vnã parte ponat in manũ volũtatis, quòd medio imperio ipsiùs voluntatis determinet, ac non determinet facultatem progressiuam ad motum; de cætero tamen, ipse Deus habeat decretum ineuitabile à voluntate creatâ, quo statuat, vt si creata voluntas nõ determinet eum motũ, aliunde mandetur executioni. Iam ipse poteris plura alia exempla excogitare. Cæterum, quia sæpissimè eo ipso, quòd voluntas creata non determinet ad existendum extremum, quod potest ad existendum determinare, tale extremum non existet; ideò sæpissimè contingit, vt voluntas potens tale extremum determinare, ac non determinare ad existendum, habeat in suâ manũ positum existere, & non existere tale extremum.

36 Tandem obijcies contra dicta num. 27. Pura omissio actus, etiam cum obligatione euitandi ipsam, non est voluntaria: ergo euentus ortus ex omissione non est voluntarius, tametsi detur obligatio ad euitandum ipsum. Consequentia patet. Nam, vt constabit recolẽti anteriora, quod in vno casũ præstat obligatio ad voluntarietatem euentûs, præstat in alio ad voluntarietatem omissionis. Antecedens probatur. Id, quod nihil addit supra libertatem voluntatis ad actum, & ad omissionem actûs, & supra obligationem ad actum, non est exercitium voluntarium. At pura omissio nihil addit supra dicta: ergo non est exercitium voluntarium. Maior constat: quia si voluntas præcisè intelligatur cum libertate in actu primo ad actum, & omissionem actûs, & cum obligatione ad actum, intelligitur præcisè potens se exercere voluntariè, potensque adimplere, & non adimplere obligationem; non autẽ se exercens voluntariè in actu secundo. Minor probatur. Tum quia, quod nihil est non est additamentum supra aliud. At, pura carentia nihil est. Tum, quia in cõplexo ex libertate in actu primo, & obligatione *non est actus*: quippe tale complexum potest esse sine actû: cum igitur dari carentiam actûs sit *non esse actum*, iam in eo complexo est carentia actûs, & consequẽter ea carentia nihil addit supra tale complexum.

37 Simili argumento vtitur M. Curiel hîc dub. 2. vers. 2. vt probet non esse voluntariam omissionem sine præcepto euitandi ipsam. At inconsequenter sic arguit, cum defendat omissionem esse voluntariam, posito eo præcepto, & argumẽtum æque istud impugnet, vt bene obseruant supra Auersa sect. 6. vers. *Respondetur. Idem argumentum.* Obiedus punct. 5. n. *Curiel. Auersa Obiedo.*

5.n.75. Rursus, argumentum supponit possibilitatem puræ omissionis liberæ, eaque suppositio forsan est falsa, de quo in sequentibus. Præterea: posset antecedens transmitti, & negari consequentia, discrimenque peti ex ipso argumento. Nam euentus positiuus ortus ex omissione aliquid *addit* supra voluntatem, vt potentem, ac debentem euitare ipsum: vnde, ratio nihil addendi non obstat eius voluntarietati, cumque nihil aliud obstet, est voluntarius. At, pura omissio non est exercitium voluntarium: quia huic rationi obstat *nihil addere* supra voluntatem, vt potentem, ac debentem impedire ipsam. His tamen omissis.

38 *Resp.* Negatur antecedens loquendo de volũtario morali, virtuali, & interpretatiuo. Ad probationem dicatur. Quod nihil addit ad supra dicta additione propriâ entis superuenientis ad ens, nõ est voluntarium formaliter in genere causali, quia non est formaliter effectus procedens à voluntate. At verò, quod nihil sic addit ad supra dicta potest esse voluntarium virtualiter in genere causali, si addat aliquid additione impropriâ ad supra dicta, quatenus licet non sit ens positiuum distinctum positiuè à supra dictis; non tamen est aliquid simpliciter identificatum cum ipsis: carentia autem amoris debiti sic se habet. Vnde nihil prohibet, quominus sit virtualiter voluntaria in genere causali. Explicatur. Voluntatem nõ ponere amorem debitum, non est simpliciter idem, ac voluntatem posse, ac teneri amare: vnde, supra hæc est impropriè, ac diminute additamẽtum: improprie quidem, ac diminutè, quia voluntatem *non amare* non est ens supra ens. Hæc autem non identitas huius extremi *non amare* cum voluntate, vt potente, ac debente amare, sufficit, vt *non-amare* imputetur voluntati ad culpam, vituperium, & pœnam instar actus positiui praui: & in hoc stat ratio voluntarij virtualis, & interpretatiui. Alij se explicant aptius ad palatum vulgi; sed ineptius ad metaphysicum rigorem.

39 Hinc ad formam argumenti, negato antecedente, distinguo maiorem. Id, quod nihil addit, &c. neque additione propriâ, & simpliciter tali; neque additione impropriâ, & diminute tali, non est exercitium voluntarium, concedo maiorem; si addat aliquid, saltem additione impropriâ, & diminutè tali, subdistinguo: non est exercitium voluntarium in genere causali formaliter, concedo; virtualiter, interpretatiuè,

& moraliter, nego, & quia pura omissio aliquid addit impropriâ additione, diminutèque tali, quamuis non propriâ, & simpliciter tali; ideo, positâ obligatione ad actum, est voluntaria virtualiter, interpretatiuè, & moraliter, quamuis non formaliter in genere causali. Hinc ad primã probationem minoris dicatur, quod nihil est nihil addere *simpliciter* supra aliud; benè tamen diminute, vt explicatũ est. Vnde pura omissio, quamuis nihil sit, diminutè tamen, & negatiuè addit supra prædicta, quatenus non est quid fictum, neque quid simpliciter identificatum cum supra dictis se tenentibus ex parte actûs primi, idque sufficit, positâ obligatione ad voluntariũ interpretatiuũ.

40 Ad secundam probationem minoris dicatur, retorqueri in primis manifestè, quia si complexum ex libertate, & obligatione ad actum nõ importat actum, quia potest esse sine actû, similiter nõ importabit non-actum, quia potest esse cum actû. Deinde dicatur, in eo complexo neque esse actum, neque non-actum; sed præcisè libertatem, & obligationem: quia esse in complexo, est in eo includi, & in eo complexo precisè includuntur libertas, & obligatio. Tametsi autem non dari simpliciter actum, & dari carentiam actûs idem sint, quia non, aliud intelligitur per dari carentiam actûs, quàm actum simpliciter non esse; non tamen sunt idem non dari in complexo prædicto actum; & dari in illo carentiam actus: quia *primum* est non includi in illo actum; at verò *secundum* est includi in illo carentiam actûs, quæ sunt longè diuersa: sicut longè diuersa sunt nõ includi albedinem in essentiâ hominis, & in eâ essentia includi carentiam albedinis.

CAP. V.

Colligitur ex dictis num possit esse voluntarium absque omni actu?

41 CErtum est, voluntarium directum, siue elicitum, siue imperatum stare non posse absque actû voluntatis. Elicitum quidem, quia consistit in ipsâ volitione elicitâ à voluntate. Imperatum verò, quia consistit in operatione, quæ mediâ volitione fit ex determinatione voluntatis. Vnde certum est secundò, eiusmodi voluntaria stare non posse absque actu intellectûs, quia stare non possunt quin voluntas velit, nequitque voluntas velle absq; actû intellectûs, vt cum com-

H muni

muni dicemus tract. de Actibus humanis in particulari. Quare dubium duntaxat restat de voluntario per omissionem. V. g. omittit quis volitionem audiendi sacrum, quando eam habere debet, poterit ne hoc voluntarium omissiuum consistere absque omni actû voluntatis, & intellectûs? Præ oculis habendum est id, quod diximus disp. 3. cap. 1. num. 4. nempè omissionem non posse esse voluntariam absque potestate ipsam impediendi. Quamobrem, si vera est opinio, quam alibi expendemus, scilicet omissionem existere non posse, posita ex parte voluntatis potestate ad ipsam impediendam, nisi detur actus voluntatis incõpossibilis cum actû omisso, certum erit omissionem non posse esse voluntariam, quin detur actus voluntatis, siue ille formaliter pertineat ad omissionem quatenus voluntariam; siue non. Iam verò, si possibile sit voluntatem potentem ponere actum, omittere ipsum sine actu voluntatis incompossibili cum actû omisso, non repugnabit talem omissionem absolutè existere, & esse voluntariam virtualiter, moraliter, interpretatiuè absque omni actû voluntatis. Ratio est, quia sic voluntaria erit, eo ipso, quòd existat, voluntate potente, ac debente ponere actum oppositum. Atqui ad hoc neque requiritur actus positiuus incompossibilis cum actû omisso, neque est cur requiratur omninò indispensabiliter alius actus voluntatis: ergo, &c.

42 Quibus primò adiungo. In omissione, quatenus voluntariâ moraliter, virtualiter, interpretatiuè, non includitur formaliter actus positiuus voluntatis, quicquid sit an dicatur arguitiuè, nec ne, quod videbimus agentes de possibilitate, vel impossibilitate puræ omissionis liberæ. Ratio est. Nam omissio est prædicto modo voluntaria, eo præcisè, quòd intelligantur hæc tria. *Primũ.* Voluntatẽ nõ ponere talẽ actũ. *Secũdum*, posse ponere. *Tertiũ*, teneri. In his autẽ tribus non includitur, formaliter loquendo, quartũ aliud, nempè voluntatẽ se exercere positiuè in aliquo actû. ¶ Adiũgo secundò. Omissio, quatenus voluntaria moraliter, virtualiter, interpretatiuè, dicit formaliter aliquẽ actũ intellectûs. Probatur. *Primò*, quia quatenus sic voluntaria dicit formaliter ex parte voluntatis verã, & cõpletam libertatẽ impediẽdi ipsam, vt patet ex dictis disp. 3. cap. 1. n. 4. At, vera, & cõpleta libertas ad impediendã omissionem includit actum intellectus indifferenter tribuentis optionẽ voluntati, vt omittat, & nõ omittat actũ. *Secundò.* Quia

Quia omissio quatenus sic voluntaria dicit formaliter imputationem illiûs ad culpam, vel saltem ad aliqualem pœnam, & reprehensionem: hoc autem nô stat, si nullatenùs, quando voluntas omittit, occurrrit intellectui debitum esse, vel stricto, vel laxo debito, non omittere. Dixi *nullatenus*, quia non est opus definito iudicio intellectûs asserentis prauam esse, vel strictè, aut laxè prohibitam omissionem; sed satis erit aliqua cognitio dubitatiua fundans consciẽtiæ remorsum: & hâc dubitatione non depositâ, omittere actum. Videatur P. Vazq. 1.2. disp. 107. cap. 3. iuxta quam doctrinam intelligenda est mens D. Th. hîc q. 6. art. 3. Vazq. D. Tho.

CAP. VI.

Appendix ad præcedentia de requisitis ad voluntariũ in causa.

43 ADhibet quis causam, ex quâ sequitur effectus: v.g. sagittam iacit, ex cuius emissioue sequitur homicidiũ. Dici tunc solet homicidium voluntarium *in causa*. Quærimus, quid requiratur ad voluntarium in causâ? Præmitto primò. Duplex, quoad præsens institutum, causa consideranda est. Alia per se determinata ad effectum, quæ scilicet suapte naturâ adeo est cum effectû connexa, vt physicè nequeat separari ab illo. Sic ignis applicatus passo rectè disposito nequit physicè separari à combustione. Alia verò per se indifferens, vt sortiatur, & non sortiatur effectum, quia benè potest esse naturaliter sine effectû. Sic preces, consilia, & præcepta sunt causæ consensuum liberorum, ad quos mouent. Rursus causa per se indifferens subdiuidenda est, in eam, quæ per se ex munere sibi intrinseco tendit ad hoc, vt effectus sequatur, quæ dici solet causa per se: & in eam, quæ non sic se habet, tametsi, vt coniuncta cum quibusdam additamentis sibi accessorijs, iuuet ad subsecutionem effectûs. Prioris generis sunt consilium, & præceptum de aliquâ operatione præstandâ. Posterioris generis est dare Petro gladiũ: hoc enim non tendit per se ad hoc, vt sequatur homicidium, tametsi vt coniunctum cum voluntate efficaci Petri statuentis eo instrumento vti ad interficiendum hominem, iuuet ad homicidium.

44 Præmitto secundò, vt dicebam disp. 2. n. 5. Vt effectus sit voluntarius in causâ requiritur causam prænosci vt coniungendã cum effectû. Ratio à priori est, prçter dicta loco

cit. Nam eatenus effectus est voluntarius in causâ, quatenus adhibenti causam nó solùm est voluntaria entitas causæ præcisiuè à coniunctione, vel non coniunctione illiûs cum effectû; sed etiam, vt coniungenda cum effectû. At causa nequit esse voluntaria vt coniungenda cum effectû, nisi vt sic coniungenda praenoscatur: nam quâ parte aliquid ignoratur, eâ parte voluntarium non est: ergo, vt effectus sit voluntarius in causâ requiritur causam praenosci, vt cóiungendam cum effectû. Nó tamen requiritur, ita cognosci causam vt coniungendam cum effectû, quòd nulla sit oppositi formido: sæpe nanque censetur effectus voluntarius in causâ, quæ coniungenda cum effectû creditur satis incertâ, & formidolosâ cognitione, vt si prouoces alium ad peccatũ satis dubitans an sit cõsensurus: etenim etiam in hoc casû censetur tibi volũtarium in ea sollicitatione peccatum alteriûs. His positis.

45 Assero primò. Voluntarius est effectus in causâ per se determinata ad effectum, præuisâque vt coniungenda cum effectû. V.g. admouenti voluntarié igné passo rectè dispositos, simulque præno centi futuram indè esse combustionem, volũtaria est combustio in eâ ignis applicatione tanquam in causâ. Ratio est. Nam hîc non deficit processio huiûs effectûs à volũtate: cum enim à voluntate procedat causa determinata ad eũ effectum, & hic effectus procedat ab ea causa, iam hic effectus procedit, quanuis remote, á voluntate, processioque remota sufficit ad voluntarium, maxime non *in se; sed in causa*. Deinde non deficit hic idonea cognitio ad voluntarium in causa: nulla enim cognitio magis est idonea ad huiusmodi voluntarium, quam cognitio causæ quatenùs coniungendæ cum effectũ, vt de se patet: ergo in casû conclusionis nihil deest ad voluntariũ in causa. Et quidem assertio nostra indubitata censeri debet. Vel enim est admittenda, vel omnino tollẽdum è medio volũtarium in causa.

46 Assero secundò. Voluntarius est effectus in causâ de se indifferente ad subsecutionem, & non subsecutioné effectûs, modò talis causa, & præuideatur, vt coniungéda cum effectû, & sit suâptè naturâ ex munere sibi intrinseco destinata ad subsecutionem effectûs, potius quàm non subsecutionem. Probatur primò à posteriori. Nam licet consilium, & præceptum sint indifferentia ad operationem consultam, & præceptam, eiúsque carentiam; tamen in ipso consilio, & præcepto præuisis,

sis, vt coniungendis cum eâ operatione, est voluntaria talis operatio, quanuis ab omnibus alijs præscindamus, exceptis illis, quæ assignantur in conclusione. Deinde à priori. Nam, vt operatio sit voluntaria in genere causali non aliud exigitur, quàm voluntatem ex vi suæ causalitatis coniungi cum operatione præ non operatione, non ignorando talem coniunctionem. At in casu assertionis voluntas ex vi suæ causalitatis cõiungitur cum operatione præ non operatione, quippè adhibet operationis causam ex intrinseco munere destinatam ad subsecutionem operationis, etiamque prænoscitur talem causam coniungendam fore cum operatione. Ergo. Hoc manebit firmius ex dicendis.

47 Assero tertiò. In causa per accidẽs iuuante ad subsecutionem effectûs nõ est voluntarius effectus ex eo præcisè, quòd voluntariè ponatur talis causa, etiamque cognoscatur coniungendam fore cum effectû. Probatur à posteriori. Tum, quia Deo non est voluntarium peccatum hominis, quanuis hominẽ obliget ad non peccandum, sciatque certissimè talem obligationẽ futuram esse homini occasionẽ peccandi. Tum, quia fœmina, quæ consueto ornatû Ecclesiam adit, non est causa voluntaria peccati, quãuis satis probabiliter cognoscat obscœnum iuuenem arrepturum inde esse occasionẽ, vt amore turpi exardescat. Tum, quia propterea pluuiã arcenti à proprio prædio non imputatur alieni prædij inundatio, quæ tali occasione contingit. Alia perplura exempla suppetunt in moralibus. Ratio à priori est. Nam, vt aliquid sit causaliter voluntarium, *in alio tanquàm in causa, vel quasi causa*: & quidẽ ex eo præcisè, quod voluntas adhibeat hoc aliud, requiritur, vt volũtas ex vi præcisè adhibendi hoc aliud, magis promoueatur in genere effectiuo ad coniunctionẽ cum tali effectû, quã ad oppositũ: idque nõ stat, si illud aliud de se præcisè acceptũ, & sit indifferens ad effectũ, & carẽtiã effectûs, & nõ sit magis destinatũ ad subsecutionẽ effectûs, quã ad nõ subsecutionẽ. ¶ Vnde, rigore metaphysico seruato, tametsi adhibeas eã causã per accidens ex intẽtione explicitâ, vt eius occasione detur talis effectus, nõ ideò hic euadit magis voluntarius in genere causali effectiuo; sed præcisè affectiuo, & obiectiuo. Nã intentio adiuncta, nullo alio medio adhibito, non præstat quòd effectus magis effectiue promoueatur ad existẽtiam, quàm si nihil adderetur; sed præcisè facit, quòd effectus sit magis volitus.

48 Quamquam hæc mihi videantur satis vera, sunt tamen obiectiones, quibus nonnihil implicantur. *Primò*; quia Deus causat volũtatem creatam cum potestate ad peccandũ, certò sciens futurum esse, vt peccet. Cur ergo tale peccatum non censetur Deo voluntarium? Quod argumentum firmatur propositis, quæ sequuntur. *Secundò*. Diabolus prouocans hominẽ tentationibus ad peccandũ, est causa volũtaria, vt homo peccet: ergo etiã Deus producens physicè in homine cogitationes allicĩẽtes ad peccandũ, motusq; necessarios appetitus, ac volũtatis, qui ad peccatũ inclinant. *Tertiò* cõsulens, petẽs, & præcipiens operationẽ est causa moralis, & volũtaria operationis, quin eam causalitatẽ effugiat, quanuis fictè cõsulat, petat, & præcipiat absque intẽtione, vt operatio sequatur: ergo cũ prędictę cogitationes, & motus necessarij producti physicè à Deo nõ minus inclinent ad peccatũ, quã nostra cõsilia, preces, & pręcepta ad operationes consultas, petitas, & iussãs, non minus Deus erit causa volũtaria peccati. *Quartò* quid dicemus de Deo, si possit producere, ac reipsa producat intensissimũ habitũ vitiosum vehementissimè inclinantẽ ad peccatum? *Quintò*. Quid de ipso Deo producente necessitatẽ moralem, vt per longũ tẽporis spatiũ cõmittatur aliquod peccatũ veniale? Cur tunc nõ erit causa voluntaria, vt existat aliquod peccatũ veniale? *Sextò*. Deus causans dona gratiæ cõsistentia in cogitationibus salutaribus, & affectionibus indeliberatis circa honestatẽ, est causa volũtaria operationis salutaris pręuisæ in ipsis. Cũ igitur plura ex enumeratis nõ minus ad peccatũ inclinent, quã tales cogitationes, & affectiones ad opus salutare, Deus prædicta producens erit etiã causa voluntaria peccati præuisi in ipsis. Tandẽ. Qui peccans corã alijs est ipsis scandalo, est causa voluntaria peccati alieni, quanuis propriũ peccatum, & sit indifferens ad subsecutionẽ, & non subsecutionem alieni; & non destinetur ex intrinsecis ad subsecutionẽ alieni peccati. Falsa igitur est tertia conclusio.

49 Non est facile proposita expedire, ita vt de Deo loquamur tàm caste, quàm par est. Conabimur tamẽ verissimè sentire, castissimeque loqui. *Ad primũ resp.* Idcirco Deo producenti voluntatem cum potestate ad peccandum non est voluntarium peccatum in genere causali, quia voluntas, etiam cum ea potestate, sic indifferẽs est, vt sequatur, & non sequatur peccatum, vt suapte natura intrinsecè prout à Deo descendẽs

non

non sit potius destinata ad peccati subsecutionem, quam ad nõ subsecutionem; sed potius ad exercitium bonorum operum, & ad ea exercenda cum maiori merito ex eo, quod non solum rectè; sed etiam prauè possit ipsa omittere. Si petas in quo stet voluntatem sumptam cum potestate ad peccandum non esse suapte naturâ destinatam ad peccatum? Respondeo, stat in eo quòd inspectâ ipsius entitate procedente a Deo, non est ipsi magis cõsentaneum á Deo autore naturæ dirigi ad hoc vt sequatur peccatum, quam non sic dirigi. Sicut quamuis corpus graue sit intrinsecè aptum, vt per impetum agentis exterioris feratur sursum, non destinatur suapte naturâ ad eam lationem: quia, inspectis intrinsecis prædicatis eius corporis, non est ipsi connaturalius dirigi ab autore naturæ ad talem motum. Hac ratione mihi videtur intelligenda solutio, quam ad simile argumentum contendens probare Deum esse causam peccati, adhibet Præceptor semper Angelicus 1. 2. quæst. 79. artic. 1. ad 3. *D. Tho.*

50 *Ad secundum resp.* Potest dupliciter Diabolus cõsiderari tentans, & prouocans hominem ad peccãdum. *Primò* proponendo delectabilitatem obiecti prohibiti, hinc inde incendendo cogitationem illiûs ex intentione peccati, & hâc præcisâ ratione peccatum est Diabolo voluntarium affectiuè, & obiectiuè; non verò effectiuè, adhuc moraliter. Quia nihil in istâ consideratione procedit ex Diabolo, quod suapte naturâ destinetur ad hoc vt peccatum existat: prædicta namque cogitatio, quantumuis viuax, non destinatur de se ad hoc, vt voluntas peccet, vt in responsione sequentium exponemus. Diabolus autem eam accendens dicitur tentator ad peccandum propterea quod eam acuit ex intentione peccati. Secundò, considerari potest ad peccandum instigans locutionibus suasiuis, consultiuis, & exhortatiuis (quarum naturam aperiemus alibi) & tunc est causa moralis effectiua peccati, quia signa practica adhibet, quæ prout talia signa sunt, destinantur suapte naturá, vt detur peccatum, de quo iterum ad tertium. Quoniam ergo Deus (siue positiuè causet; siue purè permissiuè se habeat ad motus illos, & cogitationes circa delectabilitatem obiecti prohibiti, de quo vide si placet P. Ruiz tom. de Volũt. disp. 36. sect. 7.) nihil adhibet suapte naturâ destinatum, vt peccatum existat, ideo peccatum non est ipsi voluntarium in genere causali. *P. Ruiz*

51 *Ad tertium resp.* concesso antecedente, & negato supposito consequentis de inclinatione ad peccatū formaliter acceptum; concesso tamen de inclinatione ad materialem entitatem peccati indifferentem ad malitiam, & carentiam malitiæ: ex quo summum infertur, Deum esse causam moralē voluntariam eius entitatis materialis, quod nequit putari absurdum, iuxta communem sententiam tribuentem Deo, quòd sit causa physica eiûs entitatis; non tamen infertur Deū esse causam moralem voluntariam peccati formaliter. ¶ Explicatur solutio, cuius doctrina videtur scitû digna. Cōsulens, petens, & præcipiens hic, & nunc operationem, consilio, petitione, & præcepto absoluto causa est volūtaria eius operationis reipsa secutæ: & hoc tametsi consulens &c. non habeat interiùs animum, vt ea operatio sequatur. Ratio est. Quia tale consilium (idemq; dicatur de petitione, & præcepto) ex ipsâ naturâ cōsilij destinatur practicè ad hoc, vt subsequatur potius, quam non subsequatur operatio consulta: vnde hâc secutâ, & in ipso consilio præuisâ, iam consulens est causa voluntaria ipsiûs.

52 Rursus. Qui in circumstantijs, in quibus operatio nequit exerceri absque malitiâ consulit talem operationem consilio absoluto, nullâque ratione conditionali, aut restricto, causa est moralis voluntaria, non solùm, vt operatio fiat, sed etiam, vt malè fiat. Ratio est. Quia vis consilij omnino absoluti, suapte naturâ tendit ad hoc, vt res consulta fiat, non obstantibus in contrarium quibuscunque. Vnde, in circumstantijs, in quibus operatio nequit exerceri sine malitiâ, consulere talem operationem est implicitè, vel explicitè sic consulere * Fac hoc quamuis malitiâ turpandum *. Consulenti autem hoc modo voluntaria est operatio, vt mala; quippè adhibet causam suapte naturâ inclinantem, vt operatio non solùm fiat; sed etiam turpiter fiat. Propterea concessi absolutè antecedens huius tertij argumenti. ¶ Præterea: cogitationes proponentes delectationem, & cōmoditates furti, ac vindictæ, v. g. motusque indeliberati impellentes ad furtum, & vindictam non inclinant ad hoc vt furtū, & vindicta decernantur *turpitèr*; sed præcisè ad entitatem decreti talium obiectorum indifferentem de se, vt cum turpitudine morali, vel sine illâ fiat. Ratio est: quia præcisè impellunt ad hoc vt medio decreto talium obiectorum obtineantur

dele-

delectatio, & commoditates, quas ea obiecta pariunt: cumque adhoc necessaria sit materialis entitas eius decreti; non vero deturpatio moralis ipsiûs, ea quidem entitas; non autem hæc deturpatio cadit sub intrinsecam inclinationem earum cogitationum, & motuum.

53 Hinc in solutione argumenti diximus primò, falsá suppositione implicari, quòd prædictæ cogitationes, & motus secundùm suam intrinsecam entitatem descendentem à Deo inclinent ad peccatum formalitèr acceptum. Non enim inclinant ad talium obiectorum decretum, vt turpatum malitiâ, atque, vt sic duntaxat est peccatum formalitèr. Concessimus tamen secundò inclinare ad materialem entitatem peccati, quia scilicèt impellunt ad id, quod necessarium est, vt voluntas obtineat prædictas commoditates, & delectationem: eaque materialis entitas decernendi talia obiecta est ad eum finem necessaria. Ex quibus summùm infertur Deum causantē physicam entitatem earum cogitationū, & motuum esse causam voluntariam entitatis materialis actûs, qui aliàs est peccatum; non vero causam malitiæ: hæc enim, quamuis alioqui existens, est extra inclinationem talium cogitationum, & motuum, vt entitatiuè fluetium ex Deo. Quæ est ratio, quàm subtilitèr, & profundè tradidit breuiter D. Thom. loco cit. Si quis autem defendere velit, in circumstantijs, in quibus actus voluntatis nequit absque malitia fieri, non posse Deum esse causam physicam immediatam, & absolutam eius actûs materialitèr accepti, videbimus tract. de Peccatis, an solidam possit adhibere disparitatem, vt eam causalitatem physicam excludat; non vērò moralem circa materialem entitatem eiûs actûs.

54 Si verò contra solutionem traditam vrgeas primo, prædictas cogitationes, & motus inclinare disiunctiuè ad talium obiectorum volitionem, vt exercendam malè moralitèr, vel non male moraliter, quoniam ad finem obtinendi delectationem, & commoditates, quas ea obiecta pariunt, non est necessaria talis volitio, siue determinatè, vt exercenda prauè; siue determinate, vt exercenda, non prauè; sed indeterminate, vt exercenda prauè, vel non prauè. Negabitur antecedens. Ad probationem dicetur. Quamuis ad eum finem necesse sit talem volitionem exerceri prauè, vel nōn prauè, eo quod impossibile est exerceri; & tamen neutro ex his modis; non ta-

men ad eum finem ita necesse est vno ex eis modis exerceri, vt potius sit causatiua finis, quatenus coniuncta cum malitiâ, vel quatenus coniuncta cum carentiâ; quàm accepta secundum se: & ideo tales cogitationes, & motus inclinant determinatè ad illam secundùm se; non verò indeterminatè ad illã, vt cum malitiâ, vel cum carentia malitiæ coniunctam. Sicut intentio sanitatis inclinat ad medicamenta secundum se; non autem indeterminatè ad illa, vt coniuncta cum conuersione; vel cum carentiâ conuersionis Turcæ; quia, vt coniuncta cum eis extremis non potius, quàm secundùm se sunt causatiua sanitatis.

55 Si vrgeas secundò, non habere locum nostram solutionem, casu, quo tales volitiones furti, & vindictæ v. g. sint intrinsecè, & essentialitèr prauæ, quia tunc eas cogitationes inclinare ad tales volitiones erit inclinare ad malitiam. Respondebitur, vel negandam esse possibilitatem actûs intrinsecè, & essentialitèr praui. Vel dicendum, eas cogitationes, & motus non inclinare positiuè ad talem actum: quia solùm inclinant positiuè ad illud ad quod dirigi postulant suâpte naturâ ab autore ipsorum: & neque suapte natura postulant dirigi, siue à Deo, siue creaturâ ad actum essentialitèr prauum: hoc tamen actû posito, dici potest non manere violentas, vel quasi violentas eas inclinationes ad volitionem eorum obiectorum indifferentem ad prauitatem, & non prauitatem, quia sunt inclinationes non omninò absolutæ, & nullatenùs restrictæ ad talem volitionem, sed ad hanc, excepto casû quo decernantur talia obiecta per actum essentialitèr prauum. Sic decretum dandi gloriam Petro, excepto casu, quo moriatur in peccato mortali, non manet violentum, vel quasi violentum, negatâ gloriâ Petro decedenti in mortali. Sed de his forsàn alibi.

56 Vrgebis. Potest, quis propter acerbissimas pœnas, quibus à Deo mulctatur, tàm malè animari contra Deum, vt per cogitationem proponentem, quòd volitio furti, vt facta liberè, & cum cognitione malitiæ prouocat indignationem diuinam, inclinetur in actu primo ad exercendam eam volitionem liberè, praueque. Potest igitur accidere inclinationẽ à Deo productam tendere ad hoc, vt volitio exerceatur praue. Resp. Casus antecedentis potest bifariam considerari. *Primò*, vt ea mala animatio contra Deum sit peccatum nullatenùs à Deo existens; sed purè putèque à creaturâ. *Secundò*, vt

ea

ea mala animatio fit odium necessarium physicè à Deo productum, & ex Deo determinante existens, & sine libertate creaturæ resultans ex earum pœnarum diuexatione(Non disputo nunc de possibilitate casuum) In primo euentû, id quod in actu primo inclinat ad prædictam volitionem, vt prauam, non est præcisè cogitatio proponens prauitatem: ea quippe cogitatio de se præcise accepta aptior est, vt à prædictâ volitione reuocet, quàm, vt ad eam volitionem inclinet. Quapropter, quod in eo casû inclinat ad illam, vt prauam, est cõiunctum ex eâ cogitatione, & ex eo peccato malæ animationis contra Deum. Cum igitur istud cõiunctum, non sit à Deo; sed ea solùm pars, quæ reuocatiua potius est à volitione, vt prauâ; quàm ad eam, vt prauam inclinatiua, plane fit, Deum non inclinare ad peccatum, vt tale. Sic, iuxta plures, actus fidei diuinæ, quòd Christus sit homo, non mouet de se præcise ad falsitatem de immortalitate Christi; ad quam tamen falsitatem mouet coniunctum ex eo actû, & ex hoc alio falso * Omnis homo est immortalis. *

57 In secundo euentû dicatur. Dato, quòd possit Deus ex se ipso producere in creaturâ physicam illam entitatem odij seorsim à prædictâ cogitatione, etiamque possit istam cogitationem producere seorsim à productione talis odij; non tamen potest producere simul coniunctum ex vtroque inclinans ad peccatum, vt tale: est enim extra potestatem optimi Dei causam ex se esse inclinationis ad peccatum, quatenùs peccatum. Sic potest Deus prædeterminare disiunctiue Franciscum ad hoc, vt exerceat amorem beneuolentiæ erga Petrum, vel erga Paulum. Potest etiam obligare, sub peccato Franciscum adhoc, vt id, non præstet. Tametsi autem possit sic obligare seorsim ab eo, quòd ita prædeterminet: possitque similiter ita prædeterminare seorsim ab eo, quod sic obliget; non tamen potest sic obligare, & prædeterminare simùl. Nam obligare Franciscum, sub peccato, vt exerceat beneuolentiam erga Petrum, vel Paulum, & simul obligare, sub peccato, quòd erga nullum istorum eam beneuolẽtiam exerceat, esset Franciscum determinare ad peccandum, quod est extra potestatem optimi Dei. Et hæc satis occasione tertij argumenti.

58 *Ad quartum ex num. 48.* admisso, quòd possit Deus ex se ipso producere habitum intentisissimè inclinan-

tem

tem ad peccatum sumptum pro entitate materiali indifferente ad malitiam formalem, & carentiam malitiæ; nego posse ex se ipso producere habitum inclinantem ad peccatum, prout importat formalem malitiam. Quare tantum sequitur posse Deum esse causam moralem voluntariam prædictæ entitatis materialis, quod absurdum non est. *Ad quintum* dicatur repugnare, quòd Deus producat necessitatem moralem inclinantem ex se ipsâ ad hoc, vt per talem, vel talem tramitem temporis committatur aliquod peccatum veniale suâ formali malitia turpatum. Quapropter, ea necessitas moralis, quam communiter admittunt Theoll. de non abstinentiâ valde diuturnâ, citra speciale priuilegium à peccato veniali, ponenda non est in inclinatione eius generis; sed in eo, quòd omnibus pensatis, sunt plurima, quæ faciunt moraliter certum, quòd homo non abstinebit tandiù à materiali cuiusvis peccati venialis, quin ea certitudo impediatur ex eo, quòd res sic se habeant, vt tale materiale sit inficiendum malitiâ, sed de hoc diligenter agendum est proprio in loco.

59 *Ad sextum*. Auxilia gratiæ inclinant ad opus salutare honestum quoad materiale, & formale: cætera verò, quæ Deus ex se ipso producit, dicũturque inclinare ad peccatum, inclinant ad illud quoad materiale; non autem, quoad formalem malitiam, vt explicatum est. Vnde nihil mirum, Deum ex primo capite esse causam voluntariam moralem operis honesti salutaris accepti secundùm materiale, & secundùm formale honestatis; & non esse ex secundo capite causam operis praui accepti secundùm materiale, & secundùm formalem turpitudinem; sed accepti duntaxat secundùm materialem entitatem. *Ad vltimum*. Verum est antecedens in casu obligationis, non solùm impediendi peccatum proprium; sed ipsum impediendi ad euitandum alienum. Tunc enim peccatum alienum est voluntarium moraliter, virtualiter, & interpretatiuè, vt constat ex doctrina huius disp. At, eiusmodi obligatione seclusa, falsum est antecedens. Si enim, non tenearis euitare peccatum alienum, quod ex tuo peccato per accidens sequetur, erit quidem tibi voluntarium proprium peccatum; non autem alienum. Sic fœminę, quæ consentit in actum turpem, incusso sibi mortis metu, voluntarium est proprium peccatum; non verò alteriùs fœminæ ruina, quam præuidet ea

occa-

occasione fore; ad quam tamen vitandam; neque ex charitate, nec ex alia virtute in eo casû tenetur.

DISPVTATIO QVINTA.

De violento respectiuè ad voluntatem humanam.

VIolentum, & inuoluntarium videntur maxime opponi voluntario. Quapropter, hoc explicato, illa declarare aggredimur. Et licet Theoll. communitèr inde occasionem arripiant, vt plura disputent de violento in genere, nos tamen solùm exagitabimus, quæ ad humanam pertinent voluntatem, adiunctis duntaxat, quæ ad eorum intelligentiam necessaria videantur. De alijs autem in physicis satis.

CAP. I.

Præmissis requisitis ad constitutionem violenti, proponitur, an voluntas possit pati vim in carentia operationis?

1 ARist. 3. Ethic. cap. 1. sic iuxta meam editionẽ violentum diffinit: *Id autem est violentum, cuius principiũ extrinsecus eiusmodi est, vt ei neque, qui agit, neque, qui patitur, quippiam conferat*: & statim exemplum adhibet: *Quemadmodum si ventus aliquo, aut homines, qui potestatem habeãt, nos detulerint*. Iuxta hanc diffinitionem Arist. duo requiruntur ad violentum. *Primum*, quòd ab extrinseco accidat ei, qui violentiam patitur. *Secundùm*, quod is, qui patitur vim nihil conferat ad id, quòd violentèr agit, vel patitur. Vt, hoc intelligatur, notandum est primò. Verbum *conferre* idem in præsenti significare, quòd vtilitatem afferre, vel prodesse: iuxta illud Columel. lib. 1. *Cæterum, & ad æstiuos temperandos calores plurimum conferunt salientes riui.* Nota secundo. prodesse ad aliud stat dupliciter. *Primò*, ex eo præcisè quod aliquomodo deseruiat ad illud: & hoc modo non est contra rationem

rationem violenti, quod ad illud prosit, qui violentiam patitur. Nam aliquo modo deseruit aqua ad hoc, vt ipsa aqua recipiat calorem; & tamen aqua in recipiendo calore patitur violentiam. *Secundò*, non vtcunque deseruiendo ad illud; sed vel positiuè exigendo, quòd detur, vel saltem, non repugnando eius existentiæ: & hoc est contra rationem violenti. Nihil enim violentum est in eo ad quod habet natiuam inclinationem, & exigentiam, vel in eo cuiûs existentiæ nullatenus resistit. Sic materia violenta non est in receptione formæ substãtialis, quia natiuam inclinationem habet ad talem receptionem. Sic etiam anima rationalis violenta non est in receptione gratiæ supernaturalis: quanuis enim non habeat inclinationem natiuam ad eam gratiam; non tamen ipsius receptioni obsistit.

2 Quamobrem, Aristotelica diffinitio sic potest clarius tradi. *Violentum est alicui, quod tàm ab est, vt ipsi proueniat ab intrinseca inclinatione, per quam ad illud propendeat, vt potiùs eius existentiæ resistat.* Quo respexit D. Thom. 1.2. q. 6. art. 4. ad 2. dicens, *quòd non semper motus est violentus quando passiuum immutatur à suo actiuo, sed quando hoc fit contra interiorem inclinationem passiui.* Legatur etiam Scotus *in 4. distinct. 29. § Ad quest.* necnon ipse Arist. lib. 2. Eudemior. cap. apud me 8. illis verbis. *Eodem pacto, & animalia, & inanimata vi multa cùm facere, tum pati animaduertuntur, quãdo scilicet præter naturalem impetum ab externo aliquo mouetur.* Vbi vox *præter* sumitur contrariè, idemque sonat, quod *contra* vt sæpè alibi. Rursus idem Arist. sect. 1. problematum q. 6. ex interpretatione Theodori Gazæ ait: *violentum esse, quod est contra naturam.*

D. Tho.

Scotus

Aristo.

Gaza

3 Duplex ergo conditio requiritur ad violentum; altera ex parte inferentis vim; & altera ex parte patientis. Ex parte inferentis vim requiritur, quòd sit extrinsecum patienti. Ex parte autem patientis, quòd resistat quominus id patiatur. Obseruandum est, nonnunquam dici aliquem sibi ipsi vim inferre. V.g. sibi vim inferre dicitur, qui nimio circa se ipsum amore affectus mortificationis operibus incumbit: ex eo enim amore prouenit, quòd ea opera cum magna animi resistentiâ præstet. At, in hoc, & similibus casibus, quanuis dici possit inueniri violentum secundùm quid ratione talis resistentiæ; non tamen simpliciter. Tunc, enim homo ex intrinsecâ sua

vir-

virtute, propensioneque prædictis operibus incumbit, quod patet esse contra violentum simpliciter.

4 Ex dictis nonnullæ quæstiones in præsenti materiâ dirimendæ sunt. Prima sit, an voluntas pati possit violentiam in carentiâ operationis? Diuersimodè potest excogitari voluntas operatione suâ carens. *Primò*: quatenus Deus ex se neget ipsi concursum ad operandum, cum tamen ex parte rerum creatarum non sit indifferens ad opposita; sed determinata ex parte actûs primi ad vnum: vt si voluntati videntis Deum determinatæ in actû primo, ex vi ipsius visionis ad amandum Deum, ipse Deus ex se deneget concursum ad talem amorem. *Secundò*: quatenus voluntati instructæ cunctis prærequisitis creatis ad amandum v.g. & omittendum amorem, Deus ex se ipso deneget illi concursum ad amorem. *Tertiò*, quatenùs impediatur voluntas, quominus habeat aliquod prærequisitum creatum necessarium ad operandum, cuiusmodi est propositio obiecti ad ipsum obiectum amandum. Discutiemus, an voluntas in his casibus patiatur violentiam, nec ne? ¶ Noto *secundò*. Duplex est, quantum ad præsens attinet, actus volũtatis. Alius est merè elicitus; & alius elicitus simul, & imperatus. Prior est ille, qui elicitur (vel eliceretur à voluntate si non impediretur) quin voluntas per actum anteriorem decernat ipsum elicere. Posterior est ille actus, qui, licet eliciatur à voluntate, præsupponit tamen ex parte voluntatis decretum exercendi ipsum: vt si actus contritionis eliciatur à voluntate prædecernente talem actum. Dubium est, an voluntas possit pati violentiam in carentiâ actûs merè eliciti; vel saltem in carentiâ actûs eliciti simul, & imperati. ¶ Noto *tertiò*. Non disputamus modò; sed ponimus ex physicis, posse Deum inferre violentiam creaturis, & iuxta hanc positionem controuertimus, an speciali nomine repugnet voluntatem pati violentiam in carentia operationis?

5 Noto *quartò*, vt certiora ab incertioribus separemus, non semper voluntatem non operantem pati violentiam in carentia operationis. Ratio est, quia non habet intrinsecam exigentiam operandi perpetuò: ergo quandoque non-operari non erit contra ipsiûs internam inclinationẽ. Hinc noto *quinto*. Non semper est voluntati violentum carere prærequisitis ad operationem. Nam, cum ea prærequisita postulet propter operationem, si hanc non exigit habere semper, neque exiget

habere

habere semper cuncta prærequisita ad ipsam; & consequenter aliquo ipsorum quandoque priuari contingere poterit citra violentiam. *Sextò*, tamen satis verisimile est, vt post alios notat Auersa 1.2.q.6.sect.9. vers. *Cæterum potest*, contra Ricard. Paludan. Caiet. Conrrad. & Martinez, violentum esse voluntati carere in perpetuum, vel ad longum tempus prærequisitis ad operationē. Cum enim sit operatiua facultas suapte naturâ destinata, vt suis operationibus se perficiat, videtur internam exigentiam habere ne per tantum temporis otietur, nisi forte ex suâ libertate, & consequentèr ne per tantum temporis careat prærequisitis ad operationem. Videatur Auersa suprà.

Auersa *Ricard.* *Palud.* *Caiet.* *Cōrrad.* *Marti.*

6 *Septimò*. Consequentér ad proximè anteriorem notationem contingere poterit, vt à causis secundis proueniat vis contra voluntatis exigentiam nō otiandi per longū tempus: potest enim à causis secundis homini prouenire diuturnus lethargus, vi cuius tanto tempore voluntas otietur, quanto postulat non otiari. *Vltimò* noto, voluntati instructæ cunctis prærequisitis ad amandum, & non amandum nequeunt causæ secundæ vim inferre faciendo, quòd in sensu composito talium prærequisitorum careat amore. Nam, vt ponimus ex verissimâ doctrinâ D. Thomæ communitèr receptâ, nequeūt creaturæ immediatè, ac directè in nostra voluntate agere, siuè ipsiûs actus faciendo; siue impediendo. Quibus positis, certum est in suppositione in quâ loquimur, causam primam posse vim inferre nostræ voluntati impediendo illam operari per totum illud tempus, per quod postulat, non prorsus otiari. Nihil enim prohibet causam primam se habere circa nostram volūtatem eo modo, quo habere se posse diximus causas secundas. Dubium ergo duntaxat superest, an Deus possit vim inferre nostræ voluntati modis alijs assignatis, num.4.

D. Tho.

7 *Prima* sententia est, non posse Deum inferre violentiam nostræ voluntati eius operationem impediendo. Sic, sentiunt Ioannes à S. Thoma hic disp.4.art.1.vers. *Resolutio nostra est*. Et magna ex parte Illephonsus Baptista disp.83. maximè n. 82. Pascualig. de Voluntario disp.16.sect.10. Satis probabilem censet Marcus Serra 1.2.q.6.art.4. fine. Pro eâdē opinione stant apud illos Durādus, Caiet. Cōr. Palud. Martinez, multique ex RR. Thomistis. ¶ *Secunda* sententia est, non posse Deum inferre vim nostræ voluntati quoad impeditionem

A *S.Th.* *Baptista* *Serra* *Durād.* *Caiet.* *Cōrrad.* *Palud.* *Marti.* *RR.Th.*

ein actuum merè elicitorum; benè tamen quoad impeditionem illorum, qui, si exercerētur, essent simul eliciti, & imperati. Sic sentiunt Petrus Cornejo 1.2. tract. 4. disp. 2. dub. 4. Almain. tract. 1. moral. cap. 1. Curiel. dub. 3. § 2. conclus. 2.

¶ Tertia sententia est, posse Deum absolutè loquendo vim inferre nostræ voluntati quoad impeditionem operationis. Sic sentiunt Auersa 1.2. q. 6. sect. 9. Communiter Doctores Societatis. Ex nouioribus P. Arriaga disput. 10. sect. 5. Magnâ ex parte P. Obiedo 1.2. tract. 2. controu. 2. punct. 3. conclus. 10. & 12. P. Amicus disp. 3. sect. 4. n. 10. P. Præpositus 1.2. q. 6. art. 4. dub. 2. apud quos P. Valent. P. Suar. P. Vazq. P. Tannerus. P. Salas, P. Granado, P. Gasp. Hurtado, P. Baldellus, Fauent Marsil. Medina, Lorca, Montesinos, Malderus, Gamachæus: necnon cursus Carmelit. 1.2. tract. 10. disp. 5. dub. 3. §. 2. Quam sententiam, vt veriorem amplector, & explico, cap. seq.

Cornejo. Almai. Curiel. Auersa. Arriag. Obiedo. Amic. Præposi. Valent. Vazq. Suar. Tanner. Sal. Hu. Baldel. Lorca. Montes. Malder. Gamac. Carmel.

CAP. II.

Stabilitur vera sententia.

8 PRo cuius illustratione sit prima conclusio. Deus infert violentiam voluntati, si neget illi concursum ad eam operationem, ad quam ex parte rerum creatarum est determinata in actu primo: v.g. si voluntati videntis Deum neget concursum ad amandum ipsum Deum. Probatur. Volūtas ita determinata ad amorem habet propensionem innatam, inclinationem, & exigentiam amoris: ergo Deus impediens amorem, negato concursu ad ipsum, infert voluntati vim: quippè tunc Deus tanquam agens extrinsecum impedit voluntati perfectionem, quam assequi conatur propensione innatâ. Antecedens probatur. Tum, quia facultas suopte genio destinata ab autore naturæ, vt suis operationibus se perficiat, non est credibile carere propensione, vt aliquando saltem ita se perficiat. Si autem habet talem propensionem, nunquam sanè potiori ratione, quam in eâ opportunitate, vbi ex parte rerum creatarum nihil obest, quominus autor naturæ cum eâ facultate concurrat, vt talem perfectionem sibi comparet. Tum, quia nullum extat vehementius indicium ad colligendam naturalem propensionem alicuius ad aliud, quàm perpetuò illud

habere. Sic quia perpetuò materia prima corporea formam substantialem, & quantitatem habet, nobis persuademus propensionem naturalem materiæ ad formam substantialem, & quātitatē; ac propter eādē rationē nobis persuademus naturalem propensionem compositi substantialis ad subsistētiam, animæque rationalis ad suas potentias. At, voluntas, vt determinata ex parte rerum creatarum ad amorem, nunquam amore caret: ergo, vt ita determinata propensionem innatam habet ad amorem.

9 *Secundò*, probatur ad hominem contra aduersarios. Nā admissâ opinione quòd materia possit existere diuinitùs absque omni formâ, materia patietur vim à Deo priuante illam omni formâ, vt fatentur aduersarij. Ergo voluntas, modò assignato determinata ad amorem, patietur vim à Deo impediente amorem. Probatur consequentia. Ideo in casû antecedentis datur violentia, quia materia caret perfectione, ad quā intrinsecè ordinatur, eâque ordinatione, vi cuiûs nequit naturalitèr existere sine tali perfectione. At, in casû consequentis voluntas, vt ex parte rerum creatarum determinata in actû primo ad amorem, nequit naturalitèr existere sine perfectione amoris; &, vt sic determinata, ea tendit ad amorem ordinatione, vt naturalitèr existere nequeat absque perfectione amoris: ergo etiam in casû consequentis datur violentia. ¶ Respondet Mag. Ioannes à S. Thom. sup. vers. *Resp. Quòd, vt diximus* (omitto, quæ non tàm faciunt ad solutionem argumēti, quàm ad confirmandùm, quòd in eo casû manet in materiâ appetitus innatus ad formam) respondet, inquam, voluntatē nostram esse agens secundùm, Deo primo, & superiori agenti subordinatum, quod proinde non inclinatur ad agendùm, nisi mediâ motione; & influxu Dei: quapropter hoc influxû cessante, & à Deo negato, tametsi nostra voluntas careat operatione; nō caret illâ violentèr; sed naturalitèr. Quid enim naturalius, quam causam secundam non agere absque influxû primę? At, verò materia fertur erga formam appetitû innato independentèr ab eo, quod moueatur à forma; quin potius, si forma sit absens; materia magis inclinatur ad ipsam.

A S.Th.

10 Quæ in hac solutione militant contra nostram conclusionem diluemus in sequentibus. Deinde, quæ falsò miscentur de maiori appetitû materiæ circa formas absentes, quàm circa præsentes reijciuntur in physicis. Nunc præcisè contendo

solu-

ſolutionem traditam nō ſatisfacere. Nam eſto materia formā innatè appetat independētèr ab eo, quod à forma moueatur, argumentum manet in ſua vi. Sic enim vrgetur. Sicut actiuum creatū ita Deo ſubordinatū eſt, vt agere nequeat, niſi Deo influente; ita paſſiuū ſic Deo ſubordinatū eſt, vt nullā poſſit ſuſcipere perfectionem, niſi à Deo illam dante. Vndè, ſi naturaliſſimū; non autē violentū, eſt non operari abſque influxû Dei; naturaliſſimum etiam; non violentum erit non ſuſcipere perfectionem abſque datione Dei. Sed, hoc non obſtante, violentia interuenit, Deo non dante materiæ perfectionem formæ ſubſtantialis, quia nimirum, quanuis materia, nō exigat ſuſcipere formam ſine datione Dei; exigit tamen, quòd Deus illam det: ergo ſimilitèr violentia interueniet, Deo non influēte cum noſtra voluntate ad operationem in casû noſtræ concluſionis, nō quia noſtra voluntas exigat *operari ſine influxu Dei*; ſed quia poſtulat in eo casû, quod Deus influat.

11 *Tertiò*. Nam incredibile eſt, voluntatem videntis Deum minus exigere Deū videre, quā ignē applicatū paſſo cōburere illud, & aquā poſitam extra proprium locū deſcendere ad illū; & ſaxum detentum extra centrum tēdere ad ipſum. At, in iſtis exemplis interuenit violentia quando cōtingit oppoſitū illi, quod exigitur, ideoque ait expreſsè D. Th. *q* 6. *de pot. art*. 2. *ad* 3. quōd ignis Babylonicus, quando ex defectu concurſus diuini prohibitus eſt cōburere; & aqua Iordanis, quando prohibita eſt deſcendere, paſſa eſt aliquid contra naturā: ergo interuenit etiā violentia, quando voluntas videntis Deū ex defectu diuini cōcurſus prohibita eſt amare Deū. ¶ Reſpondet Ioannes à S. Th. ſup. verſ. *Ad exemplū autem*, ideo lapidem detentū pati violentiam, quia conatur in oppoſitum, & renititur detentioni: ſi enim quis lapidem humeris detineat, fatigatur, nimirum, quia lapis grauitat in actû ſecundo. Nec ſufficit ad violentiam inclinatio in actu primo; ſed requiritur conatus in actu ſecūdo. Nam, cauſa præcisè in actu primo inclinata indifferens eſt, vt agat, & ceſſet, ſi enim ſibi dentur concurſus, & alia requiſita eſt inclinata ad agendum; ad ceſſandū autem ſi negetur concurſus. Non ergo ſufficit ad violentiam ſola inclinatio in actu primo cum prædictâ indifferentia.

D. Th. A S. Th.

12 Sed hæc ſolutio multis nominibus inſufficiens mihi videtur. *Primò*. Nam vt D. Thom. loco citato ſentit, aliquam dari vim contra naturam, quando aqua ſtans nō deſcendit, ſic

etiam idem sentit, quando igni applicato negatur diuinus cōcursus. At, iuxta hanc solutionem, nequit in primo casu negari violentia, cum ea concedatur in casu lapidis detenti extra centrum, in quo casu eadem est ratio: ergo nequit negari violentia in casu negandi concursum ad combustionem igni applicato: & consequentèr negari nequit violentia in casu negādi concursum ad amorem voluntati videntis Deum. Quamobrem, minus benè, & contra D. Thom. supponit semel, & iterum Mag. Baptista *disp. 83. num.* 100. *& num.* 107: *fine* nullam intercessisse vim contra naturam, quādo Deus abstulit concursum igni Babylonico. *Secundò*. Sumamus id, quod præstat in actu secundo lapis detentus, scilicèt impulsum corpori proximo impressum, & conātē expellere tale corpus ex loco suo. Nunc sic. Vel iste impulsus patitur vim ex eo, quòd non sequatur expulsio prædicta; vel non? Si hòc vltimum: ergo neque saxum detentum patitur violentiam ex vi adhibendi talem impulsum, eo quòd non sequatur ea expulsio, & consequentèr ex eo, quod non descendat: si enim non patitur violentiam ex eo, quod impediatur descensus manente in suo loco corpore obstante, planum est, non pati violentiam ex eo, quod non descendat. Prior consequentia patet. Nam sicut causa remota, non ponit effectū ex vi adhibendi causam proximam, si causa proxima non ponat effectū; sic causa remota nō patitur in frustratione effectûs violentiā ex vi adhibēdi causam proximā, si huiusmodi causa proxima citra violētiā frustratur eo effectu.

Baptista

13 Si propterea dicatur primum, nempe talem impulsum pati vim ex eo, quòd non sequatur talis expulsio: sic argumētor. Vel talis impulsus præstat aliquid in actu secūdo ad talē expulsionē; vel nihil? Si aliquid: de hòc effectû conficitur idē argumētum, quod num. præc. & in infinitū abibimus. Si nihil: infero primò: ergo benè stat causam nihil agentē in actu secūdo, violentiam pati, quod negabas. Infero secundò: ergo sicut impulsus patitur violentiā in non expulsione corporis obuij ex proprio loco, quamuis talis impulsus nullum effectum ponat in actû secundo in ordine ad eam expulsionem; sic lapis grauis patietur violentiam in non descendendo ad centrum; quanuis nullum effectum ponat in actu secundo in ordine ad descensū. Infero tandem: ergo similitèr voluntas videntis Deum patietur violentiā in non amando Deum, quanuis nullum effectum ponat in actu secundo in ordine ad eliciēdum talem amorem.

¶ Im-

¶ Impugnatur *tertiò*. Consideremus materiam primam secundum se sumptam nudam omni formâ, nudamque paritèr omnibus dispositionibus sufficiẽtibus ad introductionem formæ. Tunc sic. In hoc euentû patitur materia vim in eo, quòd non disponatur ad aliquam formam; nec non in eo, quòd aliquam formam non recipiat, vt non negat aduersarius videndus; quæst. 9. physic. art. 4. At, in eo euentû materia prima habet præcisè suam entitatem, & innatum appetitum identificatum cum eâ entitate; non autem exercet in actu secundo munus principij passiui recipiendo aliquid actualitèr: ergo, vt in genere passiuo vim patitur subiectum nihil actualitèr recipiendo; sic in genere actiuo patietur vim causa actiua nihil actualitèr agendo.

n. 14 *Quartò* tandem mirum videtur, quod ex hoc autore referebam num. 11. fine, scilicèt causam secundam non concurrente Deo inclinari ad non agendum. Sanè, quòd ignis applicatus combustibili, negante Deo concursum ad combustionem, non inclinetur ad comburendum, non adeò mirabile est; at verò quòd inclinetur ad non comburendum, haud facile crediderim, neque, vt arbitror crederet D. Thom. citatus eo num. 11. Sic non est mirum, deficiente lumine gloriæ, non inclinari nostrum animum ad videndum Deum; at tunc inclinari ad non videndum Deum, quis credat? Si dicas, causas secundas, eo ipso quòd sint causæ secundæ, habere intrinsecã incapacitatem operandi sine concursû Dei, bona quidem est hæc propositio; sed non adeò videtur bona tua ratiocinatio. Tum, quia sicut aliud est intrinseca capacitas ad aliquid; & aliud intrinseca inclinatio ad ipsum, & propterea, quamuis mea humanitas habeat intrinsecam capacitatem ad vnionem hypostaticam; non ideo habet inclinationem ad ipsam; sic aliud est intrinseca incapacitas ad aliquid; & inclinatio ad carendum ipso: quapropter tametsi bruta intrinsecam habeant incapacitatem, vt ineant amicitiam cum Deo; non inde præcisè, & immediatè deducetur habere positiuam inclinationẽ, vt tali amicitiâ careant (quidquid sit, an aliunde per consequentias mediatas id inferatur) ergo ex incapacitate intrinsecâ causis secundis ad agendum sine concursû Dei, non benè infertur inclinatio ad non agendum, sine tali concursû. D. Tho.

15 Tùm, quia vt constabit legenti, quòd ex te citaui, causa secunda est indifferens, vt pro varietate statuum iam habeat

inclinationem ad agendum: iam habeat inclinationem ad cessandum, de quibus loqueris. At causa secunda non est indifferens, vt iam habeat; iam non habeat intrinsecam incapacitatem agendi sinè concursû Dei; sed semper est ab intrinseco determinatissima, vt eam incapacitatem habeat: ergo inconsequentèr confundis cum prædictâ incapacitate inclinationem ad cessandum, quam inuehis. Tum, quia sicut causa secunda habet intrinsecam incapacitatem essentialem operandi, sine concursû Dei; ita materia prima habet intrinsecam incapacitatem recipiendi formam, quin detur à Deo: ita etiam lapis, vi fortiori detentus extra centrum, habet intrinsecam incapacitatem naturalem, vt descendat in centrum, conante in oppositum vi fortiori. At, per te causa secunda ratione prioris incapacitatis, negante Deo concursum, habet inclinationem non agendi, ideoque tunc non agere non est ipsi violentum: ergo materia prima ratione posterioris incapacitatis, Deo non dante formam, habebit inclinationem non recipiendi; similitérque lapis detentus ratione incapacitatis naturalis assignatæ, conante agente fortiori in detentionem, habebit inclinationem naturalem non descendendi, & consequentèr in his casibus contra te fiet, neque materiam, nec lapidem pati violentiam. Tandem, quia vt iterum dicam in solutione argg. videtur in præsenti, non exigua æquiuocatio committi. Nam, vt exemplis manifestis, & in omni sententiâ peruijs, ibi patebit, aliud est causam secundam habere essentialem impossibilitatem ad hunc terminum compositum, & chymæricum* Operari sine concursû Dei * Aliud autem, deficiente concursû Dei, habere essentialem impossibilitatem ad hunc terminum simplicem, & realem * Operari * Hoc secundum est falsum: quamuis autem primum sit verissimum, non inde infertur quòd, deficiente concursû Dei non sit violentū causæ secundæ oppositū illiûs termini simplicis, nempè, *non operari*; sed tantum infertur, non essè violentum causæ secundæ oppositum illius term[...] [co]mpositi, nempè, nō coniungi operationem cum ca[...] [...]sûs diuini. Sed de hoc ibi.

CAP. III.

[S]ecunda conclusio, & consectaria.

[Secun]da conclusio. Si voluntas creata coniuncta sit cū [...]nte iudicio ex parte intellectûs ad amandum libere

berè, & omittendum liberè amorem, Deus inferet illi violentiam, *saltèm quoad modum*, si res ita disponat, vt voluntas amore careat, non quidem pro sua libertate; sed præcisè pro libito ipsiûs Dei. V.g. si Deus pro suo mero beneplacito, non determinatus à voluntate creatâ impediat suam omnipotentiam, quominus cum voluntnte creatâ concurrat ad amorem. Non disputamus modò, num sit possibile Deum sic se habere, posito prædicto iudicio ex parte intellectus creati; sed tantũ asserimus, Deũ illaturum vim creatæ voluntati, si prædicto modo se haberet. Probatur conclusio. Causæ exigenti se exercere pro dominio suæ libertatis infertur violentia, si ab extrinseco impediatur quominus ita se exerceat. Sed voluntas creata iuncta cum prædicto iudicio intellectuali est causa exigens se exercere pro dominio suæ libertatis, vel amando; vel omittendo amorem: ergo infertur illi violentia, si impediatur ab extrinseco, nempè à Deo, quominus ita se exerceat, qualitèr impeditur, casu quo Deus illam necessitet ad non amandum. Consequentia patet. Maior videtur certa, cum nõ minus causa libera sit disiunctiuè determinata, vt in vno, vel altero libertatis extremo se exerceat liberè, quam causa necessaria est determinatè determinata ad vnũ, proindèq; sicut causæ necessariæ infertur violẽtia, si ab extrinseco impediatur, quominus se exerceat necessariò; ita, & causæ liberæ, si ab extrinseco impediatur, quominus se exerceat liberè. Minor etiã patet. Nam, sicut causa necessaria ordinatur ad exercendũ suã actiuitatem naturalem cum determinatione ad vnũ, positisque requisitis creatis nequit naturalitèr non se exercere determinatè in vno, & ex his principijs colligitur eam causam exigere sic se exercere; ita causa libera ordinatur ad exercendum suum dominium cum indifferentia libertatis ad opposita, positisque requisitis creatis nequit naturaliter in nullo talium extremorũ se exercere, ac per consequens ex his principijs colligere debemus eam exigere se exercere liberè.

17 Dixi, *saltem quoad modum*. Cum enim in eo casû voluntas creata non exigat determinatè amare; sed sit indifferens ad amorem; & non amorem, non fit ipsi vis ex eo præcisè, quod non amet; sed ex eo, quod ita non amet, vt non amare contingat purè pro libertate alienâ; non vero pro libertate propriâ ipsiûs voluntatis. Nam in casu conclusionis voluntas exigit non alitèr carere amore, quam pro suâ libertate.

¶ Ex quibus fit primò. Tametsi amor liber sit essentialitèr liber; & etiam carentia libera amoris, sit essentialitèr libera, proindeque diuersa essentialitèr à carentia amoris necessariâ voluntati creatæ, vt nonnulli putant, de quo in sequentibus, tamen in casû nostræ conclusionis, non patitur voluntas vim ex eo præcisè, quòd careat amore: non enim determinatè postulat non carere amore; patitur tamen vim ex eo, quòd amore careat tali carentiâ, nempè essentialitèr necessariâ ipsi voluntati: nam in eo casu voluntas exigit, vt, si careat amore, careat ipso non per carentiam essentialitèr voluntati necessariam; sed essentialitér liberam. Fit secundò, in eo casu voluntatem pati violentiam (iuxta eam sentētiam de libertate essentiali) ex eo, quòd simul careat amore essentialiter libero; & omissione amoris essentialitèr libera. Quia, iuxta eā sentētiā in hoc stat, neq; liberè amare, neq; libere omittere amorē. In hoc autem patitur vim in casu cōclusionis nostra volūtas, quippè quæ in tali casu postulat, vel amare liberè, vel libere omittere amorē.

18 Fit tertiò. Si Deus in casû conclusionis prædeterminaret volūtatē ad amorē prædeterminatione pugnante cū libertate, inferretur vis volūtati, nō præcisè quatenùs amaret; sed quatenùs amaret necessariò, quando exigit nō necessitari; sed ipsiûs libertatem illæsā relinqui. Patet ex dictis, neque opus est vlteriori explicatione. Fit quarto, posse Deum inferre vim intellectui impediendo aliquē illiûs actū. Sicut enim volūtas vidētis Deū exigit Deū amare; ita vt eo amore impedito inferatur ipsi vis; ita intellectus apprehēdētis clarissimè veritatē aliquā, exigit ei præbere assensū, quo impedito vis interueniet. Fit quintò in his casibus nō solū esse violētū, quòd Deus nō applicet in actu primo suā omnipotētiā ad cōcurrēdū cū intellectû, & volūtate ad assensū, & cōsensū; sed etiā in ipsâ negatione assens', & cōsens'. Oppositū sentit P. Obiedo *de Actibus Hum. contr. 2. pūct. 3. n. 41.* Sed immeritò, Nā, quod in eis casib' immediatè, directè, & propter se cōstituitur petitū, ac debitū ratione exigētiæ residētis in intellectû, & volūtate, est intellectū assentiri, & voluntatē amare; & propter hæc exigitur mediatè, & indirectè talis applicatio omnipotētiæ: quapropter, dato, quòd carētia talis applicationis sit illud, quod immediatè quasi ponitur in executione; tamē carētia prędictorū actuū est id, quod immediate est violētū; sicut tales actus sūt, qui immediate exigūtur. Non enim est desumēdū immediate violen-

Obiedo

violētū ex immediatè executo; sed ex immediatè opposito inclinationi ad contrariū. Hoc modo, quod immediatè est tibi inuoluntarium contra intentionem efficacem elicitam acquirendi diuitias, est eas non acquirere; mediatè tamen, & indirectè impedire tibi media, vt eas compares, tametsi hæc impeditio mediorum sit illud, quod immediatè ponitur in executione. Sed hæc satis in re parui momenti.

19 Fit sexto, violentiam interuenientem in casû, quo voluntati ex parte intellectûs indifferenti ad amandum, & nō amandum negatur concursus diuinus ad amorem, sitam non esse in eo præcisè, quod deficiat concursus diuinus in actu secundo, qui comitans est ipsam actionem amandi nostræ voluntatis, imō identificatus cum ipsâ. Oppositum videntur sentire P. Vazquez 1. 2. *disp.* 26. *cap.* 5. *num.* 28. alijque discipuli ipsiûs, quos imitatur P. Baldellus *lib.* 1. *disp.* 15. *n.* 14. *vers.* *Neque valet.* At, immerito sic sentiunt, vt benè post alios obseruat P. Arriaga *disp.* 10. *num.* 23. Ratio mihi est. Nam in prædicto casû eatenùs (vt iam vidimus, & expressè fatetur Baldellus num. 15.) infertur voluntati vis, quatenus ipsi aufertur libertas proxima ad amandum, & omittendum amorem. At, ea libertas non aufertur ex eo præcisè, quod deficiat id, quod identificatur cum actione amandi: hoc enim etiam deest quando voluntas omittit libere amorem: ergo in prædicto casû non consistit violentia in eo præcisè, quod desit concursus diuinus identificatus cum nostrâ actione amandi. Quamobrē ad violentiam eiûs euentûs opus est, vel quod Deus prædeterminet voluntatem ad actum oppositum amori prædeterminatione pugnante cum libertate, vel quod ex se ipso decernat non concurrere ad amorem decreto similiter cum libertate opposito, vel quod alio modo proximam libertatem impediat, à quorum omnium posibilitate præscindimus nunc.

Vazq. *Baldell.* *Arria.*

20 Fit septimò contra P. Vazq. sup. num. 27. & contra P. Baldel. loc. cit. in casû secundæ conclusionis iterùm commemorato num. 19. non solùm violētiam pati voluntatem excitatam ad amandum vocatione congruâ, & efficaci; sed etiā excitatam vocatione sufficiente, & inefficaci. Sic expresse P. Obiedo sup. n. 40. & alij. Explicatur illatio. Voluntas potest dupliciter spectari vocata ad consensum. *Primò* eâ vocatione, quam Deus suâ scientiâ mediâ cognoscit fore coniungendam cum consensû, si Deus ipse relinquat voluntatem proximè liberam

Vazq. *Baldell.* *Obied.*

beram ad consensum, & dissensum. *Secundò* eâ vocatione, quâ Deus suâ scientiâ mediâ cognoscit non fore coniungendam cum consensû; sed potius cum dissensû, tametsi Deus ipse relinquat voluntatem proximè liberam ad vtrumlibet. Prima vocatio dicitur efficax, & congrua. Secunda sufficiens, & inefficax, de quo in tract. de auxilijs. Hoc posito, ratio nostri cōsectarij facilis est ex dictis. Quia

21 Violentia, quæ in casû secundæ nostræ conclusionis interuenit, sumitur præcisè ex duobus. Primum est, volūtatem esse liberam, quantum est ex parte iudicij intellectualis indifferentis, ideoque exigere, quod aliunde non impediatur proxima libertas, per quam pro suo dominio se ipsam determinet ad quam partem maluerit. Secundū est, impediri aliunde proximam libertatem contra talem exigentiam. Sed hæc duo dantur in casu cogitationis purè sufficientis: ergo tunc datur prædicta violentia. Minor, quæ sola est difficilis, patet. Nam in primis non minus datur libertas, quantum est ex parte iudicij intellectualis, positâ cogitatione sufficiente, quàm positâ efficaci, quippè, vt certum est tractatû de auxilijs, cogitatio, vt efficax, non requiritur ad constitutionem libertatis, alioqui nullus præter efficaciter vocatū esset liber. Deinde in casu conclusionis Deus necessitat ad carentiam actûs, idque est contra exigentiam voluntatis petentis non necessitari in casû iudicij indifferētis: ergo prædicta duo interueniūt in casû cogitationis purè sufficientis.

Vazq. 22 Dices ex doctrinâ P. Vazq. potiori ratione exigere voluntatem non necessitari ad carentiam consensûs casû, quo eâ vocatione excitatur, quam Deus videt coniungendam fore cum consensû, si Deus ipse non necessitet ad carentiam consensûs, quàm casu quo excitetur aliâ vocatione. Nam in casû vocationis efficacis iam voluntas, quatenus est, ex se, est omnino in promptu ad consentiendum. Sed contra est. *Primò*. Quia potior exigentia voluntatis, vt non necessitetur ad carentiam consensûs, æstimanda non est ex maiori vicinitate ad consensum desumptâ ex eo quod voluntas consensura esset in actu secundo; sed ex maiori dominio, & libertate voluntatis, contra quam libertatem est necessitas. At, vt tractatu de auxilijs constantissimum est, æqualis est, cæteris paribus, libertas in actu primo in casû cogitationis sufficientis, & in casu efficacis: ergo non est in vno casû prę alio potior exigentia non-

non-necessitationis. *Secundò.* Quidquid sit de hâc exigentiâ potiori in vno casû, quàm in alio, profectò in casû vocationis sufficientis ad consensum datur exigentia sufficiens ad patiendum violẽtiam in necessitate ad carentiã consensûs. Nam in casû vocationis sufficientis datur in volũtate creatâ sufficiens libertas quantum est ex parte rerum creatarum. In hâc autem libertate fundatur exigentia sufficiens ad prædictam violentiam; siue aliunde crescat, siue non crescat ea exigentia. Semper enim violentum est causam, quatenus est ex se dominam vtriusque partis, addicere necessariò ad vnam pattem; sicut semper est violentum causam, quatenus est ex se determinatã ad vnam patem, ab ea parte remouere, tametsi interdum aliæ ex prædictis causis sint ad eum effectum determinatiores, eumque magis exigentes, quam aliæ causæ. Sic licet voluntas videntis Deum sit determinata ad amorem Dei, positâ quâlibet visione Dei; determinatior tamen est, posita visione intensâ vt octo, quàm intensâ vt quatuor.

23 Fit octauò, & vltimò, quomodo soluenda sit illa quæstio: num voluntas creata patiatur, vel possit pati vim in carẽtiã habituũ? De hoc videri potest Eximius Doctor tract. de volũtario *disp. 2. sect. 4. punct. 2.* & *P. Arriaga sup. Disp. 10. sect. 4.* Primò. Volũtas creata spectata secundùm suam naturam nudè sumptam non potest pati vim in carentiâ habituum supernaturalium: quia voluntas sic sumpta non habet positiuã exigẽtiam ipsorum; sed puram putamque capacitatem, vt eos suscipiat à Deo autore supernaturali. Secũdo. Volũtas creata sic nudè sumpta non potest pati violẽtiam in carentiâ habituũ acquisitorum actibus naturalibus. Quia sic nudè sumpta non exigit, & constituit sibi connaturaliter debitas eas facilitates, & promptitudines operandi, de quarum naturâ est comparari labore voluntatis se exercentis in suis actibus. Vt autem sic nudè sumpta pateretur vim in carentiâ taliũ habituum, oporteret, vt sic nudè sumpta eosdem exigeret, sibique connaturaliter debitos constitueret. Tertiò. Voluntas vt exercens eos actus, qui sibi naturaliter adnexum habent parere prædictos habitus, pateretur vim, si suscipere illos impediretur. Vt enim voluntas coniuncta cum visione beatâ sic amorem Dei causat, vt naturaliter nequeat eum non causare; indeque colligitur exigentia eius amoris sufficiens constituere violentam priuationem amoris, ita volũtas cõiuncta cum eis actibus, ita causat

Suar.

Arria.

ſat prędictos habitus, vt naturaliter nequeat eos non cauſare: oportebit igitur inde colligere exigentiam eorum habituum ſufficientem reddere violentam priuationem eorum.

24 Hîc obſerua. Sicut in casû viſionis beatæ aliud eſt, quod determinatè exigit amare; & aliud id, quo conſtituitur determinatè exigens amare. Quod enim determinatè exigit ſuſcipere formalem effectum amantis eſt voluntas, vel, vt melius dicam, ipſe animus rationalis. Id autem, quo conſtituitur determinatè exigens amare eſt coniunctio cum viſione beatâ; ſic in noſtro casû aliud eſt, quod exigit ſuſceptionem effectûs formalis promptè, ac faciliter amatiui, & hoc eſt voluntas, vel animus. Aliud verò, quo conſtituitur id exigens: & hoc eſt coniunctio voluntatis, & animi cum actibus parientibus tales habitus. Sic, omiſsis innumeris exẽplis, ignis applicatus huic paſſo eſt proximè combuſtiuus, conſtituitur autem non per ſe præcisè; ſed ſimul per applicationem in ratione proximè combuſtiui. Et propterea, ſicut deeſſe amorem non eſt ſolùm violentum viſioni beatæ; ſed etiam videnti Deum conſtituto per viſionem beatam in ratione determinatè poſcentis amare Deum: & ſicut deeſſe combuſtionem non eſt ſolùm violentum applicationi ignis; ſed potiſsimùm ipſi igni conſtituto per applicationem in ratione proximè combuſtiui; ſic deeſſe prædictos habitus, non ſolùm erit violentum ipſis actibus; ſed etiã voluntati ipſos exigenti; conſtitutæ tamen in ratione exigentis ipſos per exercitium actuum, quibus comparantur.

25 Hæc me ſuauiter impellunt, vt ſentiam quartò, quòd licet nequeat voluntas nudè ſumpta pati vim in catentiâ habituum ſupernaturalium per ſe infuſorum; poſsit tamen eam vim pati, etiam ſecluſo appetitû elicito, quo velit, vt ſibi infundantur. Nam voluntas videntis Deum, ſi ante hanc viſionem non habuerit habitum charitatis, quo reddatur permanenter potens amare Deum amore ſupernaturali, conſtituetur per eam viſionem exigens eum habitum ſibi infundi. Quod ſi præhabuerit ipſum, conſtituetur per viſionem beatam exigens eum conſeruari. Quare, ſi Deus hac exigentiâ non obſtante, ſuâ vteretur abſolutâ potentiâ talem habitum denegans, fieret, vt in eiûs habitûs priuatione violentiam inferret voluntati. Quomodo autem fiat, vel non fiat violentia, vel coactio voluntati in impeditione actuum, quos præuiè velit,

dice;

dicemus disp. 6. vbi specialiter de inuoluntario, aut violento contra appetitum elicitum.

CAP. IIII.

Quædam obiectiones soluuntur.

26 OBijcies contra primam conclusionem confirmatam cap. 2. non posse voluntatem videntis Deum pati violentiam in non amando Deum, negante Deo concursum ad amorem. Probatur. Volũtas creata est causa secunda. At causa secunda non exigit operari negato concursu diuino: ergo negato concursu diuino non patitur voluntas vim in non operando: quippè solùm patitur violentiã in non operando quandiu exigit operari. Minor, quæ sola est difficilis probatur. *Primò*: quia causa secunda est essentialiter subordinata Deo in operando: ergo est essentialiter impotens operari sine concursû Dei. At nihil exigit id ipsum, ad quod est essentialiter impotens: ergo causa secunda non exigit operari, negato concursu diuino. *Secundò*. Non minus voluntati creatæ necessarius est concursus diuinus ad operandũ amorem, quàm est necessaria propositio obiecti amandi. At necessitas huius propositionis ad amandum præstat, vt, ea propositione seclusa, nõ exigat voluntas amare: ergo necessitas illius concursus præstabit, vt similiter non exigat amare, negato tali concursû.

27 *Tertiò*. Non exigit voluntas oppositum illius, quòd ipsa voluntas ab intrinseco præstat. At, negato concursu diuino ad amorem, voluntas habet ab intrinseco non amare: ergo in eo casû non exigit amare. Minor probatur. Nam intrinsecè, & essentialiter impotens ad amandum habet ex suis intrinsecis non amare: nam per ipsam intrinsecam impotentiam ad amandum determinatum est ad non amandum. At, voluntas; cum sit intrinsecè, & essentialiter causa secunda, est intrinsecè, & essentialiter impotens ad amandum, negato concursu Dei: ergo in eo euentu habet ab intrinseco non-amare. *Quartò*. Quicquid habet voluntas creata, vt coniuncta cum visione Dei est ab ipso Deo, vt patet: ergo voluntas, vt coniuncta cum visione beata non inuoluit inclinationem, & exigentiam ad amandum, decernente Deo non concurrere cum ipsa ad amandum, proindéque decernente Deo, vt non amet. Probatur cõsequentia. In eo, quod á Deo est non potest imbibi exigentia,

etiam idem sentit, quando igni applicato negatur diuinus cõcursus. At, iuxta hanc solutionem, nequit in primo casu negari violentia, cum ea concedatur in casu lapidis detenti extra centrum, in quo casu eadem est ratio: ergo nequit negari violentia in casu negandi concursum ad combustionem igni applicato: & consequentèr negari nequit violentia in casu negãdi concursum ad amorem voluntati videntis Deum. Quamobrem, minus benè, & contrã D. Thom. supponit semel, & iterum Mag. Baptista *disp. 83. num. 100. & num. 107. fine* nullam intercessisse vim contra naturam, quãdo Deus abstulit concursum igni Babylonico. *Secundò*. Sumamus id, quod præstat in actu secundo lapis detentus, scilicèt impulsum corpori proximo impressum, & conatẽ expellere tale corpus ex loco suo. Nunc sic. Vel iste impulsus patitur vim ex eo, quòd non sequatur expulsio prædicta; vel non? Si hoc vltimum: ergo neque saxum detentum patitur violentiam ex vi adhibendi talem impulsum, eo quòd non sequatur ea expulsio, & consequentèr ex eo, quod non descendat: si enim non patitur violentiam ex eo, quod impediatur descensus manente in suo loco corpore obstante, planum est, non pati violentiam ex eo, quod non descendat. Prior consequentia patet. Nam sicut causa remota, non ponit effectũ ex vi adhibendi causam proximam, si causa proxima non ponat effectũ; sic causa remota nõ patitur in frustratione effectûs violentiã ex vi adhibẽdi causam proximã, si huiusmodi causa proxima citra violẽtiã frustratur eo effectu.

Baptista

13 Si propterea dicatur primum, nempe talem impulsum pati vim ex eo, quòd non sequatur talis expulsio: sic argumẽtor. Vel talis impulsus præstat aliquid in actu secũdo ad talẽ expulsionẽ; vel nihil? Si aliquid: de hoc effectû conficitur idẽ argumẽtum, quod num. præc. & in infinitũ abibimus. Si nihil: infero primò: ergo benè stat causam nihil agentẽ in actu secũdo, violentiam pati, quod negabas. Infero secundò: ergo sicut impulsus patitur violentiã in non expulsione corporis obuij ex proprio loco, quamuis talis impulsus nullum effectum ponat in actû secundo in ordine ad eam expulsionem; sic lapis grauis patietur violentiam in non descendendo ad centrum; quamuis nullum effectum ponat in actu secundo in ordine ad descensũ. Infero tandem: ergo similitèr voluntas videntis Deum patietur violentiã in non amando Deum, quamuis nullum effectum ponat in actu secundo in ordine ad eliciẽdum talem amorem.

¶ Im-

¶ Impugnatur *tertiò*. Consideremus materiam primam secundum se sumptam nudam omni formâ, nudamque pariter omnibus dispositionibus sufficiētibus ad introductionem formæ. Tunc sic. In hoc euentû patitur materia vim in eo, quòd non disponatur ad aliquam formam; nec non in eo, quòd aliquam formam non recipiat, vt non negat aduersarius videndus, quæst. 9. physic. art. 4. At, in eo euentû materia prima habet præcisè suam entitatem, & innatum appetitum identificatum cum eâ entitate; non autem exercet in actu secundo munus principij passiui recipiendo aliquid actualitèr: ergo, vt in genere passiuo vim patitur subiectum nihil actualitèr recipiendo; sic in genere actiuo patietur vim causa actiua nihil actualitèr agendo.

n. 14 *Quartò* tandem mirum videtur, quod ex hoc autore referebam num. 11. fine, scilicèt causam secundam non concurrente Deo inclinari ad non agendum. Sanè, quòd ignis applicatus combustibili, negante Deo concursum ad combustionem, non inclinetur ad comburendum, non adeò mirabile est; at verò quòd inclinetur ad non comburendum, haud facile crediderim, neque, vt arbitror crederet D. Thom. citatus eo num. 11. Sic non est mirum, deficiente lumine gloriæ, non inclinari nostrum animum ad videndum Deum; at tunc inclinari ad non videndum Deum, quis credat? Si dicas, causas secundas, eo ipso quòd sint causæ secundæ, habere intrinsecā incapacitatem operandi sine concursû Dei, bona quidem est hæc propositio; sed non adeò videtur bona tua ratiocinatio. Tum, quia sicut aliud est intrinseca capacitas ad aliquid; & aliud intrinseca inclinatio ad ipsum, & propterea, quamuis mea humanitas habeat intrinsecam capacitatem ad vnionem hypostaticam; non ideo habet inclinationem ad ipsam; sic aliud est intrinseca incapacitas ad aliquid; & inclinatio ad carendum ipso: quapropter tametsi bruta intrinsecam habeant incapacitatem, vt ineant amicitiam cum Deo; non inde præcisè, & immediatè deducetur habere positiuam inclinationē, vt tali amicitiâ careant (quidquid sit, an aliunde per consequentias mediatas id inferatur) ergo ex incapacitate intrinsecâ causis secundis ad agendum sine concursû Dei, non benè infertur inclinatio ad non agendum, sine tali concursû. D. Thom.

15 Tùm, quia vt constabit legenti, quòd ex te citaui, causa secunda est indifferens, vt pro varietate statuum iam habeat

inclinationem ad agendum: iam habeat inclinationem ad cessandum, de quibus loqueris. At causa secunda non est indifferens, vt iam habeat; iam non habeat intrinsecam incapacitatem agendi sinè concursû Dei; sed semper est ab intrinseco determinatissima, vt eam incapacitatem habeat: ergo inconsequentèr confundis cum prædictâ incapacitate inclinationem ad cessandum, quam inuehis. Tum, quia sicut causa secunda habet intrinsecam incapacitatem essentialem operandi, sine concursû Dei; ita materia prima habet intrinsecam incapacitatem recipiendi formam, quin detur à Deo: ita etiam lapis, vi fortiori detentus extra centrum, habet intrinsecam incapacitatem naturalem, vt descendat in centrum, conante in oppositum vi fortiori. At, per te causa secunda ratione prioris incapacitatis, negante Deo concursum, habet inclinationem non agendi, ideoque tunc non agere non est ipsi violentum: ergo materia prima ratione posterioris incapacitatis, Deo non dante formam, habebit inclinationem non recipiendi; similitérque lapis detentus ratione incapacitatis naturalis assignatæ, conante agente fortiori in detentionem, habebit inclinationem naturalem non descendendi, & consequentèr in his casibus contra te fiet, neque materiam, nec lapidem pati violentiam. Tandem, quia vt iterum dicam in solutione argg. videtur in præsenti, non exigua æquiuocatio committi. Nam, vt exemplis manifestis; & in omni sententiâ peruijs, ibi patebit, aliud est causam secundam habere essentialem impossibilitatem ad hunc terminum compositum, & chymæricum* Operari sine concursû Dei * Aliud autem, deficiente concursû Dei, habere essentialem impossibilitatem ad hunc terminum simplicem, & realem * Operari * Hoc secundum est falsum: quamuis autem primum sit verissimum, non inde infertur quòd deficiente concursû Dei non sit violentũ causæ secundæ oppositũ illiûs termini simplicis, nempè, *non operari*; sed tantum infertur, non esse violentum causæ secundæ oppositum illius termini compositi, nempè, nõ coniungi operationem cum carentiâ concursûs diuini. Sed de hoc ibi.

CAP. III.

Secunda conclusio, & consectaria.

16 Sit *secunda conclusio*. Si voluntas creata coniuncta sit cũ sufficiente iudicio ex parte intellectûs ad amandum liberè

berè, & omittendum liberè amorem, Deus inferet illi violentiam, *saltèm quoad modum*, si res ita disponat, vt voluntas amore careat, non quidem pro sua libertate; sed præcisè pro libito ipsiûs Dei. V.g. si Deus pro suo mero beneplacito, non determinatus à voluntate creatâ impediat suam omnipotentiam, quominus cum voluntnte creatâ concurrat ad amorem. Non disputamus modò, num sit possibile Deum sic se habere, posito prædicto iudicio ex parte intellectus creati; sed tantũ asserimus, Deũ illaturum vim creatæ voluntati, si prædicto modo se haberet. Probatur conclusio. Causæ exigenti se exercere pro dominio suæ libertatis infertur violentia, si ab extrinseco impediatur quominus ita se exerceat. Sed voluntas creata iuncta cum prædicto iudicio intellectuali est causa exigens se exercere pro dominio suæ libertatis, vel amando; vel omittendo amorem: ergo infertur illi violentia, si impediatur ab extrinseco, nempè à Deo, quominus ita se exerceat, qualitèr impeditur, casu quo Deus illam necessitet ad non amandum. Consequentia patet. Maior videtur certa, cum nõ minus causa libera sit disiunctiuè determinata, vt in vno, vel altero libertatis extremo se exerceat liberè, quam causa necessaria est determinatè determinata ad vnũ, proindèq; sicut causæ necessariæ infertur violẽtia, si ab extrinseco impediatur, quominus se exerceat necessariò; ita, & causæ liberæ, si ab extrinseco impediatur, quominus se exerceat liberè. Minor etiã patet. Nam, sicut causa necessaria ordinatur ad exercendũ suã actiuitatem naturalem cum determinatione ad vnũ, positisque requisitis creatis nequit naturalitèr non se exercere determinatè in vno, & ex his principijs colligitur eam causam exigere sic se exercere; ita causa libera ordinatur ad exercendum suum dominium cum indifferentia libertatis ad opposita, positisque requisitis creatis nequit naturaliter in nullo talium extremorũ se exercere, ac per consequens ex his principijs colligere debemus eam exigere se exercere liberè.

17 Dixi, *saltem quoad modum*. Cum enim in eo casû voluntas creata non exigat determinatè amare; sed sit indifferens ad amorem; & non amorem, non sit ipsi vis ex eo præcisè, quod non amet; sed ex eo, quod ita non amet, vt non amare contingat purè pro libertate alienâ; non vero pro libertate propriâ ipsiûs voluntatis. Nam in casu conclusionis voluntas exigit non alitèr carere amore, quam pro suâ libertate.

¶ Ex quibus fit primò. Tametsi amor liber sit essentialitèr liber; & etiam carentia libera amoris sit essentialitèr libera; proindeque diuersa essentialitèr à carentia amoris necessariâ voluntati creatæ, vt nonnulli putant, de quo in sequentibus, tamen in casû nostræ conclusionis, non patitur voluntas vim ex eo præcisè, quòd careat amore: non enim determinatè postulat non carere amore; patitur tamen vim ex eo, quòd amore careat tali carentiâ, nempè essentialitèr necessariâ ipsi voluntati: nam in eo casu voluntas exigit, vt, si careat amore, careat ipso non per carentiam essentialitèr voluntati necessariam; sed essentialitèr liberam. Fit secundò, in eo casu voluntatem pati violentiam (iuxta eam sentẽtiam de libertate essentiali) ex eo, quòd simul careat amore essentialiter libero; & omissione amoris essentialitèr libera. Quia, iuxta eã sentẽtiã in hoc stat, neq; liberè amare, neq; libere omittere amorẽ. In hoc autem patitur vim in casu cõclusionis nostra volũtas, quippè quæ in tali casu postulat, vel amare liberè, vel libere omittere amorẽ.

18 Fit tertiò. Si Deus in casû conclusionis prædeterminaret volũtatẽ ad amorẽ prædeterminatione pugnante cũ libertate, inferretur vis volũtati, nõ præcisè quatenùs amaret; sed quatenùs amaret necessariò, quando exigit nõ necessitari; sed ipsiûs libertatem illæsã relinqui. Patet ex dictis, neque opus est vlteriori explicatione. Fit quarto, posse Deum inferre vim intellectui impediendo aliquẽ illiûs actũ. Sicut enim volũtas vidẽtis Deũ exigit Deũ amare; ita vt eo amore impedito inferatur ipsi vis; ita intellectus apprehẽdẽtis clarissimè veritatẽ aliquã, exigit ei præbere assensũ, quo impedito vis interueniet. Fit quintò in his casibus nõ solũ esse violẽtũ, quòd Deus nõ applicet in actu primo suã omnipotẽtiã ad cõcurrẽdũ cũ intellectû, & volũtate ad assensũ, & cõsensũ; sed etiã in ipsâ negatione assens⁹, & cõsens⁹. Oppositũ sentit P. Obiedo *de Actibus Hum. contr. 2. pũct. 3. n.* 41. Sed immeritò, Nã, quod in eis casib⁹ immediatè, directè, & propter se cõstituitur petitũ, ac debitũ ratione exigẽtiæ residẽtis in intellectû, & volũtate, est intellectũ assentiri, & voluntatẽ amare; & propter hæc exigitur mediatè, & indirectè talis applicatio omnipotẽtiæ: quapropter, dato, quòd carẽtia talis applicationis sit illud, quod immediatè quasi ponitur in executione; tamẽ carẽtia prędictorũ actuũ est id, quod immediate est violẽtũ; sicut tales actus sũt, qui immediate exigũtur. Non enim est desumẽdũ immediate violen-

Obiedo

violētū ex immediatè executo; sed ex immediatè opposito inclinationi ad contrariū. Hoc modo, quod immediatè est tibi inuoluntarium contra intentionem efficacem elicitam acquirendi diuitias, est eas non acquirere; mediatè tamen, & indirectè impedire tibi media, vt eas compares, tametsi hæc impeditio mediorum sit illud, quod immediatè ponitur in executione. Sed hæc satis in re parui momenti.

19 Fit sexto, violentiam interuenientem in casû, quo voluntati ex parte intellectûs indifferenti ad amandum, & nō amandum negatur concursus diuinus ad amorem, sitam non esse in eo præcisè, quod deficiat concursus diuinus in actu secundo, qui comitans est ipsam actionem amandi nostrę voluntatis, imō identificatus cum ipsâ. Oppositum videntur sentire P. Vazquez 1. 2. *disp*. 26. *cap*. 5. *num*. 28. alijque discipuli ipsiûs, quos imitatur P. Baldellus *lib*. 1. *disp*. 15. *n*. 14. *vers*. *Neque valet*. At, immeritò sic sentiunt, vt benè post alios obseruat P. Arriaga *disp*. 10. *num*. 23. Ratio mihi est. Nam in prædicto casû eatenùs (vt iam vidimus, & expresè fatetur Baldellus num. 15.) infertur voluntati vis, quatenus ipsi aufertur libertas proxima ad amandum, & omittendum amorem. At, ea libertas non aufertur ex eo præcisè, quod deficiat id, quod identificatur cum actione amandi: hoc enim etiam deest quando voluntas omittit libere amorem: ergo in prædicto casû non consistit violentia in eo præcisè, quod desit concursus diuinus identificatus cum nostrâ actione amandi. Quamobrē ad violentiam eiûs euentûs opus est, vel quod Deus prædeterminet voluntatem ad actum oppositum amori prædeterminatione pugnante cum libertate, vel quod ex se ipso decernat non concurrere ad amorem decreto similiter cum libertate opposito, vel quod alio modo proximam libertatem impediat, à quorum omnium posibilitate præscindimus nunc. *Vazq.* *Baldell.* *Arria.*

20 Fit septimò contra P. Vazq. sup. num. 27. & contra P. Baldel. loc. cit. in casû secundæ conclusionis iterùm commemorato num. 19. non solùm violētiam pati voluntatem excitatam ad amandum vocatione congruâ, & efficaci; sed etiā excitatam vocatione sufficiente, & inefficaci. Sic expresse P. Obiedo sup. n. 40. & alij. Explicatur illatio. Voluntas potest dupliciter spectari vocata ad consensum. *Primò* eâ vocatione, quam Deus suâ scientiâ mediâ cognoscit fore coniungendam cum consensû, si Deus ipse relinquat voluntatem proximè li- *Vazq.* *Baldell.* *Obied.*

beram

beram ad consensum, & dissensum. *Secundò* eâ vocatione, quâ Deus suâ scientiâ mediâ cognoscit non fore coniungendam cum consensû; sed potius cum dissensû, tametsi Deus ipse relinquat voluntatem proximè liberam ad vtrumlibet. Prima vocatio dicitur efficax, & congrua. Secunda sufficiens, & inefficax, de quo in tract. de auxilijs. Hoc posito, ratio nostri cōsectarij facilis est ex dictis. Quia

21 Violentia, quæ in casû secundæ nostræ conclusionis interuenit, sumitur præcisè ex duobus. Primum est, volūtatem esse liberam, quantum est ex parte iudicij intellectualis indifferentis, ideoque exigere, quod aliunde non impediatur proxima libertas, per quam pro suo dominio se ipsam determinet ad quam partem maluerit. Secundū est, impediri aliunde proximam libertatem contra talem exigentiam. Sed hæc duo dantur in casu cogitationis purè sufficientis: ergo tunc datur prædicta violentia. Minor, quæ sola est difficilis, patet. Nam in primis non minus datur libertas, quantum est ex parte iudicij intellectualis, positâ cogitatione sufficiente, quàm positâ efficaci, quippè, vt certum est tractatû de auxilijs, cogitatio, vt efficax, non requiritur ad constitutionem libertatis, alioqui nullus præter efficaciter vocatū esset liber. Deinde in casu conclusionis Deus necessitat ad carentiam actûs, idque est contra exigentiam voluntatis petentis non necessitari in casû iudicij indifferētis: ergo prædicta duo interueniūt in casû cogitationis purè sufficientis.

Vazq. 22 Dices ex doctrinâ P. Vazq. potiori ratione exigere voluntatem non necessitari ad carentiam consensûs casû, quo eâ vocatione excitatur, quam Deus videt coniungendam fore cum consensû, si Deus ipse non necessitet ad carentiam consensûs, quàm casu quo excitetur aliâ vocatione. Nam in casû vocationis efficacis iam voluntas, quatenus est ex se, est omnino in promptu ad consentiendum. Sed contra est. *Primò*. Quia potior exigentia voluntatis, vt non necessitetur ad carentiam consensûs, æstimanda non est ex maiori vicinitate ad consensum desumptâ ex eo quod voluntas consensura esset in actu secundo; sed ex maiori dominio, & libertate voluntatis, contra quam libertatem est necessitas. At, vt tractatu de auxilijs constantissimum est, æqualis est, cæteris paribus, libertas in actu primo in casû cogitationis sufficientis, & in casu efficacis: ergo non est in vno casû prę alio potior exigentia

non-

non-necessitationis. *Secundò.* Quidquid sit de hâc exigentiâ potiori in vno casû, quàm in alio, profectò in casû vocationis sufficientis ad consensum datur exigentia sufficiens ad patiendum violẽtiam in necessitate ad carentiã consensûs. Nam in casû vocationis sufficientis datur in volũtate creatâ sufficiens libertas quantum est ex parte rerum creatarum. In hâc autem libertate fundatur exigentia sufficiens ad prædictam violentiam; siue aliunde crescat, siue non crescat ea exigentia. Semper enim violentum est causam, quatenus est ex se dominam vtriusque partis, addicere necessariò ad vnam partem; sicut semper est violentum causam, quatenus est ex se determinatã ad vnam patem, ab ea parte remouere, tametsi interdum aliæ ex prædictis causis sint ad eum effectum determinatiores, eumque magis exigentes, quam aliæ causæ. Sic licet voluntas videntis Deum sit determinata ad amorem Dei, positâ quâlibet visione Dei; determinatior tamen est, posita visione intensâ vt octo, quàm intensâ vt quatuor.

23 Fit octauò, & vltimò, quomodo soluenda sit illa quæstio: num voluntas creata patiatur, vel possit pati vim in carẽtiâ habituũ? De hoc videri potest Eximius Doctor tract. de volũtario *disp. 2. sect. 4. punct. 2.* & *P. Arriaga sup. Disp. 10. sect. 4.* Primò. Volũtas creata spectata secundùm suam naturam nudè sumptam non potest pati vim in carentiâ habituum supernaturalium: quia voluntas sic sumpta non habet positiuã exigẽtiam ipsorum; sed puram putamque capacitatem, vt eos suscipiat à Deo autore supernaturali. Secũdo. Volũtas creata sic nudè sumpta non potest pati violẽtiam in carentiâ habituũ acquisitorum actibus naturalibus. Quia sic nudè sumpta non exigit, & constituit sibi connaturaliter debitas eas facilitates, & promptitudines operandi, de quarum naturâ est comparari labore voluntatis se exercentis in suis actibus. Vt autem sic nudè sumpta pateretur vim in carentiâ taliũ habituum, oporteret, vt sic nudè sumpta eosdem exigeret, sibique connaturaliter debitos constitueret. Tertiò. Voluntas vt exercens eos actus, qui sibi naturaliter adnexum habent parere prædictos habitus, pateretur vim, si suscipere illos impediretur. Vt enim voluntas coniuncta cum visione beatâ sic amorem Dei causat, vt naturaliter nequeat eum non causare, indeque colligitur exigentia eius amoris sufficiens constituere violentam priuationem amoris, ita volũtas cõiuncta cum eis actibus, ita causat

Suar.
Arria.

fat

sat prędictos habitus, vt naturaliter nequeat eos non causare: oportebit igitur inde colligere exigentiam eorum habituum sufficientem reddere violentam priuationem eorum.

24 Hîc obserua. Sicut in casû visionis beatæ aliud est, quod determinatè exigit amare; & aliud id, quo constituitur determinatè exigens amare. Quod enim determinatè exigit suscipere formalem effectum amantis est voluntas, vel, vt melius dicam, ipse animus rationalis. Id autem, quo constituitur determinatè exigens amare est coniunctio cum visione beatâ; sic in nostro casû aliud est, quod exigit susceptionem effectûs formalis promptè, ac faciliter amatiui, & hoc est voluntas, vel animus. Aliud verò, quo constituitur id exigens: & hoc est coniunctio voluntatis, & animi cum actibus parientibus tales habitus. Sic, omissis innumeris exẽplis, ignis applicatus huic passo est proximè combustiuus, constituitur autem non per se præcisè; sed simul per applicationem in ratione proximè combustiui. Et propterea, sicut deesse amorem non est solùm violentum visioni beatæ; sed etiam videnti Deum constituto per visionem beatam in ratione determinatè poscentis amare Deum: & sicut deesse combustionem non est solùm violentum applicationi ignis; sed potissimùm ipsi igni constituto per applicationem in ratione proximè combustiui; sic deesse prædictos habitus, non solùm erit violentum ipsis actibus; sed etiã voluntati ipsos exigenti; constitutæ tamen in ratione exigentis ipsos per exercitium actuum, quibus comparantur.

25 Hæc me suauiter impellunt, vt sentiam quartò, quòd licet nequeat voluntas nudè sumpta pati vim in carentiâ habituum supernaturalium per se infusorum; possit tamen eam vim pati, etiam secluso appetitû elicito, quo velit, vt sibi infundantur. Nam voluntas videntis Deum, si ante hanc visionem non habuerit habitum charitatis, quo reddatur permanenter potens amare Deum amore supernaturali, constituetur per eam visionem exigens eum habitum sibi infundi. Quod si præhabuerit ipsum, constituetur per visionem beatam exigens eum conseruari. Quare, si Deus hac exigentiâ non obstante, suâ vteretur absolutâ potentiâ talem habitum denegans, fieret, vt in eiûs habitûs priuatione violentiam inferret voluntati. Quomodo autem fiat, vel non fiat violentia, vel coactio voluntati in impeditione actuum, quos præuiè velit, dicę

dicemus disp. 6. vbi specialiter de inuoluntario, aut violento contra appetitum elicitum.

CAP. IIII.

Quædam obiectiones soluuntur.

26 OBijcies contra primam conclusionem confirmatam cap. 2. non posse voluntatem videntis Deum pati violentiam in non amando Deum, negante Deo concursum ad amorem. Probatur. Volūtas creata est causa secunda. At causa secunda non exigit operari negato concursu diuino: ergo negato concursu diuino non patitur voluntas vim in non operando: quippè solùm patitur violentiā in non operando quandiu exigit operari. Minor, quæ sola est difficilis probatur. *Primò*: quia causa secunda est essentialiter subordinata Deo in operando: ergo est essentialiter impotens operari sine concursū Dei. At nihil exigit id ipsum, ad quod est essentialiter impotens: ergo causa secunda non exigit operari, negato concursu diuino. *Secundò*. Non minus voluntati creatæ necessarius est concursus diuinus ad operandū amorem, quàm est necessaria propositio obiecti amandi. At necessitas huius propositionis ad amandum præstat, vt, ea propositione seclusa, nō exigat voluntas amare: ergo necessitas illius concursus præstabit, vt similiter non exigat amare, negato tali concursū.

27 *Tertiò*. Non exigit voluntas oppositum illius, quòd ipsa voluntas ab intrinseco præstat. At, negato concursu diuino ad amorem, voluntas habet ab intrinseco non amare: ergo in eo casû non exigit amare. Minor probatur. Nam intrinsecè, & essentialiter impotens ad amandum habet ex suis intrinsecis non amare: nam per ipsam intrinsecam impotentiam ad amandum determinatum est ad non amandum. At, voluntas; cum sit intrinsecè, & essentialiter causa secunda, est intrinsecè, & essentialiter impotens ad amandum, negato concursu Dei: ergo in eo euentu habet ab intrinseco non-amare. *Quartò*. Quicquid habet voluntas creata, vt coniuncta cum visione Dei est ab ipso Deo, vt patet: ergo voluntas, vt coniuncta cum visione beata non inuoluit inclinationem, & exigentiam ad amandum, decernente Deo non concurrere cum ipsa ad amandum, proindéque decernente Deo, vt non amet. Probatur cōsequentia. In eo, quod á Deo est non potest imbibi exigentia,

& inclinatio ad se opponendum, ac resistendum diuinæ voluntati. Hæc enim inclinatio, cum sit inordinata, & mala nequit á Deo exhiberi. At voluntatem amare decernente Deo, vt non amet, est formalissimè sese opponere, ac resistere diuinæ voluntati: ergo, cum sit adæquatè à Deo voluntas creata, vt coniuncta cum visione Dei, nequit inuoluere prædictam inclinationem.

28 *Quintò* ex Illephonso Bapt. *disp.* 83. *num.* 29. Nam, vt ait D. Th. *lib.* 2. *contra gent. cap.* 21. *rat.* 4. & *lib.* 3. *capit.* 100. *rat.* 2. Omnis creatura se habet, vt instrumentum quoddam respectu Dei. Vt enim instrumentum operari non potest absque motione causæ principalis; sic nulla creatura valet operari absque motione actuali Dei. At, instrumento nō est violentum; sed naturale non operari, cessante motione causæ principalis: ergo pariter erit naturale voluntati non operari cessante motione Dei. *Sextò*. In voluntate spectatâ præcisè, vt coniuncta cum visione beata, non est inclinatio, & exigentia elicita âd amorem Dei: quia loquimur in præcisione ab omni actû elicito voluntatis; non innata: ergo nulla. Secunda pars probatur. Innata inclinatio voluntatis identificatur cum ipsa natura voluntatis. At voluntas non habet secum identificatam inclinationem, & exigentiam amandi potius, quâm non amandi; sed radicalem indifferentiam ad vtrumuis. Nam alioqui pateretur vim quoties non amaret: ergo in voluntate modo dicto spectatâ non est inclinatio innata ad amorem.

Bapt.
D. Tho.

29 Ferè omnia proposita patiuntur æquiuocationem confundendo impotentiam, & non-inclinationem *ad coniunctum* cum inmpotentiâ, & non-inclinatione *ad diuisum*: non possumque non mirari doctos Thomistas, & in terminis sensûs compositi, ac diuisi versatissimos, hîc offendisse. Ad argumentum cum suâ primâ probatione resp. (omissa solutione in formâ, quam postea quisque adhibebit) sicut, iuxta arguentes, voluntas prædeterminata ad amorem retinet potestatem ad omissionem amoris; semper autem est essentialiter impotens ad coniunctionem eius omissionis cum prædeterminatione ad amorem; sic, iuxta nos, voluntas Deum videntis, cui negatus est concursus ad amorem, retinet exigentiam, & inclinationem ad amorem; semper autem est essentialiter impotens, & essentialiter non inclinata ad coniunctionem amoris cum eâ negatione diuini concursûs. Quamobrem, voluntate beati nō aman-

amante ex defectû diuini concursûs, duo sunt distinguenda. Primum est: *Deesse coniunctionem amoris cum ea negatione cõcursus*. Secũdũ est: *deesse amorẽ*. Primũ illud, est omninò necessarium: quia talis coniunctio est omninò impossibilis. Rursus, primum illud non est voluntati violẽtum: quia voluntas creata titulo causæ secundæ est essentialitèr non inclinata, & essentialitèr impotens ad coniungendum suum amorem cum ea negatione diuini concursûs. At verò secundum illud est contingens, quia possibilis est amor. Deindè secundum illud, etiamsi negatus sit concursus diuinus ad amorem, est voluntati violentum; quia etiam in ea hypothesi retinetur inclinatio vidẽtis Deum ad amandum ipsum; tametsi nec tunc retineatur, neque vnquam haberi possit potestas, aut inclinatio ad coniunctionẽ amoris cũ ea negatione concursus diuini. Mitto aliàs instantias contra argumentum aduersariorum, quæ peti possunt ex dictis cap. 2. contra Ioannem à S. Th. Quæ autẽ contrà nostram solutionem replicari possunt, ex dicendis ad sequentes probationes eneruantur. S. Tho.

30 Ad secundam probationem, concessa maiori, distinguo minorem. Id præstat ea necessitas eiûs propositionis præcisè sumpta, nego minorem; ea necessitas in circunstantijs vbi non est voluntati naturaliter debitus amor; & propter talem amorem ipsa propositio obiecti amandi, concedo minorem; & sub eadem distinctione concedenda, & neganda est consequentia. Dupliciter potest voluntas spectari carens notitia obiecti amandi. Primò; quando non debetur voluntati debito connaturalitatis amare; & propter talem amorem ea notitia; vt contingit, quoties defacto voluntas nõ amat, quia semper, ac de facto non amat; caret amore sine miraculo patrato contra iura naturæ. Secundò, quando voluntati debetur amare tali debito connaturalitatis: vt si per totum illud tempus, quo postulat non otiari abstinendo ab amore, careat tali notitia: & tunc violenter non amat, & violenter caret ea notitiâ, iuxta dicta cap. 1. num. 5. Vnde; ad hoc, vt non sit violenta carentia amoris non sufficit deesse propositionem obiecti amandi, tametsi violentia cesset, quandò deest ea propositio sine debito connaturalitatis, vt amor, & ipsa propositio adsint. Quoniam igitur, si voluntas sit coniuncta cum visione beata, debetur ipsi debito connaturalitatis amor; & propter hunc amorem diuinus concursus, consequens est tunc pati vim

non

non amando, & negato cōcursû Dei, quantumuis iste sit omnino necessarius ad amorem. Id quod posset amplius contra aduersarios explicari ex dictis cap. 2. de vi illata materię primę, negante Deo omnem formam.

31 Ad tertiam probationem concessa maiori, dicatur ad reliquas propositiones. Quādo voluntas beati, negato cōcursû diuino ad amorē, non amat, stare dupliciter *non amare*. Primò: negando per ly *non* amorem secundùm se, &, vt aiunt, in sensû diuiso â negatione diuini concursûs. Et *non amare* hac ratione sumptum non est ab intrinsecis voluntatis, nimirum ab intrinsecâ impotentia voluntatis ad oppositum: quippè voluntas beati tam abest ab impotentiâ ad amorem secundum se acceptum, vt potius, positâ visione beatâ, sit naturaliter determinata ad illum; tametsi negato diuino concursû, sit supernaturaliter ab extrinseco impedita quominus illum eliciat. Vndè nihil deest, vt *non amare* prædicto modo sumptum sit beatæ voluntati violentum. Secundò sumitur *non amare* negando per ly *non* amorem, vt coniunctum cum negatione diuini concursûs ad amandum, &, vt aiunt in sensû composito cōcursus negati, nempè negando coniunctionem amoris cum ea negatione concursus. Fateor ergo voluntatem creatam esse determinatam essentialiter ad *non amare* taliter acceptum, nempè ad non coniungendum *amorem elicere, Deumque non concurrere*, est enim essentialiter impotens ad hanc coniunctionem. Vnde fateor, eam negationem, omnino necessariam, nō esse voluntati violentā, transmisso nunc quâ ratione sit, vel non sit ab intrinsecis voluntatis, cum quo benè stat esse in nostro casû violentam negationem amoris secundum sè sumpti.

32 Ad quartam probationem, concesso antecedente, dicatur ad reliquas propositiones, voluntatem beati, decernente Deo, quod ipsa voluntas non amet, nec non quòd ipse Deus non concurrat cum ipsâ ad amorem, nō habere inclinationem, vt cum his cōiungat amare; sed potius, si vis, inclinationem, vt talis coniunctio non detur; habet tamen inclinationem ad amorem secundum se sumptum; & quasi secundario ad hoc, vt non denegetur concursus ad ipsum. Et quoniam *amare* secundùm se sumptum, ac diuisim ab eo decreto Dei negatiuo concursûs, non est opponi, ac resistere voluntati Dei, quāuis amare coniunctim cum eo decreto talem importet resistētiam, planè fit, non sequi ex nostrâ doctriná inclinationem innatam

natā voluntatis creatæ ad resistendum volútati diuinæ. ¶ Ad quintam probationem, admissâ maiore(cuius verus sensus indicatus in obiectione explicabitur alibi) distinguenda est minor. Nam causæ secundæ, quæ sunt quædam instrumenta Dei, aliæ sunt, quæ sic suapte naturâ tendunt, vt operentur in talibus, & talibus circumstantijs per virtutem à Deo acceptam, & à Deo simul concurrente, applicatam in actu secundo ad operationem, vt contra suam naturam patiantur prohibitę sic operari. Quâ ratione D. Th. citatus n. 11. docuit ignē Babylonicum, quando ex defectû concursûs diuini prohibitus est comburere, & aquam Iordanis, quando prohibita est descendere, passam esse aliquid contra naturam. Aliæ causæ sunt, quæ non sic suapte natura tendunt ad talem, vel talem operationē, neque illam exposcunt præuiè ad decretum Dei perducentis ipsas ad talem operationem: vt aqua, v.g. quæ gratiam producit, Deo decernente talem productionem; non tamen aquâ ipsâ exigente suapte naturâ sic operari, quamuis ex se, titulo creaturæ, quasi parata sit, vt creatori obediat faciens, & patiens quidquid creator disponat(de quâ doctrina suo loco accuratè)His posterioribus causis nulla vis fit, cessante cōcursû Dei; secùs autem prioribus. Et quia voluntas beati, vt coniuncta cum visione Dei postulat Deum amare, Deumque cōcurrere, vt amet; adeo, vt oppositum sit contra naturam ipsiûs, vt coniunctæ cum eâ visione, consequens est, vt sic coniunctam, pati vim non amando Deum, & Deo non concurrente, vt amet. D. Tho.

33 Ad sextam probationem, fateor in nostro casû non dari in voluntate inclinationem elicitam ad amandum; datur tamen innata. Ad probationem in contrarium dicatur, inclinationem innatam voluntatis ad amorem posse sumi, vel quatenus radicalem, remotā, incompletā, & inchoatam; vel quatenus formalem, proximam, completam, & perfectam. Primo modo identificatur cum voluntate, quia voluntas ex prædicatis secum identificatis habet, quòd sit apta, vt constituatur plenè inclinata ad amorem per coniunctionem cum notitiâ determinante naturaliter ad amādum: & in eâ aptitudine stat inclinatio, quam radicalem &c. vocamus. Secundo modo est partim identificata, & partim distincta à voluntate: nam inclinatio proxima voluntatis ad amandum, præ non amare, stat in hoc aggregato * Voluntas cum notitiâ determinante

naturaliter ad amorem * Huius autem aggregati vna pars est à voluntate indistincta, & alia distincta. Sic calor ex prædicatis secum identificatis est virtus radicalis calefactiua huius passi; proxima verò, cùm consistat in calore, vt applicato huic passo, &c. distinguitur partim à calore, à quo distinguitur talis applicatio. Quoniam ergo inclinationi incompletæ, & radicali ad operandum non fit vis in non operando, nisi quandiu postulat compleri, & ad statum inclinationis proximæ perduci, ideo voluntati non semper fit vis in *non-amando*, quia non semper postulat, vt, per notitiam inclinantem ad amorem, ad statum inclinationis proximæ perducatur. Quod si difficultatem tibi ingerat concedere nostræ voluntati radicalem. & incompletam inclinationem ad amorem supernaturalem Dei(quæ tamen inclinatio, prout á me exponitur, momenti alicuius difficultatibus obnoxia non est) non obinde potissimo intento frustrabimur: illud enim est, voluntatem in *non-amando* posse vim pati, quod saltem erit verum, quando impediatur amor naturalis, ad quem per aliquam notitiã naturalem sit naturaliter determinata.

34 Ex his tamen occasionem arripies, vt obijcias septimò. Sicut voluntas non est *proximè* inclinata ad amorem, præ non amore, nisi detur cognitio naturaliter determinans ad amorem; sic, tali notitiâ positâ, non est *proximè* inclinata ad amorem, nisi Deus habeat suum concursum præparatum voluntati ad amandum. At, propter primam rationem non infertur voluntati vis in non amando, quando non excitatur tali notitia: ergo propter secundam rationem voluntati excitatæ per talem notitiam non fiet vis, quando Deus non habeat suum concursum præparatum voluntati ad amandum. Consequentia constat ex præmissis. Minor videtur certa ex dictis. Maior autem, quia sicut ad proximam voluntatis potestatem ad amandum requiritur notitia obiecti, quia voluntas est potentia cœca; ita etiam ad eam proximam potestatem requiritur præparatio diuini concursus, quia voluntas est causa secunda. ¶ In primis hoc argumentũ nimis probat, nempè adhuc de potentia absolutâ impossibile esse, quod causæ necessariæ patiantur vim in *non-operando*: nam omnino impossibile est, vt operatione careant, semel ipsis præparato diuino concursû ad operandum: quare neque ignis Babylonicus in non comburendo; neque aqua Iordanis in non descen-

dendo

dendo, neque saxum ingens in non tendendo ad centrum patientur vim.

35 Deinde præoccupauimus hanc obiectionem num. 33. illis verbis: *Inclinationi incompletæ, &c. non fit vis in non operando, nisi quandiu postulat compleri, &c.* Ex quibus distinguo minorem: propter illam rationem præcisè, nego minorem: additâ non exigentiâ eius excitationis, concedo minorem. Vnde, vt iam diximus, si voluntas priuaretur propositione obiectorum toto illo tempore, quo postulat non otiari, pateretur vim. Similiter distinguo consequens. Non fiet vis, si forsan non exigat eam præparationem concursûs, concedo cõsequentiam; si exigat, nego consequentiam: & quia in statû, in quo voluntas habet eam excitationem, cunctaque prærequisita ex parte rerum creatarum ad amandũ, exigit eam pręparationem, consequens est, pati violentiam.

36 Explicatur doctrina solutionis. Proponantur intellectui, v.g. termini isti * Astra sunt paria * quin ea propositio detegat potiùs veritatem, quàm falsitatẽ eiûs obiecti. In hoc euentu intellectus impeditur, quominus præbeat assensum paritati astrorum, quem præbere non potest, nisi tale obiectũ, vt verũ potiùs, quàm vt falsum appareat. Rursus, intellectus non exigit ablationem eius impedimenti: existit enim connaturaliter intellectus, quanuis circa veritatem, aut falsitatem eiûs obiecti determinatè accepti non illustretur: proptereaque dicimus, in hoc euentû intellectum non exercentem assensum nõ pati vim. Nam potentia remota ad operationem non exigens reddi proximam non patitur vim in non operando: non enim exigit operationem, quippè si hanc exigeret, postularet etiam eam proximitatem prærequisitam ad operandum. Idem proportionaliter dicendum de voluntate in ordine ad amorem, quandiu neque ad ipsum excitatur per propositionem obiecti amandi, neque talem exigit excitationem. At, positâ excitatione voluntatis per visionem beatam ad amandum Deum, & non præparato concursû diuino ad amandum, interueniit violentia, quia, positâ ea visione, voluntas talem amorem, talemque præparationem exposcit: cuius signum vehemens est, ita per eam visionem inclinari voluntatem ad amandum, vt nunquam ea positâ desit amor, proindeq; neque diuinus concursus ad amandum, ipsâque naturâ duce, contrarium censeretur miraculosum.

37 Obijcies octauò ex M. Ioanne à S. Th. loco à nobis citato num. 11. illis verbis: *Nec sufficit ad violẽtiam, &c.* Voluntas prout instructa visione beata, præciso quolibet alio, nullum adhibet conatum efficienter ad amorem; sed tantùm habet inclinationẽ in actu primo. At, prius illud requiritur ad violentiam; non autẽ sufficit posterius: ergo in eo casû non interuenit conatus requisitus, vt voluntas vim patiatur in non amando. Minorem probat his verbis: *quia inclinatio in actu primo est indifferens ad cessandum, & agendũ, quia si sibi detur concursus, & alia requisita est inclinata ad agendũ; si negetur concursus, ad cessandum. Ergo sola inclinatio in actu primo cum tali indifferentia non facit violentiam; sed est ad vtrũq; pro diuersis statibus.* ¶ Difficultates, quas patitur hic discursus, recognosci poterunt à n. 12. Nunc resp. distinguo maiorẽ pro secũda parte. Tantũ habet inclinationẽ in actu primo elicitiuo cõcedo maiorẽ; inclinatiuo nego maiorẽ. Quãuis enim voluntas, vt præcisè sic instructa nõ habeat actualiter elicere amorem, vel aliquid aliud elicere in ordine ad subsecutionẽ amoris; sed posse elicere; tamen in eâ præcisione non habet præcisè posse innatè inclinari ad amorẽ; sed innatè inclinari actualiter, & quidem inclinatione connaturaliter infrustrabili (licet diuinitus irritabili) quod satis, superque est ad violentiã in non amando. Vnde nego minorem, qua parte affirmat eam actualem efficientiam requiri ad violentiam. Ad probationem respondeo, sufficere ad violentiam inclinationem; quæ tametsi sit potentialis, & in actu primo in ordine actiuo; tamen est actualis in ordine inclinatiuo: & hoc quanuis ea inclinatio ad amorem, v. g. sit indifferens in ordine ad potestatem absolutam Dei, vt amor detur, & non detur; dummodo naturaliter sit determinata, vt amor detur, prout in præsenti contingit.

38 Obicies demùm ex Durando. Voluntas suapte natura est libera ad actum, & omissionem actus: ergo non inclinatur potius ad actũ; quã ad omissionẽ, & cõsequenter nequit vim pati in carentia actûs. Cõfirm. Nam est libera, vt omittat omnem actum: ergo, quanuis omni actû careat non patietur vim. Propter hæc existimat doctus Thomista Marcus Serra 1. 2. q. 6. art. 4. fine; satis probabilem esse sententiam Durandi de impossibilitate, vt voluntas patiatur vim in non operando. Ad argumentum respondeo. Voluntas est libera ad actum,

actum, & ad omissionem actûs, proposito obiecto per notitiam indifferentem ad vtrunlibet, non verò proposito per notitiam determinantem ad amorem, cuiusmodi notitia est visio beata. Vnde in casu visionis beatæ patietur voluntas vim in non amando. In casu autem propositionis indifferentis, si nec liberè exerceatur amando, nec liberè exerceatur non amando, vt explicatum est in nostris assertionibus. Vnde ad confirmationem. Transeat antecedens in casû propositionis indifferentis; negatur autem in casû propositionis determinantis ad actum: quare in hoc casû priuata actû patietur vim. Omitto alias obiectiones iam in superioribus præoccupatas.

CAP. V.

An voluntas possit pati violentiam in positione actuum ipsius voluntatis?

39 DVplex est actus voluntatis, quantum ad præsens attinet, vt obseruant Theologi cum D. Thom. 1. 2, q. 6, art. 4. in corp. *Vnus quidem* (verba sunt Angelici Præceptoris) *qui est eius immediatè velut ab ipsa elicitus, scilicet velle. Alius qui est actus voluntatis, à voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus, vt ambulare, & loqui: qui à voluntate imperantur mediante potentia motiua.* Modò non disputamus, de actibus qui immediatè exercentur ab alijs facultatibus voluntati subditis, de quibus actibus dicemus disput. seq. sed de actibus, qui immediatè exercentur à voluntate, vt amor, & odium. Porrò autem eiusmodi actus dicuntur à voluntate eliciti, quia per concursum immediatum actiuum voluntatis reipsâ fiunt. Duplex tamen est apud Philosophos opinio. Nam alij putant, ita necessarium esse istum concursum actiuum voluntatis, vt contradictionem implicet, quòd velimus, tali secluso concursû. Alij tamen putant, non ita necessarium esse; sed potius naturam rationalem fore constituendam in ratione volentis, si Deus ipsi, semel informatæ notitiâ obiecti amandi, volitionem infundat citra concursum actiuum voluntatis. Dubium est, an in vtraque sententiâ, vel saltem in alterâ posit esse voluntati violentum velle; vel nolle? D. Tho.

40 Gabriel, & Nominales (apud P. Præpositum 1. 2. Gabriel.

Nomin. Præpoſ. Angeſt. Arria. S. Tho. Araujo A S.Th. Serra. Bapt. Cornejo Carmel. Suar. Vazq. Granad. Tanner. Baldell. Præpoſ. Amic. Auerſa. Paſcual. Scot. Duran. Ægid. Siluius. Argen. Conra. Caietan. Bonauẽ. Ricard. Paluda. Maior. Sot. Almai. Marſil. Curiel. Lorca. Medin. Monteſ. Marti. Valenti.

quæſt. 6. art. 4. verſ. *Ex his apertè*) ſentientes voluntatis actus à Deo produci ſine concursû actiuo voluntatis, ſimul exiſtimant, poſſe voluntatem, quoad illos cogi. Deinde Angeſtus in ſuis moralibus cap. 3. in expoſit. textus vltimi notat. 3. & 5. concedit poſſe voluntatem cogi quoad actus elicitos; licet non violentari. Quæ ſententia forſan à nobis non diſcrepat, iunctis, quæ in hac diſput. dicemus cum dicendis in ſequenti. Demum P. Arriaga diſput. 10. ſect. 6. num. 26. putat locum habere violentiam in ipſis actibus voluntatis, datâ opinione, quòd poſſint à Deo infundi citra concurſum actiuũ voluntatis. Poſtea num. 31. concludit, etiamſi voluntas actiuè influat, eandem violentiam interuenire poſse. Sed hic Autor, ſi benè inſpiciatur, videbitur forſan non diſsidere ab opinione, quam exponemus, & ſequemur. ¶ Secunda ſententia eſt implicare contradictionem, quòd voluntas patiatur violentiam in ſuis actibus in ipsâ manentibus. Ita S. Thom. 1.2.q.6. *artic.*4. vbi eius expoſitores. Illuſtriſsimus Araujo *dub. vnico.* Mag. à S. Thom. *diſp.* 4. *art.* 1. Serra *in expoſitione eius art.* 4. Baptiſta *diſput.* 82. *fragm.* 3. Petrus Cornejo *diſput.* 2. *dub.* 3. Curſus Carmelit. *tract.* 10. *diſput.* 2. *dub.* 3. §. 1. P. Suar. *de Voluntar. & inuolunt. diſput.* 2. *ſect.* 5. *num.* 6. P. Vazquez *diſput.* 26. *cap.* 1. & 2. P. Granado *diſput.* 6. *num.* 7. P. Tanner. *diſp.* 2. *de Actib.* quæſt. 1. dub. 5. num. 57. P. Baldell. *lib.* 1. *diſput.* 14. *num.* 3. P. Præpoſit. *eo art.* 4. P. Amicus *diſp.* 3. *ſect.* 4. *à num.* 94. Auerſa *ſect.* 9. Paſcualigus *de Voluntar. diſput.* 16. *ſect.* 8. apud quos Scot. Durand. Ægidius, Silu. Argent. Conrad. Caiet. Bonau. Ricard. Pal. Mai. Sot. Almain. Marſil. Curiel. Lorca. Medin. Monteſin. Martinez. P. Valent. P. Azor, & P. Salas.

41 Pro explicatione veritatis. *Aſſero primò.* Actus, per quos natura rationalis conſtituitur volens, aut nolens, non poſſunt eſſe ipſi, vel eius voluntati ſimpliciter, & adæquatè violenti. Hæc eſt mens ſecundæ ſententiæ, quam tanta autoritate munitam deſerere non licet. Omiſsis probationibus, quas nonnulli demonſtratiuas arbitrantur, &, vt ab ipſis proponũtur, mihi, ſi dixerim, quod ingenuè ſentio, ſunt inefficaces, cõcluſionem noſtram ſuadeo ratione, quæ ſuam vim ſeruat, ſiue ad volendum, aut nolendum requiratur concurſus actiuus voluntatis in volitionẽ, aut nolitionẽ, ſiue non requiratur. Talis autẽ ratio eſt illa, quã D. Th. eſt viſus in præsẽti art. 4. in corp.

For-

Formatur sic. Nihil, quod est iuxta inclinationẽ innatã volũtatis est simpliciter, & adæquatè voluntati violentum. At, omnis affectus amoris, vel odij est iuxta inclinationem innatam voluntatis: ergo nullus affectus amoris, vel odij est simpliciter, & adæquatè voluntati violentus. Consequentia tenet, maiorque patet. Nam, cum de ratione violenti sit esse contra inclinationem illius, cui est violentum, planè fit non esse alicui simpliciter, & adæquatè violentum, quod iuxta illiûs inclinationẽ est. Minor, quæ sola est difficilis probatur. Nam, inclinatio innata voluntatis est ad prosequendum obiectum, quod per intellectum ptoponitur bonum; & ad fugiendum ab obiecto, quod per intellectum proponitur malum, vt ex Arist. dicebam disp. 1. de Voluntate Dei n. 1. ergo prosecutio obiecti, quia bonum apparet; necnon fuga ab obiecto, quia malũ apparet, sunt iuxta inclinationem innatam voluntatis. At, affectus amoris, & odij consistunt in eâ prosecutione, & fugâ: omnis igitur affectus amoris, & odij est iuxta inclinationem innatam voluntatis. A. Sal

42 Explicatur dupliciter ex eodem D. Thom. ibid. *Primò.* Sicut grauitas lapidis est quædam facultas inclinans lapidem ad tendendum deorsum in centrum, quia talis vbicatio in loco inferiori cõueniens est *realiter* lapidi; sic voluntas est quædam facultas inclinans naturam rationalem ad prosequendum bonum, quia bonum apparet, & ad fugiendum à malo, quia malum apparet. At, ea propter grauitas præstat, vt sit iuxta inclinationem lapidis, vt grauis, proindéque non sit lapidi, vt graui violentum descendere deorsum: ergo pariter voluntas præstabit, vt sit iuxta inclinationem naturæ rationalis, vt habentis voluntatem, proindéque naturæ rationali, vt volitiuæ, non sit violentum, prosequi bonum, quia bonum apparet, malumque fugere, quod vt malum apparet; in quibus stat amare, & odisse. *Secundò.* Tametsi lapidi, vt graui, posit inferri violentia proijciendo illum sursum; tamen implicat contradictionem, quòd ipse descensus deorsum sit violentus lapidi, vt graui, quia grauitas ipsa est inclinatio lapidis ad descendendum deorsum: ergo dato, quod naturæ rationali, vt habenti voluntatem, posit aliquâ ratione vis inferri; sanè cum voluntas sit inclinatio naturæ rationalis ad prosecutionem boni, eo quòd bonum apparet; atque ad mali fugam, eo quòd malum apparet, contradictionem implicabit, quòd sic prosequi; & fuge- D. Thom

re sit violentum naturæ rationali, vt habenti voluntatem.

43 Assero secundò. Actus, per quos natura rationalis constituitur volens, & nolens possunt esse ipsi, vel eius voluntati secundum quid, & inadæquatè violenti. Conclusionem hanc defendit expresè P. Granado sup. num. 9. rectéque ait num. 6. hanc doctrinam non esse contra S. Thom. & antiquos autores, sed potius illorum explicationem. Pro eâdem affert hæc verba expressa Durandi: *Accipiendo coactionem non simpliciter; sed secundum quid, sic voluntas potest cogi etiã quoad velle.* Fauent P. Vazq. disput. 26. cap. 2. num. 14. Fauent etiam sup. P. Baldel. num. 5. & Medina apud ipsum. Auersa versic. *Deinde considerando*: aliudque non videtur intendere P. Arriaga vbi supra, vt constabit illum legenti, & expendenti rationes ipsius. Deinde Doctor Eximius vbi primam assertionem defendit, sic ait: *Tertio de positiuis actibus dicendum est voluntatem non posse cogi SIMPLICITER ad actum elicitum ab ipsa.* Vbi per ly *simplicitèr* videtur approbare tacitus hanc secundam assertionem: imò pro illa stare videtur num. 7.

Vazq. Baldel. Medin. Auersa. Arria. Suar.

44 Probatur. *Primò.* (vt nunc omittam, quæ postea quisque colligere poterit ex disput. 6.) Stat voluntatem affici magnâ displicentiâ inefficaci circa aliquem consensum; & tamen illum expromere: vt si quis non parum displiceat circa consensum in vindictam; quia est offensiuus Dei; & tamen ingenti tentatione victus tandem consentiat: At, tunc consensus iste est secundum quid; & inadæquatè violentus: ergo nostra conclusio est vera. Maior est certa. Nam; sicut componibilia sunt velle efficacitèr obiectum; & inefficacitèr nolle; ita etiam consentire defacto, & inefficaciter nolle consensum: id quòd satis experimento constat: nam frequentèr cum non exiguâ animi renitentiâ consensum adhibemus, ideoque dicere solemus magnam nobis vim intulisse. Minor probatur. Nam talis consensus est aliquatenùs ab extrinseco, nempè ab obiecto, & tentatore. Deinde est aliquatenus contra inclinationem voluntatis ad oppositum: nam per talem displicentiam constituitur voluntas inclinata ad omittendum eum consensum: ergo nihil deest, vt in eo euentû talis consensus sit secundum quid, & inadæquatè voluntati violentus.

45 *Secundò*. Talis consensus est secundum quid positiuè inuoluntarius per positiuam resistentiam voluntatis: ergo secundum quid, & inadæquatè violentus voluntati. Consequentia tenet iuxta communem sententiam Theologorum existimantium; omne, quod modo assignato est inuoluntarium, esse aliquâ ratione violentum. Probatur consequentia. Nam quādo naufragus proijcit merces in mare talis proiectio secum miscet esse partim voluntariam, quia efficacitèr eligitur ad conseruationem vitæ; & partim positiuè inuoluntariam, quia positiuè displicet propter diuitiarum priuationem, quam secum affert. At, prædictus consensus partim miscet esse iuxta inclinationem voluntatis ad prosequendum, quod apparet bonum delectabile; partimque fieri contra inclinationem ipsius voluntatis prouenientem ex displicentiâ circa eundem consensum; quia Dei offensiuum: ergo partim erit voluntati naturalis; & partim violentus. *Tertiò*, principalitèr probabo conclusionem cum P. Arriaga, si præmonuero, non esse necessariū; vt inclinatio, contra quam violentia infertur, tanta sit, vt sine miraculo irritari non valeat: quotidie namque violentiam inferimus lapidi detinentes ipsum extra centrum. Tunc sic. Potest voluntas tot, & tam validis motiuis inclinari ad non amandum Petrum; vt ea inclinatio inducat necessitatem moralem non amandi. At non implicat contradictionem, quòd in eo casû Deus infundat voluntati amorem Petri: ergo possibilis est ea infusio. At, tunc amare violentum erit aliquâ ratione voluntati: erit enim ab extrinseco; & contra magnam inclinationem voluntatis ad non amandum; esto non tantam, vt miraculis opus sit ad eam superandam. Ergo.

46 Et quidem prima, & secunda assertio non pugnant inter se. Quamuis enim adæquatè naturale voluntati; partimq; violentum ipsi; sint extrema repugnantia: primum enim est cōtra nullam inclinationem voluntatis, & secundum contra aliquam; non tamen sunt extrema repugnantia naturale inadæquatè; & inadæquatè violentum: quia bene stat idem extremū esse iuxta vnam voluntatis inclinationem, & esse contra aliā: quemadmodum confluentibus in voluntate inclinatione ad omittendum actum peccati, ne Deus offendatur, & inclinatione ad exercendum ipsum actum propter delectationem, peccatum erit iuxta hanc posteriorem inclinationem, & contra priorem.

CAP.

CAP. VI.

Obiectiones, & consectaria.

47 OBijcies primò contra primam assertionem. Potest Deus inferre voluntati necessitatem simplicitèr, & adæquatè dictam ad amandum, nempè nullâ relictâ potestate proximâ ad cohibendum amorem, vt pono ex communiori Theologiâ: ergo potest etiam inferre violentiam simplicitèr, & adæquatè dictam. Probatur consequentia. Tum, quia necessitare, & violētare videntur in idem recidere. Tum, quia saltem existente iudicio indifferente ad amandum, & non amādum, voluntas exigit, vel nullatenus, vel pro suâ libertate amare: ergo, si tunc necessitetur ad amandum, patietur vim.

¶ Concesso antecedente, negatur consequentia. Ad primam probationem dicatur, non esse idem necessitare, & violentare voluntatem ad amandum: quia violentare simpliciter, & adæquatè (de quo nunc loquimur) est præstare, quòd amet voluntas contra inclinationem ad amandum, & sine vllâ inclinatione, vt amet. Necessitare autem ad amandum est præstare, quòd iuxta suam inclinationem amet, ablatâ potestate proximâ ad cohibendum amorem. Quorum veritas patet ex dictis in primâ assertione. Ad secundam probationem, concesso antecedente distinguo consequens. Patietur vim, in eo quod detur amor, nego consequentiam. In eo quod detur non liberè, concedo consequentiam. Solutionis veritas constat ex *cap. 3. & 4.*

48 Obijcies secundò. Potest voluntas pati violentiam in eo, quòd tristetur: ergo, & in eo, quòd amet. Vt, enim amor est affectus voluntatis circa bonum apparens, vt bonum, ita tristitia est affectus voluntatis circa malum apparens, vt malum præsens. Antecedens probatur. Tum, quia, vt dicebam *disp. 1. num. 28.* nunc recognoscendo, incredibile est, damnatos non teneri violentissimè sempiternâ illâ tristitiâ, quâ peracerbè discinduntur. Tum, quia materialis dolor violentus est appetitiuo sentienti: ergo spiritualis tristitia violenta est appetitiuo rationali. Tum, quia naturæ sentienti, naturæque rationali violenta sunt, quæ naturalitèr refugiunt. Naturaliter autem, qua parte sumus sensitiui, refugimus dolorem materialem;

sem; qua parte verò rationales, refugimus spiritualem tristitiam: Vnde in beatos non cadit vera, & propria tristitia (tametsi cadat odium peccatorum, quæ in via commiserunt) quia non cadit in ipsos malum, quod ipsa natura recusat. Quibus nonnullorum solutiones constat satis insufficientes esse.

49 Hoc argumentum non frangit primam assertionem nostram; sed secundam confirmat. Quare distinguo antecedens, eo concesso de violentia inadæquata loquendo: negato verò loquendo de inadæquata; & sub eadem distinctione concedenda, & neganda est consequentia. Pro stabilitate solutionis percurro probationes antecedentis. *Ad primam* dico. Talis tristitia partim est naturalis; & magna ex parte violenta. *Primum*, quia est iuxta inclinationem voluntatis propendentis ad tristandum de malo cognito, vt præsenti. Nam cognoscenti malum, vt præsens, quatenùs ita cognoscenti, consentaneum est tristari de illo, nisi in eo sit iucunditatis statû, qui nullum additum mœrori relinquat. *Secundum.* Nam adeò ea tristitia damnati cruciãtur, vt vehemẽtissimè; sed in cassũ, depellere cupiant. *Ad secundam* similitèr dicendum, eam materialem affectionem doloris naturalem esse naturæ sentienti, quia iuxta natiuam propensionem ipsiûs est dolere malum sensatum, vt præsens. Quod si sentiens ita sit crassum, quòd nullatenùs queat supra suas affectiones reflectere; vt ipsas fugiat, nihil violenti talis dolor admiscebit; secus autem, si, vt contingit sentientibus rationalibus, reflectendo supra doloris affectionem eamque cruciatiuam experiendo, fugiant eandem. Quare spiritualis intellectualium tristitia solet admiscere violentiam.

50 *Ad tertiam* dicimus, veram esse maiorem; falsam tamen minorem quoad secundam partem, loquendo de sensitiuo *præcisè, vt sensitiuo.* Quia sensitiuum, vt sic, neque innatè, neque elicitè refugit dolorem materialem mali sensati, vt præsentis. *Non innatè*: quia fuga innata non versatur circa naturalitèr impossibile: tale autem est non dari in sensitiuis dolorem materialem obiecti sensati, vt præsentis. Nec valet propterea dicere, fugere innatè ipsam sensationem mali, vt præsentis, licet non sic fugiant dolere illud ex suppositione, quòd sentiatur. Nam, vt est intellectûs perfectio, quam intellectûs innatè non fugit, mala quæ sunt præsentia intelligere, ita, & sensus sentire. *Non elicitè*; cum enim verius sit, sensitiua; præcisè,

citè, quà sensitiua, non reflectere supra suas sensationes, affectionesque vitales, consequens est, non repræsentare ipsas, cùm tamen id necesse sit ad fugiendum ipsas elicitè. Quamobrem; fugiunt quidem elicitè obiecta dolorifera; non tamen siue innatè; siuè elicitè fugiunt ipsum actum formalem doloris. Hæc de primâ parte minoris. Quoad secundam partem dicimus: Rationalia, quâ rationalia, non fugiunt innatè tristitiam spiritualem circa malum præsens. Mœror enim de malo intellecto, vt præsenti, est intelligenti connaturalis, nisi prohibeat illum plenitudo iucunditatis, quâ præoccupetur aliundè. At, quia intellectiuum reflectere potest supra talem dolorem, illumque repræsentare secundum rationem molesti, & oppositi plenitudini iucunditatis, idcircò potest elicitè refugere, & ex hâc parte in illiûs passione partim violentari. Quamobrem, status beatitudinis, proindeque plenissimæ iucunditatis, non ideò propriam tristitiam de anteactis peccatis excludit, quia natura ipsa rationalis secundum se renuat eam tristitiam; sed quoniam animus tantâ iucunditate plenus, nihil afferens molestiam capit.

51 Obijcies tertiò, plures esse actus voluntatis naturæ rationali violentos. *Primò* quia peccatum commissionis stat in actû voluntatis; peccatum autem est naturæ rationali violentum: quippe, quod est contra naturam, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 2. pro se afferens Aug. sicut etiam 1. 2. q. 6. art. 4. citat Damasc. *Secundò*. Nam odium Autoris naturæ est contra naturam: ergo talis actus voluntatis est violentus naturæ. *Tertiò*. Quia sicut rei naturalissimum est suum *esse*; ita conatus ad *non-esse* violentissimus apparet. At, volitio, per quam aliquis penè iam ærumnis confectus toto desiderat pectore in nihilum redigi, est conatus ad *non-esse* ipsiûs volentis: ergo ea volitio est violentissima ipsi volenti. ¶ Respond. nullum esse actum voluntatis, qui sit simpliciter, & adæquatè violentus; licèt aliud sit loquendo secundum quid, & inadæquatè. Iam probationes non ostendunt adæquatam violentiã. *Ad primam* dicatur ex D. Thom. *eo art. 4. ad 3.* naturam rationalem spectari posse, vel præscindendo ab instructione per regulas rectæ rationis, & prudentiæ, vel vt eis regulis instructam. Primo modo importat inclinationem ad prosequendũ quod apprehenditur, vt bonum; & ad fugiendum, quod apprehenditur, vt malum. Secundò modo ad amplectendum

D. Tho. *August.* *Damas.*

præ-

præcisè honestum; & fugiendum turpe. Cum igitur quotiès creatura peccat per actum amoris, aut odij, vel prosequatur, quod apprehenditur vt bonum, saltem in genere delectabilis, vel fugiat, quod apprehenditur, vt malum, saltem in genere molesti, consequens est operari iuxta inclinationem, quam importat natura rationalis, præscindendo ab instructione per regulas rationis rectæ, tametsi operetur contra inclinationē, quam importat natura rationalis, prout eis regulis instructa. Vnde quicquid sit de inadæquatâ violentia; adæquata tamen non probatur.

52 *Ad secundam.* Odium autoris naturæ nunquam contingit, nisi exercens odium apprehendat autorem naturæ, vt sibi molestum, & incommodum; & quia voluntas secundum se importat inclinationem ad odium obiecti apprehensi, vt molesti, & incommodi, patet tale odium nūquam exerceri, nisi iuxta aliquam voluntatis inclinationem, ac proinde nunquam exercetur adæquatè violenter; sed aliquatenùs naturalitèr. Est tamen illud odium contra inclinationem voluntatis, vt instructæ notitiâ ostendente bonitatem tanti Autoris. Quod si sit ea notitia visio clara ipsiûs, adeò crescit ea inclinatio, vt non solûm necessitet ad excludendum odium, sed etiam ad erumpendum in amorem incredibilis vehementiæ erga tantū Autorem. ¶ *Ad tertiam.* Natura rationalis habet duplicem inclinationem: aliam ad perseuerandum in suo *esse*; aliam, quā volitiua facultas intrinsece importat; ad fugiendum elicitè, quod appareat, vt ipsi naturæ disconueniens, & incommodū. Transeat, esse contra primam, & consequentèr aliquatenus violentum, procurare suum *non esse*, violentasque sibi manus inferre. Tamen ea procuratio nunquam contingit; nisi iuxta posteriorem inclinationem, quia nunquam sibi quis procurat *non-esse*, nisi *esse* proprium appareat ipsi disconueniens, & incommodum. Hinc argumenta facta possent per otium aptari ad confirmationem secundæ assertionis.

53 Obiicies quarto, nullam esse rationem, quâ probauimus primam assertionem, si loquamur vniuersalitèr. Illa enim ducebatur ex eo, quod omnis actus voluntatis est iuxta aliquam inclinationem innatam voluntatis. At, hoc falsificatur in actibus voluntatis intrinsecè supernaturalibus, qui non sunt iuxta; sed supra inclinationem innatam naturæ. Ergo, &c. Resp. Actus supernaturales sunt iuxta inclinationem innatam

vo-

voluntatis incompletè, & inadæquatè identificatam cum ipsa voluntate; non tamen cum illa identificatam completè, & adæquatè. Sicut, enim, iuxta verissima nostræ Societatis principia, voluntas secum identificat aliquam partem actiuitatis ad actus supernaturales, quæ coniuncta cum comprincipijs supernaturalibus constituit totam actiuitatem ad illos, sic eadem voluntas identificat sibi partem aliquam inclinationis ad actus supernaturales, quæ coniuncta cum supernaturalibus notitijs directiuis; & principijs effectiuis constituit inclinationem integram ad tales actus.

54 Obijcies quintò contra secundam assertionem. Non sufficit adhoc, vt actus voluntatis sit partim, aut secundum quid violentus voluntati, quòd aliquomodo sit ab extrinseco cum aliquâ resistentiâ voluntatis: ergo frustra ponitur ea violentia inadæquata. Probatur antecedens. Nam alioqui sequeretur omnem actum nostrum liberum, eo ipso, quod sit liber, esse inadæquatè violentum. Consequens est absurdum. Sequela probatur. Nam omnis actus liber noster, eo ipso, quod sit talis, fit cum aliquâ resistentiâ voluntatis, nempè cum aliquâ inclinatione ad oppositum; & aliunde fit à Deo, saltem, vt causâ vniuersali; cum igitur fieri aliquomodo ab extrinseco, & cũ aliquâ inclinatione voluntatis ad oppositum, principia sint, ex quibus sumitur inadæquata violentia, patet omnem actum liberum nostrum ratione ipsius libertatis esse inadæquatè violentũ. Iam absurditas consequentis probatur maximè ad hominem. Nam iuxta ea, quæ diximus disp. 2, actum voluntatis liberè fieri auget ipsum, cæteris paribus, in ratione voluntarij. At, nequit ita crescere ex eo, quod fiat aliquomodo violentèr, vt ex ipsis terminis manifestissimum apparet: ergo fieri liberè non est fieri aliquomodo violentèr.

55 Resp. Negatur antecedens. Ad probationem, concessâ sequela, negatur absurditas consequentis: cuius absurditatis probationi, concessa maiore, distinguo minorem. Nequit actus crescere in ratione voluntarij ex eo, quod fiat aliquomodo violentèr: si fieri violentèr sumatur *purè, ac præcisè* concedo minorem; nego verò, si sumatur *talitèr*: nempè fieri cum inclinatione ad oppositum, quæ hic, & nunc præstat, vt actus potiori ratione fiat imputabilitèr respectũ voluntatis, & ab illa magis se determinante: vnde negatur consequentia. Itaque si actus ex libertate haberet præcisè fieri violentèr, nullo

addito

addito iuuamine ad accessionem voluntarij, non cresceret ex libertate in ratione voluntarij. Vndè, si voluntatē inclinatam in actu primo ad non amandum necessitaret Deus ad amorē, talis amor non cresceret in ratione voluntarij ex illa inclinatione ad oppositum: ea enim inclinatio sic præcisè deseruiret ad violentiam, vt nullatenus conferret ad accessionem voluntarij. Cæterum actus non habet ex libertate ad oppositum fieri præcisè cum aliqua violentia desumpta ex aliqua inclinatione ad oppositum; sed etiam illum à voluntate expromi multò magis ex propria sui determinatione, & cum maiore imputabilitate, vt loco cit. dicebamus. Sic, si nunc intellectû dissentiente alicui obiecto, postea expellatur hic dissensus, per assensum oppositū, per quem simul perspiciat intellectus plurimas veritates antea ignotas, crescet postea intellectus in ratione cognoscentis, non præcisè ex eo, quod amittat cognitionem, quam habebat antea; sed quia *talitèr* amittit.

56. Ex dictis fit primò ratiocinandum esse in præsens circa intellectûs actus proportionalitèr ad dicta de actibus voluntatis. Sicut enim amare, & odisse est semper iuxta inclinationem voluntatis ad prosequendum, quod apparet bonum: & ad fugiendum, quod apparet malum; sic assentiri; ac dissentiri est semper iuxta inclinationem intellectûs ad affirmandū, quod apparet verum; & negandum, quod apparet falsum. Deinde, sicut ex parte vis inferretur voluntati, si ipsa plurimùm inclinata ad non amandum necessitaretur à Deo ad amorem, iuxta dicta num. 45. fine; sic etiam ex parte vis inferretur intellectui, si vehementer ipse inclinatus ad non assentiendum; vel ad non dissentiendum necessitetur à Deo ad assensum; vel dissensum. Fit Secundò. Si voluntas ex parte motiuorum vehementèr inclinetur ad odium v.g. & eâ inclinatione non obstante; Deus ipsi infundat amorem incompatibilem cum odio, tunc voluntas patietur vim quasi primariò, ex eo, quòd non existat odium; & quasi secundariò, ex eo, quód nō existat amor. Quia inclinatio, cui tunc fit vis, tēdit ad odium propter se; & propter odium ad exclusionem impedimentorum prohibentium odium, quorum vnum est amor. Videantur, quæ in simili diximus num. 18. Mitto alia, quæ vnicuique peruia erunt. Præterea, si quæ desiderantur in hac disput. tradentur in sequente.

DISPVTATIO SEXTA.

De natura inuoluntarij.

DIsputatione immediatè antecedente explicuimus violentiam in ordine ad voluntatem humanam, quæ violentia, prout à positiuâ inuoluntarietate præscindit, non tam fit contra inclinationem elicitam sectantem ductum cognitionis, quam contra innatam in naturæ impetû positam. Agemus nunc de inuoluntario contra appetitum elicitum.

CAP. I.

Quorundam terminorum explicatione præmissa, exponitur natura inuoluntarij.

Suar.

1 AGit hâc de re optimè de suo more noster eximius Doctor P. Suarez tract. de Voluntar. disp. 2. sect. 1. Circumferri solent plures termini quorum significationem ad æquiuocationes tollendas obseruare oportet. Illi sunt. *Necessarium, violentum, inuitum, coactum, & inuoluntarium.* Necessarium dicitur, quod ita existit, vt non sit potestas ad hoc, vt non existat. Vnde aliud est necessarium omnibus; aliud alicui, vel aliquibus. Primum est, quod ita existit, vt in nullo sit potestas adhoc, vt non existat: & hoc modo solus Deus est necessarius, de quo alibi plura. Secundum est, quod ita existit respectiuè ad aliquem, vel ad aliquos, vt illi non habeant potestatem, vt non existat: & sic pauperi necessaria est egestas, quam euitare non potest. *Violentum* iam diximus disp. 5. cap. 1. esse illud, quod alicui contingit ab extrinseco, cum intrinsecâ resistentiâ ex parte illiûs, cui contingit. Sic lapidi graui contingit violentèr moueri sursum. *Inuitum* est, quod non libentèr; sed contra voluntatem fit. *Coactum* similitèr est, quod fit, contra voluntatem suo actu resistentem. Quare, vt bene P. Suar. supra num. 8. coactum dicitur quasi *contra actum. Inuoluntarium* similitèr est, loquendo de inuoluntario positiuè dicto;

cto, quod est contrà voluntatẽ sua nolitione resistentẽ. Quamobrem *inuitum, coactum, & inuoluntarium* propriè dictum in idem recidunt. Tamen, non ita proprie, & strictè loquendo, vsu venit necessarium, violentum, inuitum, coactum, & inuoluntarium inter se confundi, vt videre est partim apud P. Sua. *loco citat.* & apud P. Vazquez *disputat.* 25. *cap.* 1. *à numero* 2.

2 Ex his *fit primo.* Non omne, quod est alicui necessarium esse ipsi violentum, vel inuoluntarium: vt patet in amore, quo Deus se ipsum amat, & in amore, quo à beatis amatur, quorum primus est Deo necessarius; posterior autem beatis, neuterque est Deo, aut beatis inuoluntarius, quia non contingit ipsis nolentibus eum amorem. *Fit secundò* Non omne, quod est alicui simpliciter, & adæquatè violentum est ipsi necessarium. Potest enim accidere, vt homo contra inclinationem propriæ grauitatis feratur sursum ab agente extrinseco, ita vt ipse homo, neque tali lationi resistat, neque ipsam velit, quam tamen suâ resistentiâ pôsset euitare. Tunc autem ea latio foret ipsi simpliciter, & adæquatè violenta; non tamen necessaria: quia ex vna parte foret contra inclinationem propriæ grauitatis; & aliundè non foret iuxta vllam inclinationem positiuam ipsiûs hominis, ac demum accideret, existente penes eum hominem potestate, vt ipsam prohiberet. *Tertiò* tamèn omne, quod est alicui simpliciter, & omnino plenè inuoluntarium est ipsi necessariũ. Nam id est alicui simpliciter, & omnino plenè inuoluntarium, quod existit illo nolente per nolitionem sic fugantem ipsum ab existentiâ illius, vt, si posset impedire, illam impediret, quod postea constabit; ergo si non impedit, ideo est, quia impedire non potest. At, necessarium alicui est, quod ita existit, vt ipse nequeat eam existẽtiã impedire: ergo omne, quod est alicui simpliciter plenè inuoluntarium est ipsi necessarium.

3 Hinc obiter. *Quartò.* Nihil creatum potest esse Deo simpliciter plenè inuoluntarium. Ratio est. Nam omne simpliciter plenè inuoluntarium alicui, est ab ipso nolitum, & impotẽs impediri ab ipso. At, nihil creatũ est impotẽs impediri à Deo, qui potentissimus est, vt omne creatũ impediat: ergo nihil creatum potest esse Deo inuoluntarium simpliciter. *Quintò*, tamèn forsan erit, cui dicere non displiceat (id quod ego doctiorum iudicio remitto) malitiam formalem peccati

esse simpliciter, & adæquate violentam Deo. Nam, illud est adæquate, simpliciterque violentum alicui, quod & ab extrinseco venit, & iuxta nullam illius inclinationem est; ac demum est contra aliquam (Pono ex physicis ad violentum nō requiri, quod strictè, & physicè sit passiuè in eo, cui vis infertur) At hæc omnia competunt malitiæ formali peccati. Nam in primis, quanuis à Deo permittatur; tamen propriè, & strictè loquendo non venit à Deo; sed præcisè à creatura defectibili. *Secundò*, iuxta nullam Dei inclinationem est: quia summam dedecet bonitatem in malitiam peccati formalem inclinari. Demùm: contra aliquam Dei inclinationem est: quia bonitas ipsa necessaria Dei, nec non diuina displicentia necessaria circa formalem peccati malitiam, est inclinatio Dei, vt, ea malitia non eueniat. Sed quicquid de hoc sit.

4 *Sextò*. Non omne alicui violentum est ipsi inuoluntarium. Nihil enim est inanimatis inuoluntarium: cum enim voluntate sint expertia, nihil contingit contra voluntatem ipsorum; plura tamen sunt ipsis violenta, vt saxis deteneri extra centrum, & igni non comburere passum debitè applicatum. *Septimò*, tamen omne alicui positiuè inuoluntarium, non quidem ex purâ ignorantiâ; sed ex resistentiâ voluntatis, est aliquomodo violentum, quippè quod fit contrà actualem inclinationem elicitam illius, cui inuoluntarium est. Dixi: *non quidem ex pura ignorantia*. Quod enim sic purè ignorantér fit, vt nulla cognitio ipsius interueniat, non est positiuè nolitum, ac proinde neque in omni rigore sine vllâ restrictione positiuè inuoluntarium. Quamobrem, P. Granado disput. 5. num. 3. postquam dixit violentum, & inuoluntarium *distingui tanquam superius ab inferiori; omne enim inuoluntarium est violentum; sed non omne violentum est inuoluntarium*, (nonnullis interiectis) vt constaret ipsum loqui de inuoluntario per resistentiam actualem cum cognitione, diserte addidit: *ita inuoluntarium est id, quod procedit ab extrinseco principio; cui tamen renitatur passum habens aliquam COGNITIONEM finis*. ¶ Ad hæc: P. Vazq. postquam dixit disput. 25. capit. 1. num. 6. *Non omne violentum est inuoluntarium, omne tamen inuoluntarium est violentum*, vt constet, quo rigore inuoluntarium accipiat, non agens de inuoluntario laxiori ex ignorantiâ, adiunxit disput. 27. capit. 1. num. 1. explicans, quo pa-

Granad.

cto

cto dixerit, inuoluntarium, & violentum se habere, vt superius,& inferius. *Similitèr inuoluntarium, quod fit ex ignoratione non est violentum, etiamsi non habeat admixtum voluntarium, &c.* Hæc dixerim, vt sincero lectori constet, quo iure PP. Carmelitani Salmantic. 1.2. *tract.*10 *in ipso vestibulo disp.*5. hæc verba dederint. *Deinde* inuoluntarium *quodammodo latius patet* violento: *quia, vt dicemus ex D. Thom. art. 7. extenditur ad plures actus, qui fiunt ex ignorantia, & non ideo sunt violenti. In quo decepti sunt Vazquez, & Granad. qui putarunt* violentum *esse omnino superius ad* inuoluntarium, *esseque omne inuoluntarium violentum, licet non ècontra.*

5 Porró autem triplicitèr aliquid dicitur alicui *inuoluntarium.* Negatiuè, priuatiuè, & positiue. Negatiue est illud, quod non est voluntarium. Et hic sensus est nimis laxus. Nam hac ratione quidquid in mundo contingit est inanimatis inuoluntarium: quia nihil est ipsis voluntarium. Priuatiue est inuoluntarium alicui, quod non contingit; posset tamen contingere ex ipsiûs voluntate. Sensus iste non adeo laxus est; non tamen est ille strictus, de quo noster sermo in præsens est. Positiue est inuoluntarium alicui, quod contra actualem nolitionem illiûs contingit. Itaque sicut optime D.Tho. obseruat *in hac 1.2. q.6. art.3.ad.2.* dupliciter dici *non velle.* Vno modo in vi vniûs dictonis, secundum quod est infinitiuum huius verbi *Nolo.* Alio modo in vi orationis, & tunc non affirmatur; sed negatur actus voluntatis; ita dicimus inuoluntarium duplicitèr dici. Vno modo, vt perinde sit ac ista oratio. *Non voluntarium*: & tunc idem est, ac non existens voluntariè, vbi non affirmatur existentia actûs voluntatis; sed negatur existere per voluntatis actum modo sufficiente ad subeundam denominationem voluntarij. Alio modo, vt perinde sit, ac ista dictio: *Noluntarium*: & tunc idem est, ac existens contra actum voluntatis nolentis, quòd existat.

6 Quemadmodum autem duplex est volitio: nam alia est inefficax, quæ velleitas dici solet; alia verò efficax, quæ per verbum *Volo* simplicitèr prolatum denotatur; sic nolitio duplex est, alia inefficax, quæ nolleitas etiam dicitur, & alia efficax, quæ per verbum *Nolo* simpliciter pro-

latum denotatur. Rursus: quemadmodum volitio inefficax est illa, per quam volenti placet purè obiectum propter bonitatem apprehensam; quin tamen eâ volitione determinetur, vt eiûs obiecti existentiam ponat; volitio autem efficax ea est, quæ tantâ vi afficit volentem erga obiectum, vt determinet ipsum ad ponendum ipsiûs obiecti existentiam; sic nolitio inefficax est illa, per quam nolenti displicet purè obiectum propter malitiam apprehensam, quin tamen eâ nolitione determinetur, vt eiûs obiecti existentiam impediat; nolitio autem efficax ea est, quæ vi tantâ nolentem auertit ab obiecto, vt determinet ipsum ad impediendam ipsiûs obiecti existentiam. Hinc vero difficultas emergit contra constitutionem inuoluntarij simplicitèr talis. Non enim videtur explicabile, quænam sit illa nolitio, ratione cuiûs obiectum aliquod constituatur existens inuoluntariè simplicitèr.

7 Difficultatis ratio est. Nam huiûsmodi constitutio prouenire non potest à solâ nolitione inefficaci. Non ab efficaci: ergo à nullâ. Prior pars patet. Plura nanque fiunt cum eâ nolitione inefficaci; non tamen sunt simpliciter inuoluntaria. Sic naufragus habet displicentiam circa proiectionem mercium in mare; proijcit tamen simplicitèr voluntariè, de quo infra. Sic Christus Dominus passus est simplicitèr voluntariè: licèt enim tàm acerbis pœnis humana natura quodammodo restiterit, vt indicatur illis verbis *Math. 26. 39. Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste*; tamen per conformitatem perfectissimam cum voluntate diuinâ statim addit: *Verumtamen non sicut ego volo; sed sicut tu.* Et *vers. 42. Fiat voluntas tua.* Secunda pars probatur. Nam efficax nolitio impedit efficacitèr obiectum nolitum: ergo tale obiectum non existet, semel eâ nolitione posita; & consequentèr implicat, quòd per talem nolitionem constituatur in ratione existentis inuoluntariè simplicitèr.

Matth.

8 Sed hanc difficultatem superat satis Eximius Doctor supra num. 3. & post ipsum alij, quos imitatur P. Arriaga disputatione. 9. sect. 3. à num. 10. Quorum vestigia premens ita rem explico, iuxta consimilia, quæ docui *tract. de Prædest. disp. 6. à num. 17.* Inuoluntarium simplicitèr non constituitur tale per nolitionem purè simplicem omninò inefficacem. Hoc benè probant, quæ dicta sunt num. 7.

Suarez. Arriag.

pro

pro priori parte rationis dubitandi. *Secundo*, inuoluntarium simplicitèr non constituitur tale per nolitionem omninò efficacem. Ratio est, quia, iuxta communem sensum, eam nolitionem vocamus omnino efficacem, quæ absolute, & simpliciter est ab intrinseco infallibiliter connexa cũ impeditione rei nolitæ. Patet autèm ex dictis n. 7. pro posteriori parte rationis dubitandi, non constitui inuoluntarium simpliciter in ratione talis per nolitionem, tam magnæ efficaciæ. *Tertiò* ergo dicẽdum superest, inuoluntarium simplicitèr constitui in ratione talis per nolitionem quandam semiefficacem mediam inter pure simplicem prorsus inefficacem; & inter absolutam omnino efficacem.

9 Iam verò natura huiùs nolitionis semiefficacis constitutinæ inuoluntarij simplicitèr dicti stat in eo, vt talis nolitio sic auertat animum ab obiecto nolito, vt quamuis non excludat absolutè, & sine addito, quod tale obiectum existat; tamẽ excludat suapte natura, quòd obiectum existat, ipso animo talẽ existentiam absolutè volente: nempe sic affecto : *Volo tale obiectum existere*. Sed vt hoc exactius, quàm solet enucleetur: obseruandum mihi est, intra limites nolitionum, quas semiefficaces voco (quia neque sunt purè simplices, & inefficaces; neque omnimodam efficaciam attingunt) latitudinem esse. Nam aliæ sunt nolitiones semiefficaces, quæ prohibent non solum, quod animus habeat prædictam volitionem absolutam obiecti noliti; sed etiam prohibent, quòd animus permittat existentiam eius obiecti; aliæ tamèn sunt, quæ tametsi prædictam volitionem absolutam prohibeant; non tamèn eam permissionẽ. V.g. Petrᵘˢ, qui tale, vel talę peccatũ Ioannis potest impedire, potest duplicitèr tale peccatum nolle. *Primo* tam vehementi nolitione, quę neque patiatur, vt Petrus absolutè velit tale peccatum, neque patiatur, vt ipsum permittat. *Secundò* tali nolitione, quæ licet non patiatur, quòd Petrus absolutè velit tale peccatum Ioannis; patitur tamèn, quòd illud permittat, nempe reuocato Petro quominus illud impediat ex difficultatibus, & incommodis, quæ in eo peccato impediendo se offerunt. Legantur pro plenâ huiùs rei comprehensione, quæ loco citat. de Prædest. diximus. Hoc obseruato, duo mihi dicenda videntur.

10 *Primum est*. Vt aliquid contingat inuoluntariè simplicitèr (quamuis non cum omni plenitudine inuoluntarij)

requiritur, & sufficit, quòd ita existat, vt sit nolitum per nolitionem excludentem absolutam volitionem ipsiûs. Ratio petenda est ex his, quæ tangit optimè P. Suarez supra num. 3. Nam, ea nolitio requiritur, & sufficit ad constiruendum obiectum noluntarium simplicitèr, quæ est affectus voluntatis excludens ab obiecto rationem voluntarij simplicitèr. At, prædicta nolitio est talis affectus: ergo requiritur, & sufficit ad constituendum noluntarium simplicitèr. Maior pro parte, quæ affirmat eam nolitionem requiri, &c. patet: quia cum sint incompossibilia, quòd idem fit ex parte eiusdem voluntatis noluntarium simplicitèr, & voluntarium simplicitèr, planè fit eam nolitionem requiri ad constitutionem voluntarij simplicitèr dicti, quæ requiritur ad excludendum ab eo obiecto voluntarium esse simplicitèr ex parte voluntatis: vbi autem datur absoluta volitio ipsiûs; iam est voluntarium simplicitèr ex parte voluntatis. Requiritur ergo nolitio excludens prædictam volitionem absolutam. Eadem maior pro parte affirmante talem nolitionem sufficere, probatur. Quia nolitio, quæ præcisè reddit obiectum noluntarium secundum quid, permittit, quòd obiectum sit aliundè voluntarium simplicitèr: vt non semel tetigimus, & inferius constabit ex professo ex communi doctrina Theologorum. Si igitur assignata nolitio non permittit, quòd suum obiectum sit aliunde voluntarium simpliciter, patet non sufficere duntaxàt ad constitutionem noluntarij secundum quid sed etiam simplicitèr. Minor etiam patet. Nam, iuxta dicta disput. 1. circa essentiam voluntarij, requiritur ad voluntarium simplicitèr, quod sit absolutè volitum formalitèr; vel saltem virtualiter: ergo nolitio excludens talem volitionem absolutam est affectus voluntatis excludens ab obiecto rationem voluntarij simplicitèr.

11 *Secundum est.* Non tamen requiritur ad noluntarium simplicitèr nolitio, quæ etiam excludat, quòd permittat nolens poni aliunde obiectum nolitum. Colligitur ex dictis. Quia, benè stat nolitionem esse affectiuè efficacem gradû sufficiente ad excludendum, quòd nolens velit absolute obiectum; non tamen in gradû tàm superiori, qui excludat, quòd nolens permittat poni aliundè tale obiectum: vt explicabamus numer. 9. ex dictis fusiùs loco citat. de Prædestinat. At, vt constat ex nuper dictis num. 10.

10. sufficit ad noluntarium simpliciter dictum nolitio affectiuè efficax gradû sufficiente ad excludendum, quòd nolens velit absolute obiectum: ergo non requiritur nolitio in tam superiori efficaciæ affectiuæ gradû, qui prædictam permissionem excludat. ¶ Cœterùm ad noluntarium non solùm simpliciter dictum; sed complectens omnem plenitudinem intra metas noluntarij, requiritur nolitio prædictam etiam permissionem excludens. Nam, longe pleniùs est obiectum inuoluntarium illi, qui tanto ardore refugit ipsum, vt ea nolitio non patiatur, quòd illud permittat, quàm illi, cuiûs nolitio non quidem patitur, quòd tale obiectum absolutè velit; bene tamen, quòd permittat. Quocirca patet ex dictis, quomodo sint intelligenda consectarium tertium, & quartum tradita num. 2. & 3. nempè non de inuoluntario simpliciter vtcunque accepto; sed plenissimo. Quo etiam pacto non sunt Deo plenissime violenta nostra peccata, quia non eueniunt cum tantâ ex parte Dei resistentiâ, quæ non patiatur, quòd ipse Deus ea permittat.

CAP. II.

Inuoluntarij natura vlteriùs illustrata per consectaria.

12 EX dictis: *Primò* fit. Nolitio non causat inuoluntarium *productiuè*, & *effectiuè*; sed *constitutiuè*. Quia voluntas per nolitionem obiecti non mandat obiectum executioni quoad effectum; sed potius ab existentiâ remouet quoad affectum. Vnde, non reddit illud inuoluntarium producendo, & efficiendo ipsum. Verumtamen, quia obiectum est inuoluntarium, quatenùs sic existit, vt à voluntate sit *nolitum*: sane cum per ipsam nolitionem, vt formam constituatur in ratione noliti, consequens est, nolitionem causare inuoluntarium in genere causæ formalis constitutiuè. Quemadmodum inclinatio innata corporis grauis ad præsentiam infernam non causat violentum, quod interuenit in præsentia supernâ, producendo talem præsentiam; sed constituendo illam violentam in genere causæ formalis, propterea quòd forma constituens eam præsentiam violentam tali

corpori, non est aliud, quàm ipsius inclinatio ad præsentiam oppositam. ¶ *Secundò* fit: sicut bene stat, quòd odium peccati procedat à voluntate, vt amatum; & tamen constituat peccatum non amatum; sed potiùs voluntati exosum; sic etiam bene stat nolitionem esse voluntariam; eo quòd à voluntate procedat tanquam volita; & tamen obiectum constituat noluntarium, scilicet nolitum. Sunt enim, vt alibi expendebā plures formæ, aut quasi formæ, quæ vnam sibi denominationem accipiunt; & oppositam alijs subiectis, quæ denominant, conferunt. Sic impossibilitas alteriùs Dei, est necessaria; confertque alteri Deo, non quidem denominationem necessarij; sed impossibilis. Sic potentia diuina ad præstandum; quòd creaturæ sint, & non sint, est necessaria, confertque creaturis denominationem contingentium; vt innumera alia missa faciam.

13 *Tertiò* fit. Sicut, iuxta dicta disput. 1. voluntarium aliud est obiectiuum, nempè obiectum, quod denominatur volitum; & aliud formale, nempe volitio ipsa, quæ forma est denominans obiectum volitum; sic etiam inuoluntarium aliud est obiectiuum, nempe obiectum, quod denominatur nolitum; & aliud formale, nempe nolitio ipsa; quæ forma est denominans obiectū nolitū. *Quartò* tamen, vt optime P. Suar. sup. n. 11. etsi præter voluntariū formale, & obiectiuū assignetur voluntariū causale; nō tamen assignandū est inuoluntariū causale. Nihil enim est inuolūtariū eo nomine, quòd à volūtate causetur; sed quia sic existit, vt voluntas eius existentiam detestetur. Vide dicta in primo corollario. *Quintò*. Si comparemus inter se noluntariū necessariū, & noluntariū liberū, ita vt præcisè spectemus, quæ secundùm suas rationes essentiales important, noluntarium liberum excedit in ratione noluntarij noluntarium necessarium. Ratio mihi est: quia in ea præcisione magis nolitum est id, quod est nolitum liberè, quàm nolitū necessariò. Etenim nolle necessariò obiectum non importat ex suâ ratione essentiali velle ipsum nolle; at nolle libere obiectū importat ex suâ ratione essentiali velle ipsum nolle: cūq; velle nolitionē obiecti sit virtualiter nolle obiectū, consequens est, vt obiectū esse libere nolitū duplici nomine importet esse nolitū: altero formaliter, quia per formalē nolitionē ipsi⁹ est formaliter nolitū; altero virtualiter, quia per virtualē nolitionē ipsi⁹ est virtualiter nolitū; at esse necessariò nolitum importat

præcise

præcise esse formaliter nolitum. Superat ergo in eâ præcisione volũtarium liberum in ratione noluntarij. Constabit autem ex dicendis de libertate reflexio voluntatis supra liberos actus, quæ supponitur hic. Locutus sum, *præcise spectatis rationib. essentialibus*: Nam aliundè potest voluntas sic velle nolitionẽ necessariã, vt excessus reducatur ad æqualitatem.

14 *Sextò.* Sicut duplex est voluntarium obiectiuum; *aliud in se*; & aliud *in causa*; de quibus diximus *disp. 2. num. 2.* ita duplex est inuoluntarium obiectiuum: aliud *in se*, & est illud ad quod nolitio directè fertur. Aliud *in causa*, & est illud, ad cuius causam necessariò requisitam ad ipsiûs existentiam nolitio fertur. Sicut enim effectum velle censetur, qui vult causam cum effectûs existentiâ connexam; ita censetur effectum nolle, qui detestatur causam necessariò requisitam ad ipsiûs existentiam. Dico: *necessariò requisitam. &c.* quia, si causa non sit necessariò requisita ad existentiam effectûs, nõ infertur ex non-existentiâ causæ non-existẽtia effectûs, ac proinde nolle talem causam, vel quod in præsenti perinde est, velle non existentiam causæ, non censetur perinde, ac nolle effectũ, aut velle non-existentiam effectûs. Videatur Eximius Doctor *supra num. 13.* ¶ *Septimò.* Sicut potest dari voluntarium indirectum omissiuum, quod interpretatiuè, & in genere moris sit voluntarium positiuum, de quo plura *disp. 3. & 4.* sic dari potest inuoluntarium indirectum omissiuum, quod interpretatiuè, & in genere moris sit inuoluntarium positiuum. Sicut enim, qui potest, ac tenetur audire sacrum, si auditionem omittit, peccat contra præceptum audiendi, sicut si positiuè vellet nõ auditionem sacri, ideoque talis non-auditio est moraliter volita; sic etiam peccat sicut si positiuè nollet auditionem, eaque propter talis auditio est moraliter nolita. *Suar.*

15 *Octauò.* Cum illud sit nobis *secundum quid* inuoluntarium, quod existit nobis resistentibus per simplicem displicentiam; sic inuoluntaria nobis esse possunt ea omnia, quæ sic possint existere, cumque sint innumera, non sunt percurrẽda singillatim. Solùm obseruo, posse suscipere rationem inuoluntarij *secundum quid* ipsos actus voluntatis intra nos manentes, eorum actuum cessationes, ipsos actus exteriores, eorumque cessationes: & hæc omnia, tametsi alioquin imperentur efficaciter â voluntate: quia coniunctim cum eo imperio possunt accidere nobis renuentibus per simplicem displicentiam

tiam

tiam. *Nonò*, iuxta communem, & veram sententiam S.Tho. *in hac* 1.2.q 6.a*r*t.4.*corp*. Actus aliarum facultatum à voluntate imperati efficaciter ab ipsâ (idem dicatur de cessationibus ipsorum) possunt esse nobis inuoluntarij simpliciter diuisim ab eo imperio. Nam voluntate quantùm in se est efficaciter repugnante, vt videamus, audiamus, ambulemus, &c. potest Deus valentiori vi præstare, quod eos actus exerceamus.

¶ Cæterum nullus actus coniunctim cum imperio, quo velimus ipsum volitione absolutâ potest esse nobis inuoluntarius simpliciter: nam vt diximus in præsenti cap. quòd sit obiectũ simpliciter inuoluntarium sumitur ex nolitione excludente volitionem absolutam illiûs. Ex quo fit. *Decimò*, volitionem liberam coniunctim cum eo quod liberé exerceatur non posse nobis esse simpliciter inuoluntariã. Tum, quia iuxta principia mihi vera exerceri liberè imbibit esse absolutè volitã. Tum, quia iuxta omnes opponuntur exerceri liberè, & esse nolitam nolitione exclusiuâ volitionis absolutę prout requiritur ad inuoluntarium simpliciter.

CAP. III.

An ipsi actus voluntatis intra voluntatem manentes possint esse inuoluntarij simpliciter, si necessariò exerceantur? Vbi comparatio inuoluntarij cum violento.

16 DIsp. 5.*cap*.5.*num*.40. retuli Hieronimum Angestũ existimantem actus voluntatis posse esse simpliciter inuoluntarios, quamuis nequeant esse adæquatè violenti, vt explicui eá disp.cap.5. Hanc Angesti sententiam ibi dixi, forsan à nobis non discrepare. Arbitror enim, non repugnare voluntatis actus, si necessariò exerceantur, euadere simpliciter inuoluntarios. Tum à posteriori. Tum à priori. A posteriori quidem: sæpè namque afficimur acerbis affectibus, iam nimiæ tristitiæ de malo præsenti; iam nimij timoris de malo, quod imminere apprehendimus, quos omni conatû depellere nitimur; neque tamen possumus. Et sane nullus erit, nisi animi sit vsque ad stuporem constantis, qui tenebris conclusus, viuidissimaque apprehensione cogitans hominem damnatum ipsi occurrere, toto corpore, & animo non contremiscat, quantumuis, quoad in ipso est, omni affectûs efficaciâ timorem excutere pugnet. Sunt ergo affectus existentes, qui detestationem termi-

terminant affectiuè efficacem. Hoc autem, vt vidimus, satis superque est ad rationem inuoluntarij simpliciter. Confirmatur. Nam, iuxta præsentem statum, appetitus sensitiuus non obedit rationi despoticè; sed politicè, ideoque voluntate totâ efficaciâ affectiuâ renuente motibus insurgentibus, iam ad libidinem, iam ad vindictam, pertinaciter tamen eiusmodi motus persistunt. Sicut ergo motus appetitûs sensitiui possunt esse tam parùm, aut nihil spontanei, vt sint contra resistentiam voluntatis affectiuè efficacem; sic poterunt esse voluntatis affectus necessarij, qui contra similem voluntatis resistentiâ existant, & consequenter sint inuoluntarij simpliciter.

17 Ratio à priori petenda est ex dictis in hâc disp. iunctis his, quæ diximus disp. 1. Non enim implicat volitio, per quam voluntas ita directè velit obiectum, vt neque per hanc ipsam volitionem, neque per aliam velit absoluté talem volitionem: ergo nihil obest, quominus ea volitio sic existat, vt terminet detestationem voluntatis affectiuè efficacem: quod enim obesse posset esset amari volitione absolutâ, cum quâ non constat eam detestationem terminare. At, vbi actus voluntatis existat contra prædictam detestationem, est inuoluntarius simpliciter, vt constat ex dictis in hâc disp. ergo actus voluntatis potest esse inuoluntarius simpliciter. Argumentorũ solutio doctrinam hanc vberius illustrabit.

18 Obijcies primò. Omnis actus voluntatis est reflexè, vel quasi reflexè volitus, vel per se ipsum; vel per alium. Sed cùm hoc non stat esse reflexè nolitum nolitione efficaci quoad affectum, prout requiritur ad inuoluntarium simpliciter: ergo &c. Sola maior est difficilis; quæ tamen probatur ex Ecclesiæ Patribus. Nam primò vbique significant actus voluntatis nõ posse coactos esse: quod ægrè defendi potest, vt ex dictis patet, nisi de ratione actuum voluntatis sit esse volitos. Videantur Aug. 5. *de Ciuit. Dei cap.* 10. Damascen. *lib.* 5. *de Fide cap.* 27. Bernard. *lib. de Gratia, & lib. arb.* D. Tho. *in hac.* 1. 2. *q.* 6. *art.* 4. *& q.* 22. *de Verit. art.* 5. Secundò, eandem reflexionem disertè significant Aug. *lib.* 9. *de Trinitate cap.* 11. vbi ait: *Quidquid intelligo intelligere me scio, & scio me velle quicquid volo.* Si autem omnis notitia est cognita, omnis volitio erit volita. Idem Aug. lib. 8. de Trinitate cap. 7. *Qui proximum diligit, consequens est, vt ipsam dilectionem diligat.* Anselm. de liber. arb. cap. 3. *Ligari potest homo, & inuitus, quia*

Aug. *Damasc.* *Bernar.* *D. Tho.* *Aug.* *Ansel.* *S. Tho.*

nolens: potest torqueri inuitus, quia nolens, potest occidi: velle autem non potest inuitus, quia non potest velle nolens velle. S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 2. *Amor ex ratione propria speciei habet, quòd supra se reflectatur, quia est spontaneus motus amantis ad amatum, vnde ex hoc ipso quod amat aliquis, amat se amare.*

19 Respondeo, falsam esse maiorem, vt vidimus disp. 1. cap. 4. Ad probationem ex PP. dicatur in primis, eos qui precisè dicunt actus voluntatis non posse esse coactos explicādos esse quatenus velint, id quod docebamus *disp. 5. cap. 5.* nempè non posse esse tám plenè violentos, vt sint contra innatam voluntatis inclinationem. Frequens enim est coactum, & inuitū confundere cum violento, vt cum PP. Suar, & Vaz. obseruabā n. 1. Deinde, qui clarius videntur reflexionem exprimere explicandi sunt modis, quos iam subiungo. Ad primū Aug. testimonium dicatur, mentē Aug. non esse, quòd adeò sit essentiale cognitionibus, & volitionibus esse notas, & volitas, vt numquam aliud possit accidere. Addit enim statim: *quidquid autem scio memini*: cum tamen contingat non recordari nos cūctorum, quorum scientiam habemus, aut habuimus. Quare mens Aug. est, frequentissimè contingere, vt experimentaliter cognoscamus notitias, & affectus, quos exercemus. De quo videantur, quæ diximus eâ disp. 1. n. 33. ¶ Ad secūdum Aug. testimonium respondet optime. P. M. Richardus Lynceus, cuius opus Philosophicū, subtile quidem, & elegans, ad meas manus nunc fœliciter venit. Respondet inquam, *tertio tom. metaph. lib. 7. tract. 11. cap. 3. n. 32.* mentem Aug. esse, qui diligit proximum propter Deum amare præcipuè ipsum Deum, qui dilectio increata est, & quem nomine dilectionis vocat in præsenti Aug. sic subijciens: *Deus autem dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet: consequens ergo est, vt præcipue Deum diligat.*

Suar. Vazq. Lynce⁹. Aug.

20 Ad testimonium Anselmi dicatur, sensum esse, voluntatis actum à necessitate antecedente liberum, esse etiam liberū à coactione, adeò, vt nequeat voluntas eum exprom ere nolens. Si enim nullatenus determinatur antecedēter ab alio, vt illum exerceat, elicit eum se determinans ad ipsum pro suo libito, cum quo non stat, vt ipsum nolit absolutè: de quo amplius vbi de libertate. Vel si mauis aptare poteris Anselmo solutionem quam iam exhibeo testimonio D. Th. cuius mens est,

est, amorem, qui habet complete, & adæquatè perfectionem propriæ speciei, eo ipso euadere spontaneum ex parte actûs, suique ipsiûs amorem; secùs autem, qui non habet completè, & adæquatè perfectionem suæ speciei. Pro cuiùs intelligentiâ notetur, cognitionem directiuam voluntatis ad amandũ obiectum esse duplicem. Alia est, quæ in obiecto repræsentat eam rationem, quæ apta est terminare amorem; non autem repræsentat eam rationẽ expresse, & formaliter, vt dignam amore. Talis est notitia, quæ repræsentat suauitatem cibi, non referẽdo cibum ad amorem, quo dignus est propter eam suauitatẽ. Alia est, quæ nõ solùm repræsentat id, quod prædicta notitia, sed etiam repræsentat expresse obiectum in ordine ad amorẽ, notificando dignum esse amore, ideoque bonum esse amare ipsum.

21 Inter has autem notitias id discriminis est. Prior non agit de amore; sed præcisè de obiecto: vndè sufficiens est, vt voluntatem dirigat ad amandum obiectum; non autem ad amandum amorem; aliter verò notitia posterior, quæ sufficiẽs est, vt dirigat ad amãdum amorem, quia notificat bonum esse amare tale obiectum. Hinc prior notitia valdè imperfectè attingit bonitatem obiecti, quia nõ exprimit, quam dignitatem habeat obiectum, vt ametur. Posterior, propter oppositam rationem, attingit longè perfectius eam bonitatem. Hinc rursus fit, amorem, qui sectetur ductum posterioris notitiæ posse iure merito dici perfectum, & completum in specie amoris; secus autem amorẽ, qui dirigatur ex priori notitia. Qui enim dirigitur ex posteriori; non verò qui dirigitur ex priori, sequitur ductũ perfectè exprimẽtẽ obiecti bonitatem. Tandẽ, quia posterior notitia ducit ad amandum obiectum, quatenùs repræsentat ex parte ipsiûs rationem amabilem; simulque ducit ad amandum amorem, quatenùs repræsentat bonum esse amare tale obiectum, implicat voluntatem amare tale obiectum sectando adæquatè ducatum talis notitiæ, & non amare simul ipsum amorem. Ex quibus breuiter dicito, amorem ex sua specie perfectum, id est, directum ex notitiâ, vt perfectè exprimente bonitatem obiecti, habere, *quod supra se reflectatur*, quia non solùm ex parte obiecti imperfectè cogniti spõtaneus est; sed etiam ex parte actus, qui cognoscitur bonus, expressâ perfectè bonitate obiecti. Vnde *ex hoc ipso quod amat aliquis* per amorem, ita completè perfectum in sua specie, *amat se amare.*

mare. Hæc dixerim, vt quantum in me fuerit, de more, pugnē contrarium non habere Præceptorem Angel.

22 Obijcies secundò. Implicatorium est, vt velis non volens. At, si velle esset simpliciter inuoluntarium, oporteret, vt velles non volens, quin potius vt velles simpliciter nolens: ergo implicatorium est, simpliciter esse inuoluntarium velle. Resp. Implicatorium est, vt velis non volens obiectum, quod vis; non tamen est implicatorium, vt velis necessitatus ab alio ad volendum, quin velis ipsam volitionem, quam potius efficaciter affectiuè detestaris. Sic implicatorium est odisse quin oderis; id est, quin oderis obiectum, quod fugis; non tamen quin oderis ipsum odium. Quare impossibile est odisse peccatum, quin oderis peccatum: est tamen possibile, perpetuoque contingens odisse peccatum, & non odisse tale odium, sed valde amare.

23 Obijcies tertiò. Implicat idem esse simpliciter voluntarium, & inuoluntarium simpliciter. At, omnis actus voluntatis est necessariò simpliciter voluntarius, quippe qui est necessariò à principio intrinseco cum cognitione: ergo nequit esse simpliciter inuoluntarius. Respondeo ex dictis in simili *disp*. 1. *num*. 30. & 31. Tametsi repugnet idem esse simpliciter voluntarium, & simpliciter inuoluntarium in eodem genere; non tamen esse simpliciter voluntarium in genere formali; & inuoluntarium simpliciter in genere obiectiuo. Nulla enim contradictio in eo inuenitur, vt eadem volitio sit forma constituens subiectum volens, & obiectum volitum; & simul sit res, quam subiectum habere renuit, nequit tamen ipsam remouere, quia necessitatur ab alio, vt ipsam habeat. Porrò autem, cum non repugnet volitio, quæ sit præcisè voluntaria in genere formali, vt constat ex his, quæ diximus, planè fit posse dari volitionem simpliciter inuoluntarium in genere obiectiuo, id est, simpliciter, & absolutè nolitam. Neque obstat, omnem volitionem esse à principio intrinseco cum cognitione. Quia non omnis est *cum cognitione*, vt mouente in actu secundo ad volendum ipsam, idque requiritur, iuxta disp. 1. vt volitio sit voluntaria, non præcisè in genere formali; sed etiā in genere causali, & obiectiuo.

24 Obijcies quartò. Si velle posset esse simpliciter inuoluntarium, posset esse simpliciter violentum. At, nequit esse simpliciter violentum, vt diximus *disp*. 5. *cap*. 5. ergo neque sim-

simpliciter inuoluntarium. Probatur maior, quæ sola difficilis est. Nam, vt dicebamus num. 4. quidquid est inuoluntarium est aliquomodo violentum: ergo inuoluntarium simpliciter est simpliciter violentum. Si igitur velle possit esse simpliciter inuoluntarium, poterit esse simpliciter violentum. Respond. Negatur maior accipiendo terminum illum: *Violentum simpliciter* perinde ac si dicatur. *Violentū absolutè, & adæquatè, illatenusque naturale.* Ad probationem, concesso antecedē-,negatur prior consequentia. Ratio negandi est, quia sunt quædam genera, quibus aliqualiter competunt aliȩ rationes genericȩ; & tamen ea genera quanuis in proprio genere sint simpliciter, adæquatè, & absolutè dicta, tamen illis non competunt illȩ aliæ rationes genericæ simpliciter, adæquate, & absolutè, nempè quia tales rationes genericæ petunt alia extra omnia illa genera, quibus illas aliqualiter competere diximus. Sic, vt plurium exemplorum aggerationem omittam, materia prima est aliqualiter (nempè secundum quid, & inadæquatè) totum substantiale; & tamen, quanuis detur aliquid in rebus, quod sit simpliciter, & adæquatè materia prima: non tamē eo præcisè dabitur totum substantiale, scilicet, quia totum substātiale petit essentialiter aliud extra omnem rationem materiæ primæ, nēpè formā substantialem. Sic igitur in præsenti, si ratio positiuè inuoluntarij cadat supra actum voluntatis, talis actus erit aliqualiter violentus, quia cōtra aliquam inclinationem subiecti. Rursus, si talis actus sit simpliciter nolitus, nempè nolitione absolutâ, & affectiue efficaci, talis actus erit absolutè, & simpliciter noluntarius: quia noluntarium absolutè, & simpliciter dicitur, quod est contra prædictam nolitionem absolutam; non tamen idcirco talis actus erit absolutè simpliciter, & adæquatè violentus. Nam ad hoc petitur extra omnem rationem nolūtarij, quod non sit iuxta innatam inclinationem subiecti. Diximus autem loc. cit. omnem voluntatis actum esse iuxta innatam inclinationem volentis.

25 Habes ex dictis, iunctis, quæ tradidimus cap. 1. quomodo comparentur inter se violentum, & inuoluntarium positiuum. Nam, vt cōstat ex ibi dictis: *Primo* non omne violentum est positiuè inuoluntarium. *Secundò* omne inuoluntarium ratione actualis resistentiæ, per quam voluntas ipsum renuit, est aliqualiter violentum. *Tertiò*, vt constat ex dictis

num.

cultates ad suas operationes, tametsi nostra voluntas plenissimè renuat. Non enim tanta repugnantia in eo apparet, quòd istæ facultates sine imperio; imò contra imperium nostræ voluntatis operentur, vt nequeat Deus eam vincere potestate absolutâ.

28 His præmissis, dicendum est, prædictas facultates exercentes suas operationes contra imperium nostræ voluntatis, non pati violentiã *simpliciter*. Probatur. Id quod existit à prædictis facultatibus, estque potiori ratione iuxta ipsarum inclinationem, quàm contra, non est ipsis violentum simpliciter. At eiusmodi operationes existunt à prædictis facultatibus, &, quamuis renuat voluntas, sunt potiori ratione iuxta ipsarum inclinationem, quàm contra: ergo, tametsi voluntas renuat; nõ sunt prædictis facultatibus violentæ. Maior patet, & minor quoad primam partem. Probatur quoad secundam, maximè ad hominem contra plures Thomistas nobis aduersantes. Nam, eiusmodi facultates operando in prædicto casû sectantur imperium voluntatis diuinę statuentis, vt operentur; resistunt autem voluntati creatæ nolenti, vt operentur. At magis inclinantur, eo quòd sint creaturæ, ne resistant imperio Dei, quàm, eo quod sint facultates homini datę, vt ipsis vtatur pro libito, ne resistant imperio hominis, quippè nomine priori sunt potiori ratione subditæ Deo, quã posteriori nomine subditæ homini: ergo in prædicto casu, tametsi voluntas humana renuat, tales operationes sunt potiori ratione iuxta earum facultatum inclinationem, quàm contra illam. Hanc rationem tetigit optimè de more suo P. Suarez supra n. 8. Suarez.

29 Dixi non pati violentiam *simpliciter*. Forsan enim erunt, qui duplicem inclinationem eis facultatibus adscribãt: aliam generalem, & potiorem ex ratione creaturæ ad parendum Deo; aliam specialiorem, & minus præcipuam ex suis rationibus peculiaribus ad obediendum homini: quoniam ergo est contra hanc posteriorem inclinationem operari renuente voluntate humanâ; idcirco sic operari, violentum erit *saltem secundum quid*, eis facultatibus, quanuis non *simpliciter*, quia priori, & potiori inclinationi generali sese accomodant. Cæterùm, quidquid sit de priore inclinatione ad parendum Deo de quâ in physicis; sentio tamen cum P. Vazquez, posteriorem inclinationem solido fundamento nõ inniti. Quare gratis ponitur in casu conclusionis ea violentia *secundum quid*. Sic Vazq.

enim disputo. Nam ea inclinatio ad non operandum, nisi homine volente, non satis in eo fundatur, quòd tales facultates ex naturâ rei subdantur in operando humanæ voluntati. At, frustra excogitabitur aliud prædicatum super quod fundetur: ergo talis inclinatio non inititur solido fundamento.

30 Minor certa est. Quia nullum est vestigium indicans aliud in his facultatibus, quàm destinatas esse ad talium operationum exercitium non aliter ponendum, quàm pro nutû voluntatis humanæ; ideoque nullus in alio prædicato superstruxit talem inclinationem, quàm in subiectione talium facultatum ad imperium voluntatis humanę. Maior probatur. Nã ad eam subiectionem satis est, quòd ad operandum determinentur, posito voluntatis imperio; ad non operandum autem eo imperio remoto. Et hæc sanè non arguunt prædictam inclinationem. Sic ignis determinatur ad comburendum, positâ applicatione ad passum ritè dispositum; & ad non comburendum eâ ablatâ. Item, corpus graue supra positum determinatur ad descendendum non impeditum superiori vi; eâ verò impeditum ad non descendendum. Tamen, neque ignis habet positiuam inclinationem non comburendi passum distans; neque lapis non descendendi, nitenti ad oppositum vi fortiori. Si enim miraculosè concurrente Deo, ignis comburat passum, non obstante distantiâ, corpusque graue descendat, non obstante conatu fortioris agentis, quis dicat ignem contra suam inclinationem, & corpus graue contra suam, pati violentiam comburendo, & descendendo? Non ergo in eâ subiectione prædictarum facultatum ad voluntatem satis fundatur positiua inclinatio illarum ad non aliter operandum, quàm homine volente. Quamobrem, sicut rectè prouisum est vniuerso, quanuis neque in igne; neque in corpore graui dentur inclinationes assignatæ, eo præcisè, quòd ignis determinetur ad comburendum applicatus passo ritè disposito; & ad non comburendum non applicatus; & eo præcisè, quòd corpus graue non detentum vi fortiori determinetur ad descensum; detentum autem ad non-descensum; sic etiam rectè prouisum est homini, seclusis inclinationibus iam expositis à prædictis facultatibus, eo præcisè, quòd homine volente determinẽtur ad operandum; nolente autem ad non operandum.

Scot. *Capreol.* *Valent.*

31 Refragantur tamen nobis Scotus, Capreol. Valent. Me-

Medin. Salas. Martinez. Cornejo. Curiel, quos refert, & sequitur Ildephonsus Baptista *disp* 85. *num* 169 Qui primò nobis opponunt nonnulla testimonia D. Tho. in quibus S. Doctor oppositum nostræ conclusionis significare videtur. Explicandus tamen est cum P. Suarez sup. n. 8. tum de coactione respectu hominis. Tum etiam, quatenus coactionem sumere videtur pro necessitate; vt cum ait, visum cogi ad visionem ab obiecto, & intellectum cogi ab euidentia præmissarum ad assensum conclusionis. ¶ Opponunt secundò. Nam in casu conclusionis operationes prædictæ, quamuis sint iuxta inclinationem aliquam earum facultatum; sunt tamen contra potiorem ipsarum facultatum inclinationem: ergo sunt potius eisdem facultatibus violentæ, quàm naturales. Consecutio tenet: & antecedens probatur. In his facultatibus datur duplex inclinatio, alia ad exercitium suarum operationum, de qua non disputamus nunc; alia ad obediendum voluntati. At hæc posterior inclinatio potior est, quàm prior: quia posterior inclinatio indita est propter bonum totiûs; prior autem propter bonum ipsarum facultatum: & partes propendent potius in bonum totius, quàm in bonum proprium, sicut bonus ciuis in bonum potius communitatis, quam in suum. Deinde in casu conclusionis, cum prædictæ operationes exerceantur voluntate renuente, fiunt contra inclinationem ipsarum facultatum ad obediendum voluntati: ergo fiunt cōtra potiorem earum facultatum inclinationem. *M. l* *Salas.* *Cornejo.* *Curiel.* *Bapt.* *D. Tho.* *Suar.*

32 Hic discursus videtur firmus, si benè stabiliatur ea inclinatio talium facultatum ad obediendum voluntati. Probatur autem. *Primò*. Nam in corpore graui, vltra inclinationem ad centrum, datur inclinatio propter bonum vniuersi ad ascendendum sursum, ne detur vacuum. Quapropter, corpus graue pateretur vim contra istam inclinationem, si imminente vacuo prohiberetur ascendere: ergo in prædictis facultatibus, vltra inclinationem ad proprias operationes, datur propter bonum totius inclinatio ad obediendum voluntati; ac per consequens, si determinentur ad operandum, resistente voluntate, patientur vim. *Secundò*. Voluntas habet potentiam naturalem actiuam, vt moueat has facultates ad operandum: ergo ipsæ facultates habent potentiam naturalem passiuam, vt moueantur á voluntate: quippè actiuæ potentiæ naturali correspondet potentia passiua naturalis. At

potentia naturalis passiua, vt moueantur à voluntate est inclinatio ad obediendum voluntati. Datur igitur hæc inclinatio. Confirmatur. Ad motum naturalem non sufficit potentia actiua naturalis in agente; sed requiritur etiam potentia passiua naturalis in patiente: cum igitur sit naturalis motus harum potentiarum à voluntate, consequens est, in his potentijs residere potentiam passiuam naturalem, vt moueantur à voluntate; proindeque inclinationem, vt voluntati obediant. *Tertiò*, quia tales facultates sunt voluntati subordinatæ naturaliter: ergo inclinationem habent obediendi voluntati. Confirmatur: quia non esset rectè ordinata natura, si potentiæ naturaliter subditæ expertes essent inclinatione obediendi facultati naturaliter dominatrici, nempè voluntati.

33 His argumentis post Mag. Cornejo vtitur Baptista, qui semel, & iterum irrationabilem vocat opinionem P. Vazq. negantis eam inclinationem. An verò rationabiliter censuerit, dijudicet lector ex adhibendis solutionibus, verborum aculeis libenter omissis. Ad argumentum negatur antecedens, quoad posteriorem partem. Ad probationem autem, negatur inclinatio positiua talium potentiarum ad obediendũ voluntati: sufficit enim tribuere ipsis non repugnantiam, aut puram aptitudinem, vt pro nutû voluntatis determinentur ad operandum, vel non operandum. Ad primam probationem num. 32. factam pro inclinatione, quam negauimus, respondeo, negato antecedente: gratis enim ponitur ea inclinatio propter bonum vniuersi. Ratio est, quia licet corpora grauia non habeant inclinationem positiuam ascendendi sursum, imminente vacuo, satis prouisum est vniuersi bono, vel alijs modis, quos Philosophi considerant, vel datâ corporibus vi attractiuâ aliorum, quæ sit fortior ad attrahendum, quando id necessarium est ad euitandum vacuum, quàm propriæ inclinationes eorum corporum ad resistendum. Cuius solutionis vis constabit amplius ex dicendis ad tertiam probationem.

34 Ad secundam probationem, concesso antecedente, & admissâ consequentiâ, negatur minor subiuncta. Nã potentia naturalis passiua, vel quasi passiua, quam prædictæ facultates sortiuntur, vt moueantur à voluntate, non consistit in eo, quòd positiuè inclinentur ad sequendum voluntatis imperium;

rium; sed in eo, quòd sint suapte naturâ capaces ad sequendú illud sine violentiâ: quemadmodum datâ in sole, & in obiectis potentia naturali actiuâ producendi lucem, & species in aere, datur in aere potentia naturalis passiua recipiendi lucem, & species; eaque potentia naturalis passiua non cōsistit in inclinatione positiuâ aeris ad lucem, & species, quasi aer esset violentus sine luce, & speciebus; sed consistit in eo, quòd aer natura suâ sit susceptiuus lucis, & specierum absque violentiâ. ¶ Dixi, *admissa consequentia.* Fateor ingenuè rectam esse hanc illationem * Datur virtus, quæ constituit agens potens mouere *naturaliter* (id est, non violenter) passum, naturalitate se habente ex parte agentis : ergo datur virtus, quæ constituit passum potens moueri *naturalitèr* (id est, non violenter) naturalitate se habente ex parte agentis * quia cum agens mouere passum, & passum moueri ab agente sint idem, consequens planè est, vt, potentia, quæ constituit agens potens mouere naturaliter ex parte suâ; constituat simùl, extrinsecè saltem, passum potens moueri naturaliter ex parte agentis.

35 Cæterùm hæc illatio recta non est * Potest agens naturaliter ex parte ipsiûs agentis mouere : ergo potest passum naturaliter ex parte ipsius passi moueri * Bene nanque stat, quòd agens ita moueat, vt ex parte ipsiûs agentis non detur inclinatio ad non mouendum; & tamen passum sic moueatur, vt ex parte ipsius passi detur inclinatio, vt non moueatur sic. Hac ratione, quando agens extrinsecùm lapidi proijcit ipsum sursum, ita tale agens mouet lapidem, vt ipsi agenti non sit violentum sic mouere : quia non habet inclinationem, vt non moueat sic; at ipse lapis ita mouetur sursum, vt ipsi lapidi sit violentum moueri sic: quia inclinationem habet, vt non sic moueatur. ¶ Ad confirmationem respondetur ex dictis ad argumentum. Quando motus non est violentus; sed adæquatè naturalis, nempè ex parte agentis, & passi, datur ex parte agentis potentia naturalis, vt moueat; & ex parte passi potentia naturalis, vt moueatur. At, non semper oportet, quòd hæc potentia naturalis, vt passum moueatur, consistat in inclinatione positiuâ ad motionem; sed satis est consistere in aptitudine, vt moueatur, quin resistat motioni, vt de aere respectu lucis, & specierum dicebamus.

36 Ad tertiam probationem, concesso antecedente,

negatur cõsequentia. Nam ad eam subordinationem naturalẽ non est opus inclinatione positiuâ talium facultatum ad obediendũ voluntati; sed satis est, ita esse voluntati attemperatas, vt naturaliter necesse sit prodire in operationem, decernente voluntate; necnon ab operatione abstinere, voluntate renuẽte. Sic ad subordinationem subditorũ ad superiorem, viâ iurisdictionis moralis, necesse non est subditos positiuè inclinari vt pareant; sed satis est non posse licitè otiari quando præcipitur operatio; nec posse licitè operari, quando præcipitur operationis omissio. ¶ Ad confirmationem negatur antecedens: quia satis benè ordinata est natura, si potentiæ inferiores non possint naturaliter nõ obedire facultati superiori, quamuis expertes sint positiuâ inclinatione ad obediendum. Confirmatur primò. Quia satis benè ordinata est Respub. rationalis, si subditi nequeant licitè non obedire superiori, quamuis non habeãt inclinationem positiuam ad obediendum: ergo similiter in re nostrâ. Confirmatur secũdò ex dictis num. 30 quia naturalium agentium ordo satis est rectus, si necessarium sit, quòd agentia virium inferiorum cedant agentibus virium superiorum: quamuis non habeant positiuam inclinationem ad eam cessionem: sicut necesse est corpus graue pugnans deorsum descendere, cedere fortiori virtuti proijcientis illum sursum: non tamen habet inclinationem positiuam, vt cedat ascendendo sursum: nam alioqui talis ascensus non esset simpliciter violentus: ergo similiter, &c.

37 Vtque appareat, quàm parum firmus sit discursus ille, quo citati Thomistæ nituntur, adiungo tandem dictis, eorum sententiam esse, resistente voluntate operationibus prædictarum facultatum, esse eisdem facultatibus violentas, vniuersaliter loquendo, tales operationes; & tamen ille discursus non tenet vniuersaliter. Ostendo sic. Nam inclinatio, quam inditam defenditis ijs facultatibus ad parendum voluntati propter bonum totius, esse duntaxat debet ad id, quod conducit, & quando conducit ad bonum totius. Quemadmodum, per vos inclinatio corporum grauium propter bonum vniuersi ad ascendendum, ne detur vacuum, esse duntaxat debet ad eum ascensum, quando vtilis, & necessarius est ad impediendum vacuum. At, non semper vtile est ad bonum totius, tales facultates abstinere ab operationibus, quarũ exercitio resistit voluntas, vt patet, si voluntas resisteret motioni bra-

brachij, quando necessaria est ad cauendum vulnus lethale capitis: ergo non semper est iuxta inclinationem harum facultatum non operari, fugiente voluntate operationem; & consequenter quamuis sic voluntas renuat, non erit violentum prædictis facultatibus, saltem aliquando, tales operationes exercere.

38 *Dubitabis secundò.* An imperante volũtate operationes facultatum sibi subiectarum, non solùm patiatur vim ipsa voluntas; sed etiam prædictæ facultates, casu quo prohibeãtur exercere operationes imperatas? Pro responsione notandum est. Bifariã istæ facultates impediri possunt ab operatione imperatâ. *Primò*, si positis omnibus prærequisitis creatis ad exercitium eius operationis, Deus neget concursum ad ipsam. *Secundò*, si aliunde impediantur, vt si membra exteriora paralysi dissoluta prohibeantur obedire voluntati exteriorem operationem imperanti. In primo euentu patiuntur vim, quia causæ secundæ, præsertim necessariæ, violentiam patiuntur non operando ex defectû diuini concursûs ad operationem, quando ex parte rerum creatarum adsunt omnia prærequisita ad operandum, vt constat ex disput. 5. cap. 2. Difficilior est decisio in secundo casû, in quo non dari violentiam ex eo videtur verum, quia tunc non debentur ex naturâ rei facultatibus exterioribus operationes imperatæ, cum impeditæ sint ab alijs causis creatis quominus operentur. Verum hæc ratio non est firma: quando enim corpora grauia detinentur extra centrum ab agente creato potentiori, prohibentur à causâ creatâ quominus ad centrum tendant; & tamen, iuxta communem sensum, patiuntur violentiam non tendendo.

39 Verosimilius apparet, pati tunc violentiam non operando. Probatur, tum à paritate corporum grauium, quæ violentiam patiuntur non descendendo ad centrum, etiamsi impedimento creato prohibeantur descendere: ergo similiter, &c. Tum à priori. Quia duplex est in causis exigentia ad operationem. Alia, quam solus Deus miraculosè potest irritare. Vt quando ignis applicatus passo ritè disposito ad combustionem exigit illud comburere. Alia, quam causa secunda potentior exigente frustrare potest. Talis est exigentia, quam habet corpus graue supra existens ad descendendum in centrum. Eam enim irritare potest agens crea-

tum, cuius vires fortiores sunt ad detinendum ipsum, quàm pondus grauitatis, vt descendat. Atqui, non requiritur ad violentiam irritare priorem inclinationem: sed sufficit irritatare posteriorem, vt patet in exemplo corporis grauis patientis violentiam. Deinde, posterior ea inclinatio irritatur in casû nostro: si quando nanque facultates operatiuæ destinatæ ad exequendum voluntatis imperium exigunt operari, & propterea à causis secundis non impediri, nunquam sanè potiori iure, quàm voluntate efficaciter ex parte suâ præcipiente operationem. Tunc igitur habent posteriorem exigentiam, quæ, cum non sortiatur effectum, irritatur, & consequenter datur, quod sufficit ad patiendam vim.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De mixtura voluntarij, & inuoluntarij in operationibus, quæ fiunt ex metu.

EGIMVS de voluntario, & inuoluntario purè sumptis. Agendum superest, quâ ratione permisceri possint. Quoniam autem amor, & timor præcipui sunt cardines, quibus humana vertitur voluntas, discutiemus in hâc disput. quomodo actiones, ad quas ex timore mouetur, misceant, aut non misceant aliquid inuoluntarij cum voluntario: idemque disp. seq. expendemus de actionibus, quæ fiunt ex amore, vel concupiscentiâ.

CAP. I.

An quæ fiunt ex metu sint voluntaria simpliciter, an inuoluntaria?

Aristo. 1 NOto primò. Metus, teste Arist. *lib. 2. Rhetor. cap. 5.* *est molestia quadam, & perturbatio ex phantasia futuri mali, vel idonei ad interimendum, vel molesti.* Id ipsum

collis

colligitur ex iure communi *lib. 1. ff. de eo, quod metus causa.* Deinde S. Thom. 1.2.q.41.*art. 2. in corp.* sentit, metum esse passionem animi *circa malum futurum difficile, cui resisti non potest:* nempè, quòd non possumus facile vitare. Non enim terrent mala, quæ facilè declinare valemus: sicut neque mala omnia, quæ opinamur futura; sed quæ non valdè longè, vt obseruat Philos. loco cit. Quapropter, ex non minus exitiali, quàm cõmuni deceptione mortem apprehendẽdi, vt longissimè distantem, ortum frequenter trahit, vel nullum esse, vel leuem tanti mali timorem. Et sane, vt obseruant P. Salas 1.2. *disp. 2. num. 41.* & P. Baldel. *lib. 1. de act. human. disp. 15. n. 4.* metus non solum habet locum ratione appetitûs sensitiui in creaturis intellectualibus sensitiuis; sed etiam in pure intellectualibus v.g. in Angelis, qui prohibitam operationem exercentes, metuerent malum à Deo, quod Deus ipsis comminatur, si talem operationem exerceant: quanuis hic timor, & noster differerent, quòd ille accideret citra passionem organi corporalis; secus noster, vt obseruat *D. Thom.* 1.2.q.22. *art. 3. ad 3. & quæst. 41. art. 1. in corp.* *Salas* *Baldel.*

2 Noto *secundò*. Aliud est fieri *per* metum, vel *ex* metû. Aliud *cum* metu. Fieri *per* metum, vel *ex* metû importat sic fieri, vt metus causet actionem, quæ fit. Vt si metus mortis causa sit tradendi pecunias latroni, qui vias infestat. Fieri *cum* metu dicit præcisè metum comitari; non verò causare actionem, quæ exercetur: vt si gehennam extimescens obserues præcepta; ita tamen, vt obseruandi causa non sit talis timor; sed purissimè, ac sincerissimè virtutis honestas. Disputamus ergo cum reliquis Theoll. de voluntario, & inuoluntario actionum, quæ fiunt *ex* metu; non de illis, quæ fiunt præcise *cum* metû. ¶ Noto *tertiò* voculam *simpliciter* diuersos sensus subire; qui discernendi sunt cum P. Arriaga hic *Disp. 11. n. 3.* Ildephonso Bap. *Disp. 91. n. 142.* & communiter cum alijs. *Primò* idem sonat *simpliciter*; ac purè secundùm se præscindendo à coniunctione, vel commistione cum extrinsecis, & accessorijs: qua ratione homo simpliciter acceptus, id est, purè secundùm se est animal rationale. *Secundò*. Tale *simpliciter* idem significat ac *purè* tale: scilicet tale citra mixtionem omnem oppositi. In hoc sensû Deus dicitur simpliciter perfectus, quatenùs omnem mixturam imperfectionis excludit. *Tertiò*. Tale simpliciter dicitur illud, de quo verificatur tale prædi- *Arriag.* *Baptista*

catum longè potiori ratione, quàm oppositum. Sic Æthiops est niger simpliciter, quia cum niger sit secundùm totum corpus; & tantum secundùm dentes albus, longè potiori ratione de illo verificatur nigredo, quam albedo. Quibus notatis.

3 Assero primò. Actiones, quæ fiunt ex metû, solent esse inuoluntariæ simpliciter, accepta voce *simpliciter* in primo sensû. Clarius dices. Solent esse inuoluntariæ spectatæ ex parte obiecti secundùm se præcisim ab alijs adiunctis. Hanc assertionem tenet expresse Arist. 3. *Ethic. cap.* 1. vbi agens de his, quæ metû fiunt, v.g. de abiectione, per quam aliquis suas fortunas deserit, sic ait. *Nemo enim sponte ABSOLVTE sua abijcit, sed ob salutem tum suam, tum aliorum omnes, modo mentis compotes sint.* At, si dicat. Nulli placet suorum bonorum abiectio spectata secundùm se absolutè citra respectum ad alia extrinseca: v.g. ad propriam, vel alienam salutem, quãuis sint, quibus ea placeat abiectio spectata; vt necessaria, vel vtilis ad propriam; vel alienam salutem. Rursus inferius agens de his addit; sub terminis nostræ conclusionis: *Spontanea igitur huiusmodi sunt, SIMPLICITER verò inuita quippè cum tale quippiam PER SE eligat nemo.* Præterea D. Thom. quo nullus exactius Philosophi mentem comprehendit, in explicatione præcit. cap. 1. lect. 1. intelligit Philosophum iuxta sensum traditum. A quibus Philosophiæ, Theologiæque Principibus, nullus, quem viderim, discrepat, & cũ illis ferè omnes expresè conueniunt.

Aristo.

D. Tho.

4 Ratio est facilis. Nam actiones, quæ fiunt ex metu solent secundùm se spectatæ præcisiuè ab alijs adiunctis displicere, quanuis in ordine ad alia extrinseca, nempè, vt euitẽtur maiora mala, eligantur. At, secundùm se, & in ea præcisione inuoluntarias esse, stat in eo, quòd ita spectatæ displiceant: ergo inuoluntariæ esse solent ita spectatæ secundùm se. Dixi *solent*: quia nõ apparet repugnãs, quòd secundũ se spectatæ, neq; displiceant, neq; placeant: & sicut nõ placẽtes secũdũ se, nõ euaderent secundũ se voluntariæ; ita nõ displicentes secũdùm se, nõ euadẽt secũdũ se inuoluntariæ. ¶ Assero secundò. Spectatæ secundùm se præcisè, solent esse inuoluntariæ simpliciter in secundo sensû. Clarius dices. Ita spectatæ solent esse pure inuoluntariæ, sine vllâ mixturâ voluntarij. Ratio est. Quia sub eâ ratione, sub quâ sic aliquid displicet, vt nullo modo sub eâ ratione placeat, est sub eâ ratione purè inuolun-

uoluntarium sine vllâ mixturâ voluntarii. At, frequentissimè contingit, vt abiectio propriarum fortunarum citra ordinem ad euitandum maius malum sic displiceat, vt citra talem ordinem nullatenùs placeat: ergo tales actiones, prout acceptæ secundùm se, per se, simpliciter, & absolutè (vt terminos omnes Philosophi, & D. Thom. complectar) citra ordinem ad euitandum maius malum, solent esse purè inuoluntariæ sine vllâ mixturâ voluntarij.

5 Assero tertiò. Actiones factæ ex metû, si spectentur secundùm circunstantias singulares hîc, & nunc occurrentes, sunt voluntariæ simplicitèr, acceptâ voce *simplicitèr* in tertio sensû. Clarius dices. De prædictis actionibus, omnibus pensatis, longè potiori ratione verificatur esse voluntarias, quàm esse inuoluntarias. Hanc assertionem tenent Aristoteles *in Ethicis loc. cit.* D. Thom. 1. 2. *quæst. 6. art. 6.* S. Gregorius Nisenus *lib. 5. Philosophiæ cap.* 1. S. Damascenus *lib. 2. de Fide cap.* 24. cum quibus omnes Theologi, quos proinde nominatim recensere prolixum esset. Ratio est. Quia de illo potiori longè ratione verificatur esse voluntarium, quam esse inuoluntarium, quod voluntarium est, quatenùs à voluntate procedẽs per absolutam, & efficacem electionem ipsiûs; inuoluntarium autèm, vel nullo modo; vel præcisè, quatenûs per simplicem, & inefficacem nolleitatem displicens. At, actiones, quæ absolutè, & efficacitèr eliguntur à voluntate ad euitandum malum imminens, ac terrens, voluntariæ sunt titulo procedendi à voluntate efficacitèr, & absolutè electæ, vt patet; inuoluntariæ autem, vel nullo modo; vel, quia per simplicem, & inefficacem nolleitatem displicent, cum alia ratio inuoluntarij nõ sit cum eo componibilis, quòd absolutè, & efficacitèr eligantur: ergo de prædictis actionibus, si pensentur omnia, longe potiori ratione verificatur esse voluntarias, quàm esse inuoluntarias. Mitto rationes alias. Tùm, quia res est clara. Tum, quia sunt, vel inefficaces, vel obscuræ, nisi ad propositam reducantur.

Aristo. D. Tho. Nisen. Damas.

6 Sed enim, quia discipuli suauiùs imbuentur veritatibus huic doctrinæ adnexis, eisdem simplici propositione traditis, breuiterque probatis, quàm argumentorum strepitû quassati, & quia simplici talium veritatum intelligentiâ facilè quilibet argumenta diluet, operæ pretium duximus primo modo nos gerere. Ex dictis igitur. *Primò* scies vt quandam æquiuocationem præcidas, præter vsurpationes assignatas, in quibus

acci-

accipitur vox *simplicitèr*, accipi etiam vt contraponitur his terminis: *ex suppositione contingenti.* Sic Petrus est *simpliciter* animal rationale; non autem purè *ex suppositione contingenti.* Nam, ad verificandum de Petro tale prædicatum, necesse non est, vt vltra essentiam Petri ponatur aliquid aliud contingens Petro. Cæterum, ipse Petrus est peccator ex suppositione contingente. Nam ad verificandum de Petro prædicatum peccatoris, necesse est, vt vltra essentiam Petri ponatur peccatum contingens Petro: Quod in hoc sensû conuenit subiecto *simplicitèr*, dicitur potiori ratione verificari de illo, quàm, quod illi conuenit ex suppositione contingente: non quia diminutiùs hoc illi conueniat; & illud plenius: quippè tàm est peccator ratione peccati, quàm animal rationale ratione suæ essentiæ; sed quoniam illud, quod in acceptione dictâ conuenit ei simpliciter, sic verificatur de illo, vt non possit non verificari; illud vero, quod illi conuenit ex suppositione contingente, sic de illo verificatur, vt possit non verificari.

7 Hinc fit, nihil obstare, quòd hæc omnia, in quibus includuntur assertiones nostræ, sint simul vera: *Actio facta ex metu simpliciter per se accepta est inuoluntaria; ex suppositione vero quòd omnia spectentur, est voluntaria; & quidem ita, vt potiori ratione de illa verificetur esse voluntariam, quàm esse inuoluntariam.* Cuius rei, non obstantibus proximè dictis *n.6.* duplex est ratio, *Prima.* Nam quando dicimus, actionem factã ex metû per se simpliciter acceptam esse inuoluntariam, sensus est, displicentiam sequi circa illam ad consideratione illiûs attingentem ipsam secundùm se præcisiue à circumstantijs adiunctis; non autem sensus est, illi essentialiter, & independentèr ab omni suppositione contingente conuenire prædicatum inuoluntariæ. Nam hoc prædicatum non aliter ipsi reuerà competit, quàm ex supositione, quòd per eam considerationem præcisiuam spectetur, atque ad eam considerationem prædicta displicentia sequatur. Hæc autem suppositio contingens, & accessoria est essentiæ talis actionis, vt patet. Quocirca, tametsi potiori ratione verificentur de subiecto, quæ sic simpliciter ipsi conueniunt, vt independenter à suppositione contingente conueniant, non inde fiet, prædictæ actioni potiori ratione conuenire, omnibus inspectis; prædicatum inuoluntariæ, quàm voluntariæ: quippè non conuenit ipsi simpli-

pliciter prædicatum inuolũtariæ sumpto *simpliciter pro essentialiter indepedenter à suppositione contingente.*

8 *Secunda ratio* est. Quia tametsi daremus prædictis actionibus competere essentialiter, & independenter à suppositione contingente rationem inuoluntarij; at verò ex suppositione contingente rationem voluntarij; posset cum his constare, pleniorem, & completiorem esse rationem volũtarij competentem ex suppositione contingente, quàm rationem inuoluntarij competentem essentialiter: quapropter in hoc sensũ, qui est sensus tertiæ assertionis, potiori longè ratione verificaretur de his actionibus ratio voluntarij, quàm inuoluntarij, quanuis aliud esset in alio sensũ, quem iam attigimus *num. 6.* Assumpti ratio est. Nam, in casu gratis permisso, inuoluntarium, quod competeret eis actionibus consisteret in terminando simplicẽ, & inefficacem displicentiam; voluntarium autem, quod illis contingenter competeret, staret in procedendo à voluntate per absolutam, & efficacem electionem. At, hoc posterius plenius, & completius est in ratione voluntarij, quàm illud prius in ratione inuoluntarij: ergo, etiam in casu dato, potiori ratione competeret eis actionibus prædicatum voluntarij, quàm inuoluntarij.

9 Sic, licet demus essentiale esse cuique creaturæ, propter innumeras, quibus scatet imperfectiones, terminare simplicem, & inefficacem displicentiam Dei (quanuis non strictè auersiuam) de quo *tract. de Volunt. Dei disp. 13.* profectò creaturæ absolutè, & efficaciter decretæ à Deo sunt plenius voluntariæ Deo, quàm inuoluntariæ, quanuis sic decerni non sit ipsis essentiale; sed contingens. Sic, quia peccatum mortale constituit creaturam rationalem longè odibiliorem Deo, quã ipsam constituat amabilem propria entitas, & bonitas transcendentalis; certè, qui est in statũ peccati mortalis, longe potiori ratione est Deo odibilis, quàm amabilis; tametsi odibilitas proueniat ex peccato, quod creaturæ contingens, & accessorium est; illa verò amabilitas, siue tunc dicatur proxima, & expedita; siue præcisè radicalis, & impedita, de quo nunc non curo, proueniat ex bonitate transcendentali, quæ creaturæ est essentialis. Quibus conuellitur radicitùs contra cõcordiam nostrarum assertionum æquiuocatio, quæ minimè latuit D. Thom. 1. 2. q. 6 *art. 6. in propos. & solut. tertij.*

10 *Secundò* scies, quo pacto concilianda sunt duo testimo-

monia S. Thom. quæ primo aspectu videntur contradicentia? Alterum ex hac 1.2.q.6.art.6.*in corpore*, vbi agens de illis, quæ fiunt ex metû, ait. *Sed, si quis rectè consideret, magis sunt huiusmodi voluntaria, quàm inuoluntaria: sunt enim voluntaria simpliciter, inuoluntaria autem secundùm quid.* Alterum ex 2.2.*quæst.*142.*art.*3.*in corpore*; vbi sic habet: *Ea, quæ per timorem fiunt, principium habent ab exteriori impellente: vnde non sunt simplicitèr voluntaria, sed mixta.* Ecce dicit in hoc loco: *non esse simplicitèr voluntaria*: in priori vero dixerat: *esse simplicitèr voluntaria*, quæ sunt contradictoria. Sed facilis est concordia, & apud Autores obuia. Nam vox *simplicitèr* accipitur alitèr, & alitèr in his testimonijs. In primo pro *longè potiori ratione*. In secundò pro *purè*, prout contraponitur *mistè*. Non est autem contradictio dicere: *Quæ fiunt ex metù sunt longè potiori ratione volūtaria, quā inuolūtaria; nō autē, ita purè puteque voluntaria, vt nihil inuoluntarij misceant.*

D.Tho. 11 *Tertiò* scies, quo pacto concilianda sint duo alia testimonia S. Thom. in eisdem locis. Nam 1.2.*quæst.*6.*art.*6.*in corp.* eâ ratione probat esse simplicitèr voluntaria, quæ fiunt ex metû: quia licèt non sint voluntaria secundùm se, in vniuersum, & præcisiuè à singularibus circumstantijs hîc, & nunc occurentibus; voluntaria tamen sunt secundùm quod sunt in actu sub suis conditionibus indiuidualibus. At, ex alia parte 2.2.q.142.*art.*3.*in corp.* conferens illa, quæ fiunt ex intemperantiâ cum ijs, quæ fiunt ex timiditate ait ea, quæ fiunt ex timiditate in singulari accepta esse minus voluntaria; & magis voluntaria in communi. Si igitur Angelicus Præceptor ait in 2.2. quòd ea, quæ sunt ex metû sunt voluntaria in communi; & magis quidem voluntaria quàm in singulari; quomodo prius dixit in 1.2. quòd in communi sunt inuoluntaria; in singulari vero voluntaria; ideoque voluntarium, quod habent, excedere inuoluntarium, quod miscent? Præoculis habeantur verba D.Thom. ex 2.2. tum quia pulcherrima sunt, tum quia si legantur attente, non erit difficilis conciliatio, quàm intendimus. Verba sunt. *Alio modo, quia ea, quæ sunt intemperati, sunt magis voluntaria in particulari, minùs autem voluntaria in vniuersali. Nullus enim vellet intemperatus esse: allicitur tamen homo à singularibus delectationibus, quæ intemperatū faciunt hominem. Propter quod ad vitandum intemperantiam maximum remedium est, vt non immoretur homo circa singularium*

tarium considerationem: sed in his, quæ pertinent ad timiditatem, est è conuerso. Nam singularia, quæ imminent, sunt minus voluntaria, vt abijcere clypeum, & alia huiusmodi. Sed ipsum commune est magis voluntariū, puta, fugiendo saluari. Deindè in solut. ad 3. repetit, quòd ea, quæ pertinent ad timiditatē sunt *magis* voluntaria secundùm considerationem vniuersalem; *minus* autem secundum particularem.

12 At, istorum concordia, in quâ non pauci laborant, non videtur mihi difficilis. Duo igitur dico. *Primum est.* Quæ retulimus ex 2.2. minimè pugnant cum his, quæ 1.2. prædixerat S. Doctor. *Secundum est.* Quæ retulimus ex 2.2. non enernant rationem, quam 1.2. tradidit S. Doctor pro voluntario simpliciter dicto actionum, quę fiunt ex metu. Ad comprobationem prioris distinguendum est *ipsum commune*, ad quod deseruit metus, aut timiditas; & actio facta ex metu præcisiuè à conditionibus singularibus, quibus hic, & nunc redditur necessaria ad euitandum maius malum. Ipsum commune, ad quod deseruit metus, vel, quod in idem recidit, id ad quod deseruit metus acceptus in communi, est euitare malum impendens, vel, vt loquitur D. Th. *fugiendo saluari*: & hoc voluntarium est; non inuoluntarium: quia nulli est ingratum, ac displicens; sed gratum, & placens hoc obiectum in communi acceptum * Malum impendens euitare: fugiendo saluari * Huius oppositum contingit in intemperantia. Nam ipsum commune, ad quod conducit intemperantia, est hoc obiectum abstractè sumptum * Intemperatum esse * Hoc autem sic abstractè acceptum nulli est gratum; sed displicens. *Nullus enim vellet*, ait Thomas, *intemperatus esse.* At verò tristis illa, & incommoda actio, quæ per metum exercetur ad euitandum aliud malum: v. g. abiectio fortunarum ad euitandam mortem, sanè inuoluntaria, displicens, & ingrata est, si spectetur secundùm se præcisiuè à conditionibus singularibus, ex quibus necessaria redditur ad euitationem mortis. Ex quibus patet, quæ in 1. 2. dicuntur de hac actione, spectatâ in dicta præcisione, non pugnare cum his, quæ in 2. 2. dicuntur de *ipso communi*, ad quod deseruit metus. Nullaten⁹ enim pugnant interse, actionem *per se* iniucundam, & incommodam non placere; sed displicere præcisiuè à necessitate, & vtilitate illius ad euitandum aliud malum; & tamèn non displicere; sed placere hanc rationē cōmunem: *fugiendo saluari.*

Prop-

13 Praeterea non pugnant inter se, quae dicit D. Th. in 2. 2. de singularibus actionibus timentis relatè ad singulares actiones intemperati, cum his, quae dicit in 1. 2. de actionibus factis ex metû. Ratio est manifesta. Nam, quod loco cit. 2. 2. dicit, quoad hoc praecise punctum, non est aliud, quàm actionem singularem molestam, quae per metum fit esse in singulari acceptam minus voluntariam, quàm actionem illam singularem iucundam in singulari acceptam, quae per intemperantiam exercetur. V. g. abijcere clypeum, quod fit ad euitandam mortem, quam times, exercetur renitente animo: quippe vides, quòd inde aliquam dedecoris notam subibis. At fornicatio, quam in singulari exerces, prolectante voluptatis illecebrâ, non fit animo reluctante; proindeque minus voluntariè fit actio singularis, quae per metum; quàm illa, quae per intemperantiam exercetur. Quod autem ait loco cit. ex 1. 2. non est aliud, quàm actionem actualitèr exercitam ex metû esse longè potiori ratione voluntariam per ordinem ad volitionem absolutam, per quam omnibus inspectis mandatur executioni, quàm ipsammet esse inuoluntariam per ordinem ad displicentiam simplicem; per quam displicet spectata secundùm se. Patet autem, optimè componi actionem factam ex metû esse minus voluntariam comparatiuè ad actionem factam per intemperantiam; & tamen ipsam actionem ex metû factam respectiuè ad modum, quo voluntas ipsam amplectitur, & ad modum, quo voluntas ipsam refugit, ita se habere, vt ex priori radice sit longè potiori ratione voluntaria; quàm inuoluntaria ex posteriori. Nullatenus ergo pugnant, quae ex 2. 2. citantur cum dictis in 1. 2.

14 Denique. Relata ex 2. 2. non eneruant rationem, quã tradidit S. Doctor. 1. 2. pro volũtario simpliciter dicto actionum, quae fiunt ex metû: nempè pro eo, quòd tales actiones multo potiori iure sunt voluntariae; quàm inuoluntariae. Nam, quae circa metum referuntur ex 2. 2. non aliud significant, quàm commune, quod spectatur à metû, nempè *fugiendo malum saluari*, esse placens; non displicens; item singularem actionem molestam, quae ad vitandum aliud malum eligitur ex metû, nõ esse simplicitèr, id est purè putéque volũtariã; sed partim voluntariã, partimq; inuolũtariã: ac deniq; minus esse volũtariã, nõ quidẽ quã inuolũtariã; sed quã sit volũtaria singularis actio, quae exercetur per intemperãtiam. At, haec o-

nia seorsim, ac simul accepta in suo prorsus vigore retinent, quòd actiones factæ ex metu sunt multo potiori iure voluntariæ, quàm inuoluntariæ: eo quòd voluntarium ipsarum sumatur ex absolutâ ipsarum volitione, quæ eisdem executiuè actualitatem, omnibus inspectis, exhibet; involuntarium autèm ex simplici & inefficaci displicentiâ voluntatis auersantis eas actiones secundùm se spectatas, quæ est ratio D. Th. ex 1.2. Hæc igitur ratio in suo robore manet, non obstantibus allatis ex 1.2. Hæc forsan est interpretatio, quam doctissimi alij Autores meditati sunt. An vero satis expedite tradiderint, aliorum iudicium esto. Mihi sanè, gratius semper erit doctiorum vestigia premere.

CAP. II.

Idem institutum prosequimur.

15 TErtiò scies. Actiones factæ ex metû sufficiens voluntarium habent ad peccatum mortale. Nam, vbi actio grauiter offensiua Dei eligitur efficacitèr cum libertate inuoluente plenam deliberationem ad electionem, & omissionem electionis, non deest voluntarium sufficiens ad peccatum mortale. Metus autèm relinquit prædictam libertatem inuoluentem plenam deliberationem, vt constat. Quod si, metus tantam animi perturbationem afferat, vt impediat iudicium rationis deliberantis de malitiâ actionis, ad cuius exercitium metus incutitur; tunc talis actio expers erit voluntariò sufficiente ad culpam; non tamèn immediatè ex metû; sed ex defectû libertatis requisitæ ad pecandum. Vnde scies *quartò*, metum impellentem ad actionem prauam (loquor iam semper de metû relinquente plenam considerationem malitiæ) tametsi non omninò culpam eius actionis impediat; minuere tamèn magis, vel minus pro maiori vehementia impellendi. Ratio est: quia diminutio libertatis, id est indifferentiæ electiuæ ad omissionem actionis culpabilis, connexa est cum diminutione malitiæ, quæ potest eam actionem contaminare. Metus autèm incussus ad exercitium actionis prauæ, pro maiori, vel minori, quâ vrget acrimoniâ, talem libertatem imminuit. Vtque plerique rectè obseruant, hæc diminutio

nutio proueniens præcisè ex metu nunquam est tanta, vt sufficiat transferre ad malitiam venialem actionem illam, quæ alioquin læthali turparetur malitiâ. Quia necessariò, & essentialitèr est grauiter malum, quod animus ita se in præceps agat, vt omittere potens actionem, quam plenè considerat, vt grauem offensam Dei, tamèn ipsam eligat.

16 Scies *quintò*. Hæc malitiæ diminutio proueniens præcisè ex metu, non tam petenda est ex eo, quòd diminuatur voluntarium in genere, præscindendo ab eo quod minuatur voluntariū in specie, nempè voluntarium liberū, quàm ex eo quòd minuatur voluntarium liberum. Nam ex eo, quód metu mortis v,g. compellaris ad negationem fidei, si præscindamus à diminutione libertatis, non est vnde minuatur prædicatum voluntarij genericum residens in eâ negatione fidei. Nam, quemadmodum hoc prædicatum genericum non minuitur, eo præcise quòd extrinsecus suasor rationes ingerat, quibus ad negandam fidem alliciat; ita non minuitur tale prædicatum, eo præcise quòd extrinsecus intentus inijciat minas, quibus eandem negationem extorquere nititur. Et ratio est: quia non quodlibet extrinsecum conferens ad exercitium actionis, vel omninò euertit, vel ex parte minuit prædicatum genericum voluntarij, quod alioquin prædictæ actioni competeret; sed extrinsecum illud, quod præstat, vt intrinseca voluntatis inclinatio ad bonum sectandum, & malum fugiendum; vel nullatenus eam actionem eligat; vel eligat impetu minori. Metus autem id non præstat, potius, plerunque loquendo, cæteris paribus, maiori impetu actiones eligimus propter illarum necessitatem ad tristia declinanda, quam ex ipsarum vtilitate, vt iucunditatem pariant: maximè, cum obseruet, acute satis, vt solet P. Sfortia Pallauic. 1. 2. disp. 4. quæst. 1. art. 3. n. 1. vers. *Et hoc modo*, quód acrius natura auersatur malum, quam optet bonum: vnde magis mouent pœnæ, quàm præmia: quia magis est ad fœlicitatem necessarium nouis cruciatibus non vexari, quàm nouis commoditatibus gaudere.

17 Ex quibus. *Sextò* scies: sæpè est peccatum mortale actiones aliquas, vel omissiones aliquas exercere; etiam grauis mali metû incusso. Sæpè etiam huiusmodi incusso metû, peccatum mortale non est actiones aliquas, vel omissiones ali-

aliquas exercere. Cæterùm, non ex eo petendum est discrimen, quòd tales actiones, vel omissiones magis voluntariæ sint in altero, quàm in altero casu; sed ex eo, quòd in altero potiùs, quàm in altero casu ipsa metus incussio est circunstantia superueniens, quæ præstat, vt præceptum non vrgeat, quod alioquin vrgeret. Explicantur singillatim tres partes huius obseruationis. Prima pars constat primò in actionibus perpetratis ex metu grauis mali contra præcepta naturalia negatiua. Si enim ex metu grauis mali vel odio habeas Deum, vel testem falsitatis appelles; vel cum alienâ carnaliter commisceearis & mortalem culpam citra dubium contrahis. Tales enim actiones tàm intimè annexam habent læthalem malitiam, vt metus cuiusque mali, quantumlibet grauis, insufficiens sit ad exercitium ipsarum sine tali malitiâ. Constat idem secundo in omissionibus, vt si omittas profiteri fidem catholicam, silentium tibi indicente tyranno, minisque mortis iniectis, si profitearis. Remittendi sunt ad proprium sedem casus alij, in quibus vrget obligatio, vel operandi, vel omittendi, quanuis ex operatione, vel omissione timeatur graue malum.

18 Secunda pars constat: quia, metû mortis ingruente, neque est peccatum mortale communicare cum excommunicato, dieque sacro labori seruili incumbere; neque est peccatum mortale tali die rei diuinæ non adesse, non succurrere indigenti extremè, non reddere depositum ensem in tuam, vel aliorum perniciem vsuro, & innumera alia; de quibus Theologi tractat. de legibus, & sæpè alibi. Quia licèt, eo metû non instante, præcepta vrgerent, vt exercitium prædictarum actionum omitteretur, vel actiones ex metû omissæ exercerentur; tamen legislator noluit, vel non habuit iurisdictionem, vt suarum legum obligatio premeret in circumstantiâ grauis mali terrentis, quod rationabilitèr iudicatur futurum talibus, vel talibus actionibus exercitis, vel omissis. Hæc satis ad præsentem locum. Nam aliò spectat ea specialius versare. Ex quibus tertia pars est plana. Si enim timor mortis impellit ad negationem fidei; & etiam impellit paritèr ad communicandum cum excommunicato; sanè in vtroque casu, relictâ libertate simplicitèr ad omittendam negationem fidei, & ad omittendam

tendam prædictam communicationem, minuitur aliquatenus libertas; ac proinde, vtrobique est æqualitas ex parte voluntarij liberi: ergo ex hac parte non est petenda disparitas peccandi in alio casu, & non in alio; sed quia timor mortis in occurentiâ negandi fidem non est circumstantia impediens obligationem vrgentem non negandi; secus autem in occurrentia communicandi cum excommunicato.

19 Scies *septimò*. Contractus ex metû graui celebrati non sunt inualidi iure naturæ, ex eo quòd metus grauis tollat voluntarium sufficiens ad valorem contrahendi. Ratio est. Nam quatenus est ex parte voluntarij sufficit iure naturæ ad valorem contractus consensus liber exercitus cum plenâ deliberatione. At, metus grauis non pugnat cum consensu sic exercito, vt diximus: ergo neque cum voluntario requisito iure naturæ ad valorem contractûs. Confirmatur primò. Non est credibile, plenius requiri voluntarium iure naturæ ad contrahendum, quàm ad peccandum mortalitèr. At; metus grauis relinquit voluntarium sufficientèr plenum ad peccandum mortalitèr: ergo etiam sufficientèr plenum ad contrahendum. Confirmatur secundò. Tam minuitur libertas metu graui iustè incusso, quàm incusso iniustè, si præter iustitiam, & iniustitiam incussionis, cætera sint paria. Atqui, certum est, metum iuste incussum relinquere voluntarium, & liberum sufficienter plenum ad contrahendum validè, vt patet in matrimonio, quod quis cum meretrice celebrat, metuens alioquin suspendi: ergo pariter metus iniuste incussus. Hæc doctrina communiter recipitur ab Autoribus *tract. de Contractibus*.

20 Iure tamen positiuo sunt aliqui contractus irriti ipso facto; alij verò saltem irritandi: non quidem, quia deficiat plenitudo voluntarij, & liberi, quæ vniuersaliter requiritur ad valorem contractus; sed alijs iustis de causis, propter quas expediens fuit irritare, vel irritabiles relinquere contractus, ad quos extorquendos fuit iniustè incussus metus grauis: quo in sensû loquimur cum communi Doctorum, quos suo loco adducemus. Videatur nunc, si placet, P. Valentia 3. p. quæst. 10. art. 3. puncto 2. Item 2. 2. disp. 6. quæst. 6. punct. 4. §. 2. Prima pars constat primò in contractû matrimonij

irrito

irrito iure positiuo, si fiat ex metû graui iniustè incusso ad celebrationem ipsius. cap. *veniens*, cap. *cum locum*, & cap. *Consultationum*, de Sponsalibus. Et Canon. *Nuptis*: & Can. *liberum* 31. q. 2. & text. in cap. *significauit* de eo qui duxit in matrimonium. Constat secundo in voto solemni (idem aliqui extendunt ad votum simplex) Deciditur cap. 1. de his, quæ vi, metûsve causâ fiunt. & cap. *Perlatum* eodem titulo, capit. *cum locum*, de sponsalibus, Canone *notificatio* 35. quæst. 5.

21 Et quidèm, vt P. Sfortia, *num.* 16. laudatus, rèctè obseruat *suprà art. 2. num.* 4. oportuit, vt ipso facto sint irriti contractus illi ex metû graui iniustè incusso facti, qui, si à principio sint validi, non possunt posteà irritari: cuiusmodi sunt matrimonium, & professio in religione. Si enim irriti non essent ipsò facto, cogeretur iniuriam passus stare contractui per iniuriam extorto. Denium, secunda pars de contractibus illis rescindendis, qui per metum iniustè incussum celebrati fuerunt, patet ex titulo de his, quæ vi, metûsve causâ fiunt, & ex pluribus capp. vtriusque Iuris Canonici, & Ciuilis. ¶ Ex dictis explicandum est caput *cum locum de Sponsalibus*, vbi dicitur matrimonium metû contractum esse nullum: quia non habet locum consensus, vbi metus, vel coactio intercedit. Vt enim patet ex dictis, nequit esse sensus, quòd nullus consensus locum habeat: quaproptèr sensus est, non habere locum consensum ita firmum, qui sufficiat parere obligationem irreuocabilem ab ipso consentiente. Qui nanque iniurioso metû coactus est ad consentiendum, potest, vt iniuriam repellat, & ad pristinum indemnitatis statum se reducat, obligationem abijcere inductam à consensû.

CAP. III.

De inuoluntario secundum quid *eorum, quæ fiunt ex metu.*

22 ARistot. 3. Ethic. cap. 1. sic loquitur de actionibus, quæ fiunt ex metû. *Mistæ igitur huiusmodi actiones cum* *Aristo.*

cum sint; spontaneis tamen magis sunt similes; &c. Vnde D. D.Tho. Thom. 1.2.quæst.6. art.6. in corp. sæpeque alibi: *Si quis recte consideret, magis sunt huiusmodi voluntaria, quàm inuoluntaria: sunt enim voluntaria simpliciter; inuoluntaria autem secundum quid.* Postquam igitur exposuimus voluntarium simpliciter, quod competit actionibus ex metu factis, exponendum superest inuoluntarium secundum quid. Indeque colligemus id, quod nondum definiuimus; scilicet, an quandoque sint simpliciter voluntariæ actiones, quæ fiunt ex metu, illo termino *simpliciter* sic accepto, vt idem valeat, ac *purè, & omnino*: nempe, an interdum sint purè voluntariæ citra omnem mixtionem inuoluntarij?

23 Præmitto *primò*. Benè stat fieri actionem aliquam ex metu, & non esse inuoluntariam, adhuc secundum quid. Tum, quia iuxta communem Theologorum sententiam, benè stat obseruationem legis exerceri sine vllâ mixturâ inuoluntarij; & tamen exerceri ex timore pœnarum inferni. Tum, quia ex metu amittendi vitam potest quis comedere cibos sibi gratissimos, nulla ratione sibi displicente tali comestione; quæ proinde nullatenus erit inuoluntaria. Tum, quia prædictam comestionem eligi ex timore amittendi vitam, neque constituit ipsam molestiorem, quàm si præcisè fieret propter delectationem, quam affert; neque arguit apparere in illâ nouum motiuum displicendi; sed præcisè arguit, quod apparet vtilis, vel etiam necessaria ad conseruationem vitæ. At, si non eligeretur ex metu, posset esse tam nihil molesta, vt nullatenus esset displicens, & inuoluntaria: ergo similiter electa ex metu. Vnde à priori. Nam, vt vidimus disp. præced. & iterù attingemus postea, vt actio sit inuoluntaria secundum quid, necesse est, quòd ita exerceatur, vt voluntas aliquo affectu, saltem simplici, & inefficaci, resistat exercitio ipsius. At, potest actio exerceri ad declinandum malum, quod terret; aliúdeque sic exerceri, vt nullatenus voluntas eius exercitio resistat; vel quia non apparet molesta; vel quia apparet tam parum molesta, vt non determinet voluntatem ad displicentiam ipsius; sed potius voluntas eam displicentiam suspendat: ergo benè stat fieri actionem aliquam ex metu; & neque secundum quid esse inuoluntariam. Hinc.

24 *Secundò* præmitto. Benè stat, non esse aliud motiuum

tiuum exercendi aliquam actionem, quàm euitare malum, quod terret; & tamen eam actionem neque secundum quid esse inuoluntariam. Hoc præmissum est contra nonnullos ex Recent. Thomistis, qui hanc assignant regulam ad dignoscendum, quandonam actiones ex metu factæ sint inuoluntariæ secundùm quid; tunc scilicet, quando non exercentur ex alio motiuo, quàm ad declinandum malum intentatum. Legantur Ioannes à S. Thom. 1. 2. *quæst. 6. disput. 4. art. 2. verss. Resp. Multos.* Clarius Gregorius Martinez *ibi* §. *Ad secundum argument.* in quarta solut. Cornejo *ibi disp. 3. dub. 1.* § *Respondetur. Nego consequentiam.* Serra *ibi* vers. *Ad 2. respondetur.* Sed nostram propositionem expresse tuentur Eximius Doctor *disput. 3. sect. 2. num. 4.* P. Vazquez *disp. 27. cap. 1. num. 4.* quos sequuntur P. Salas *disput. 3. sect. 2. num. 39.* P. Arriaga *disput. 11. sect. 3. num. 10.* Baptista *disp. 90. Fragm. 5. num. 99.* Ratio à posteriori est: quia potest quis obseruare mandata omnino voluntariè; & tamen præcisè ex motiuo euitandi pœnas inferni, quæ terrent. Hæc tamen ratio sumit totam vim ex ratione à priori. Ea est, quam in simili dedimus *num. 23.* Vt enim actio sit inuoluntaria secundùmquid, requiritur voluntatem suo actu resistere aliqualiter ipsius exercitio: potestque citra omnem eiusmodi resistentiam exerceri præcisè ad euitandum malum terrens; vel quia nullatenus apprehenditur molesta; vel quia non ita molesta, vt necessariò rapiat voluntatem ad displicentiam erga ipsam. Vnde poterit voluntas ex vnâ parte omnem huiusmodi displicentiam cohibere; & ex aliâ præcisè ex metû mali talem actionem exercere: quibus datis, exercebitur sine vllâ mixturâ inuoluntarij.

A S. Th. Martin. Cornejo Serra

Suarez. Vazq. Salas Arria. Baptist.

25. Vnde, obiter colliges contra Gregorium Martinez supra. Carrafa apud Baptista supra fragment. 7. num. 119. etsi causa motiua præcisa, & adæquata obseruandi legem sit declinare pœnas inferni; non ideò peccatum aliquod interuenire. Nostrum consectarium tuetur Baptist. loc. citato apud quem P. Vazquez, & Cornejo: idque, ni fallor, commune est. Nam, si quâ ratione tunc interuenerit aliquod peccatum, ideò esset, quia quodammodo esset inuoluntaria talis obseruatio; non verò, quia fieret ex motiuo declinandi pœnas inferni. Nam definiente Concilio Trident. sessio. 14.

Martin. Carraf. Baptista Vazq. Cornejo.

quamuis attritio tale motiuum habeat non est turpis: sed potius donum Dei. Atqui stat, vt vidimus, quòd sit adæquatum motiuum eiûs obseruationis tales pœnas declinare; & tamen eam obseruationem nihil inuoluntarij admiscere: ergo in prædicto casû nullum peccatum interuenit: ¶ Præterea. Vbi nihil aliud datur, quàm eligere obiectum materiale honestum ex vno motiuo honesto; & non ex alio motiuo; nullum interuenit peccatum. At, in eo præcisè, quòd eligatur obseruatio legis ex adæquato motiuo declinandi pœnas inferni nihil aliud datur, quàm eligere obiectum materiale honestum; nempè legis obseruantiam: item; ex vno motiuo honesto; scilicèt, ex motiuo declinandi gehennam: demum, non ex aliò motiuo, nam sermo est quando assignatum est adæquatum: ergo nullum peccatum interuenit.

26 Dices. In prædicto casû reperiri formalitèr illa præcisè, quæ assignauimus; ideóque non interuenire peccatum, attentis præcisè, quæ formalitèr includuntur in eo; quòd lex obseruetur ex adæquato motiuo declinandi pœnas inferni. At, in eo casû reperitur arguitiuè, & quòd non obseruaretur lex si pœnæ inferni non imminerent, & quòd animus sit dispositus, & promptus ad non obseruandum, casu quo non imminerent. Talisque animi dispositio, & promptitudo peccatum est. Sed contra. *Primò.* Nam, vt rectè notatum inuenio apud P. Suarez *eo num.* 41 bene stat; quòd hîc, & nunc motiuum adæquatum obseruationis sit euitare gehennam; & quòd in alio casû vbi non proponeretur hoc motiuum; sed ipsa honestas obseruationis; motiuum esset huiusmodi honestas: ergo ex eo, quòd hîc, & nunc sit motiuum adæquatum obseruationis euitare gehennam, non benè arguitur hæc veritas conditionalis * Non obseruaretur lex, si pœnæ inferni non imminerent * *Secundò.* Nam, vt benè attingit paulò aliter idem Suarez ibid. dato, quòd obseruare legem ex prædicto adæquato motiuo coniunctũ semper esset cum prædicta veritate conditionali, non ideò interueniret peccatum. Nam istud coniunctum * Nunc ex motiuo honesto legem obseruare non obseruandam in alio casû * non importat, quòd nunc detur peccatũ; sed quòd tunc daretur. Quemadmodũ, cõiũctũ hoc * Hic homo hîc, & nũc leuitèr tentatus resistit tẽtationi, nõ restiturus, si tẽtatio lõge grauior esset

esset * non importat, quòd talis homo nunc peccet, sed quod peccaret, si tentatio longè grauior vrgeret. Nihil ergo ad præsens facit veritas illa conditionalis: ideò recurrendum vnicè ad promptitudinem, ac dispositionem animi præsentem, de quâ *initio num.*

27 Iam verò talem recursum non esse tutum, patet primò, quasi à posteriori. Sequeretur enim interuenire peccatum casû, quo motiuum adæquatum obseruationis esset complexû ex euitatione inferni, & ex honestate obseruationis coniunctim sumptis. Clarius. Sequeretur, inquam, interuenire peccatum, quoties voluntas sic se exercet: *Decerno legem obseruare, quia in ea obseruatione coniunguntur honestas, & vtilitas ad euitandum infernum.* Quis autem non videat, sequelam esse satis duram? quam sic probo. Motiuum adæquatum obseruationis arguit, per te, præsentem animi promptitudinē ad trāsgressionem legis pro euentû, quo deesset tale motiuum. At, in prædicto casû motiuum adæquatum conflatur ex illis duabus rationibus coniunctim sumptis; quod proinde deesset, quâlibet illarum deficiente: quippè manifestum est, quâlibet parte deficiente non dari omnes coniunctim acceptas: ergo in prædicto casû reperitur præsens animi promptitudo ad transgressionem legis pro euentû, quo non conduceret obseruatio ad euitandum infernum. At, per te, talis animi promptitudo peccatū est: ergo semper in prædicto câsû peccatum interuenit. ¶ Patet secundò à priori. Nam irrationabiliter negabitur, possibile esse, quòd homo decernat obseruare legem ex adæquato motiuo declinandi gehennam; & quód vel nihil interim cogitet de euentû, in quo talis obseruatio non conduceret ad eum finem; vel saltem omittat omnem determinationē respectiuam ad eum euentum. Sed, his datis, non interuenit illa præsens animi promptitudo, in quâ totum peccatum consistebat: ergo benè stat, nullum in eo interuenire peccatum, quòd lex obseruetur vnicè, & adæquatè ex motiuo euitandi pœnas inferni. Quomodo autem, citra omne peccatum, possit obseruatio legis aliquid inuoluntarij miscere, postea constabit ex verâ doctrinâ P. Vazquez. Vazq.

28 Quid ergo erit illud, quod sufficit, & requiritur ad constituendam secundùm quid inuoluntariam actionem, quæ fit ex metû; siquidem insufficiens est, quod in anterioribus præmissis assignauimus. Pro explicatione: *Tertiò* præmitto.

Neque

Neque requiritur; neque sufficit ad prædictam constitutionem affectus ille absolutus ex parte actus, & conditionatus ex parte obiecti sumptus præcisè in vi talis, quo voluntas actualiter se exerceat sic. *Nō exercerem talē actionem, si tale malum terrens non impenderet.* Prima pars probatur. Quia, licet nihil voluntas decernat circa exercitium, vel omissionem eius actionis pro euentu, quo tale malum intentatum non esset, euadet talis actio inuoluntaria secundum quid, eo præcisè, quòd fiat voluntate refugiente ipsam per simplicem, & inefficacem; absolutam tamen ex parte actus, & obiecti displicentiam circa illam actionem propter incommoda, quæ secum affert. ¶ Secunda pars mihi probatur. Nam, si rectè consideres, nolle actionem sub hypothesi, quæ non subsistit nunc, non præstat, quòd talis actio sit nunc inuoluntaria; sed quòd animo non mutato inuoluntaria esset, si adueniret conditio. Sic, si libentissimè statum religiosum eligas, quia iudicas ad tuam salutem æternam valdè opportunū: profectò, nullâ ex parte talis status erit tibi inuoluntarius, quamuis aliundè sic tuam voluntatem actualiter exerceas: *Nollem eum statum si non iudicarē opportunum ad æternam salutem*: ergo similiter actio, quam exerces ex metu, non constituetur hic, & nunc aliquatenùs inuoluntaria ex eo, quòd detur ille affectus: *Non exercerem, &c.* Dixi: *sumptus præcisè in vi talis*, nempè in vi affectus absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti. Nam si talis affectus, vel secum identificet, vel coniunctam habeat, vt contingere solet, simplicem, & inefficacem; absolutam tamen displicentiam circa talem actionem, tunc ratione talis adiuncti erit ea actio inuoluntaria secundùm quid; non verò ratione tendentiæ cōditionatę ex parte obiecti præcisè sumptæ. ¶ Vnde obiter colliges: si lex obseruetur sine vlla displicentiâ absolutâ circa talem obseruationem; existente tamen de præsenti affectu illo: *Non obseruarem legem, si malum inferni non immineret*, tum sanè peccatum interueniret; non quidem ex eo, quòd obseruatio legis esset aliquatenùs inuoluntaria; sed quia cum obseruatione permixtus esset affectus ille ex suis intrinsecis rectæ rationi difformis.

29 *Quartò* igitur præmitto, voluntatis actum, qui actionem factam ex metu constituit inuoluntariam secundùm quid, esse actum, per quem voluntas resistit exercitio talis actionis; adeò tamen inefficaciter, vt ex modo resistendi non ex-

cludat

cludat, quòd aliundè voluntas absolutè, & efficaciter decernat talem actionem. Ratio est: Nam actio constituitur inuoluntaria secundùm quid per aliquem actum voluntatis resistentis eiûs exercitio. At, non per actum, qui tàm resistat, quã constituens actionem inuoluntariam simpliciter: ergo, qui minus resistat. Patet autem *ex disp. 6. cap. 1. num. 9.* actum constituentem actionem inuoluntariam simpliciter illum esse, per quem voluntas adeò resistit eiûs exercitio, vt ex modo resistendi excludat, quòd aliundè voluntas absolutè, & efficaciter decernat talem actionem: ergo actus constituens actionem inuoluntariam secundùm quid erit ille, per quem voluntas ita resistit exercitio talis actionis, vt ex modo resistendi non excludat; quòd aliundè voluntas absolutè, & efficaciter decernat talem actionem. ¶ Ex his colligitur. Cum hæc resistẽtia affectiuè inefficax possit dupliciter contingere; nimirum, vel per actum formalem fugæ, qui terminis istis explicatur * Displicet mihi talem actionem existere * vel per actum formalem prosecutionis, qui terminis istis exponitur * Placet mihi talem actionem non existere *. quorum alter respicit existentiam actionis tanquam obiectum nolitum; alter verò carentiam eiûs existentiæ tanquam obiectum amatum; idcirco potest etiam duobus istis modis contingere actus constituens secundùm quid inuoluntarias actiones factas ex metû.

CAP. IIII.

Concluditur explicatio prædicti inuoluntarij secundùm quid.

30 EX quibus præmissis suâ sponte fluunt, quæ supersunt exponenda de inuoluntario secundùm quid actionũ, quæ fiunt ex metû. *Primò* namque fit; actiones factas ex metû posse esse voluntarias simpliciter, accepto eo termino *simpliciter pro purè, & omnino* sine vllâ mixturâ inuoluntarij: quia possunt efficaciter decerni, quin vllò modo resistat voluntas, adhuc affectiuè inefficaciter, ipsarum exercitio; vt constat ex cap. 3. In hoc autem stat, quòd ita purè, puteque sint voluntariæ. *Secundò* fit. Actiones ex metû factæ, quæ sunt ex se molestæ, & disconuenientes, & præsertim, si non alia bonitas in ipsis appareat; quàm necessitas ad effugiendum aliud malum, plerunque sunt inuoluntariæ secundùm quid. Hoc est, quod Arist. *Aristo.*

D. Tho. Damas. ac D. Th. voluerunt. Legatur Damascenus *lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 24* illis verbis. *Sciendum quædam spontanei, & inspontanei esse media, quæ cũ insuauia, & tristia sint, ob maius euitãdum malum suscipimus, vt ad euitandum naufragium proijcimus, quæ in naui sunt.* Expendantur illa verba: *quædam, quæ cum insuauia, & tristia sint*: quasi nõ omnia, quæ fiunt ex metû mixturam inspontanei habeant; sed quæ suâ insuauitate, & acerbitate voluntatis resistentiam pariunt. Ratio illationis est: quia, plerunque saltem, fiunt cum aliquali resistentiâ volũtatis, quæ cũ tristia, & insuauia sint, non aliter eliguntur, quã compellente metû mali, ad quod euitandum indicãtur necessaria; fieri autem cum aliquali resistentiâ voluntatis est esse inuoluntaria secundum quid.

31 *Tertiò* mihi satis probabile est, non infrequenter accidere, quòd tales actiones non possint ex naturâ rei fieri sine mixturâ inuoluntarij secundum quid, si viuaci apprehensione percipiatur earum incommoditas, & acerbitas. Probatur à posteriori, petitâ paritate ex ipso metû. Nam malum, quod imminet est sæpè tantum, & tam viuaciter apprehensũ, vt nobis non sit liberum excutere metum; sed potius ex natura rei sit necessarium timere, quamuis repręsentétur plures rationes ad non timendum; de quo dubitare nõ permittit experimentum quotidianum: ergo sæpè potest ea esse acerbitas, & incommoditas actionis, quæ exercêtur ex metû, eâque viuacitate percepta, vt sit naturaliter necessarium aliqualem resultare displicentiam animi refugientis eam actionem. Sic forsan acerbissimi cruciatus, quos iam propè impendentes cernebat perspicacissimè Christus D. naturalem necessitatem inducebant, vt humanæ naturæ infirmitas eosdẽ refugeret, quos sanctissimus ille spiritus diuino auxilio munitus promptissimè amplectebatur. Ratio à priori videtur esse. Quia non tot, ac tantis opus est ad necessitandum animum, vt reijciat efficaciter actionem, quàm, vt per simplicem, & inefficacem displicẽtiam auersetur: hic enim affectus, qui quasi imperfectus, & inchoatus est in ratione fugæ, promptiùs erumpit, quam perfecta, & consummata fuga: ergo acerbitas, & incommoditas actionis, quæ insufficiens est necessitare voluntatem, vt efficaciter reijciat eam actionem, quę alioquin necessaria iudicatur ad euitandum maius malum, sufficiens erit necessitare voluntatem ad simplicem displicentiam, quâ positâ, nequit talis

actio

actio exerceri sine mixturâ inuoluntarij secundũ quid. Et quidem, doctissimus, & subtilissim⁹ P. Ripalda *tom. 2. de ente supern. disp.* 103. *sect.* 6. *à num.* 48. putat ex propositione indifferenti bonitatis, & malitiæ, necessariò necessitate naturali excitari simplicem complacentiam, ac displicentiam circa tale obiectum, de quo alibi nostrum iudicium aperiemus. *Ripald.*

32 *Quartò*. Eadem ratio habenda est quantum ad inuoluntarium secundùm quid actionum, quæ fiunt ex metû, siuè mala imminentia, quæ terrent sint ab intrinseco annexa omissioni talium actionum; siuè solum ab extrinseco. Fuerunt nonnulli quorum meminere P. Vazquez *disp.* 27. *cap.* 1. *n.* 5. P. Suar. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 5. & alij. Fuerunt, inquã, qui putarunt, malum imminens, quod timetur duplex esse: alterum, cum quo habet intrinsecam proportionem omissio actionis illiûs, ad quam impellit timor eius mali. Tale est malum inferni comparatum cum obseruatione mandatorum Dei. Nam eiûs obseruationis omissio habet ab intrinseco dignitatem eiûs mali: alterum malum est, cum quo non habet intrinsecam proportionem omissio illiûs actionis, ad quam mouet timor. Tale est malum amittendi vitam comparatum cum proiectione mercium. Nam omittere talem proiectionem non connectitur ab intrinseco cum omissione vitæ; sed quia circumstantiæ extrinsecus aduenientes, nempè suborta tempestas, grauia nauis onera, &c. fecerunt hic, & nunc eam proiectionem necessariã ad conseruationem vitæ. Dicunt ergo illi, timorem mali prioris generis non reddere inuoluntariam secundùm quid actionem factam ex metû; secus autem posterioris generis. Hæc autem existimatio, quamuis ex parte placeat P. Suario, cui etiam ex parte displicet; absolutè tamen displicet P. Vazq. *sup.* P. Arriag. *disp.* 11. *n.* 12. P. Obiedo *controu.* 3. *punct.* 1. *num.* 8. P. Sfortia *disp.* 4. *q.* 1. *art.* 1. *& alijs, quibus subscribo.* *Vazq. Suar.*

33 Omissis, quæ in hac existimatione ad rem nostram non faciunt, ratio nostræ propositionis facilis est ex dictis. Nam, quemadmodum existente metû amittendi vitam, potest quis ex eo metû proijcere merces, resistente voluntate tali proiectioni propter incõmoditatem perdendi diuitias, quam secum affert ea proiectio; ita, ex metû inferni, quod violatio legis intrinsecè spectata meretur, potest quis obseruare legem resistẽte voluntate tali obseruationi propter incõmoditatem, quam secum affert amittendi turpes delicias. At, inuoluntariũ secun-

secundum quid metiendum est ex prædicta resistentiâ voluntatis: cum igitur ad existentiam, vel non existentiam prędictę resistentiæ impertinenter se habeat, quòd omissio actionis ex metû factæ intrinsecam, vel extrinsecam connexionem habeat cum malo, quod metuitur: patet non esse rationem habendam huiusmodi connexionis intrinsecæ, vel extrinsecæ quantùm ad inuoluntarium secundùm quid prædictarum actionum.

34 *Quintò*. Ex præiactis principijs infertur, obseruationem legis exercitam ex metû inferni iam posse esse voluntariam sine vllâ admixtione inuoluntarii; iam cum admixtione inuoluntarij secundùm quid; iam in eo inuoluntario secundùm quid aliquo interueniente peccato; iam nullo peccato interueniente. Prima pars constat *ex num*. 23. *&* 30. Potest enim obseruatio legis exerceri ex metû gehennæ, & aliundè tam pulchra, & honesta, ac tàm parum molesta proponi, vt nullatenus voluntati displiceat, nullâque ratione voluntas resistat eius exercitio. Vbi autem, aliquid exercetur citra omnem voluntatis resistentiam, fit sanè absque vllâ mixturâ inuoluntarij. Secunda pars constat *ex num* 33. Potest nanque mandatorum obseruatio sic exerceri, vt quia proponitur valde difficilis, & aspera, voluntas resistat affectû simplici, & inefficaci. Vbi autem adest hæc resistentia non deest inuoluntarij mixtura. Tertia pars probatur. Quia resistentia voluntatis circa mandatorum obseruationem exercitam ex metû inferni ea potest esse, vt sit purè, puteque simplex displicentia circa illam propter difficultatem, asperitatem, & pugnam ipsiûs cum infirmitate naturæ; sed simul identificet secum actualem animi dispositionem liberam ad non superandas has difficultates, nisi gehenna immineret. Hæc autem animi dispositio peccatû est. Potest ergo peccatum misceri in inuoluntarietate secundùm quid, quæ in eâ obseruatione reperitur.

35 Non tamen diffiteor, distingui formaliter in eo actû rationem, per quam est peccatum, & rationem, per quam constituit secundùm quid inuoluntariam obseruationem præceptorum. Est enim peccatum, quatenùs est libera dispositio animi ad non superandas difficultates obseruandi præcepta, nisi gehenna immineret. Cóstituit autem secundum quid inuoluntariam eam obseruationem, quatenùs est displicentia circa illá præscindés ab eo, quòd sit libera; vel necessaria, & ab eo, quòd iden-

identificetur, vel non identificetur cum ea animi dispositione.

¶ Denique quartam partem defendunt post P. Vaz. *disp.* 27. *cap.* 1. *n.* 6. P. Dr. Gaspar Hurt. P. Baldell. P. Tanner. Montesin. quos refert, & sequitur P. Obiedo *controu.* 3. *punct.* 1. *n.* 8. Adde Marcum Serra 1. 2. *q.* 6. *à n.* 6. *ad.* 2. Baptista *disp.* 90. *n.* 127. P. Salas *disp.* 3. *sect.* 2. § *Vera ergo solutio.* Ratio est. Quia vbi naturę humanæ non placeat omittere obseruationem legis omissione coniunctâ cum prohibitione ipsiùs omissionis; sed præcisè refugiat simplici affectû talem obseruationem propter difficultatem, & acerbitatem, quam secum affert, nihil dissonum, & indecens exprimit; sed explicat præcisè ipsiùs naturæ imbecillitatem, quin potiùs obseruare legem cum eâ resistentiâ naturali tàm abest à permixtione peccati, vt potius obseruationis meritum inde augescat. Sic Christus Dominus ex naturali resistentiâ circa ingentissimos cruciatus imminentes dicebat Math. 26. *v.* 39. *Pater si possibile est transeat à me calix iste.* Sic aiebat Susanna hinc instãte mortis horrore; inde verò pio timore diuinæ offensionis *Daniel.* 13. *v.* 22. *Angustiæ sunt mihi vndique: si enim hoc egero mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestas, quã peccare in conspectu Domini.* Cum igitur, hęc resistentia simplex, quasi ingenita naturæ, sufficiat ad inuoluntarium secũdum quid, sitque peccati expers, planè fit, obseruationem mandatorum posse nonnihil inuoluntarij admiscere; nullo tamen interueniente peccato.

Vazq. Hurta. Baldell. Tanner. Montes. Obiedo. Serra. Bapt. Salas.

Matth.

36 *Sextò.* Facilè soluitur ex dictis illa quæstio: num scilicet, quando ex metû exercetur inuoluntariè secundùm quid aliqua actio exterior, v, g. proiectio mercium, non solùm sit inuoluntaria secundùm quid ipsa actio exterior; sed etiam electio interior efficax, per quam elicitur talis actio exterior? Affirmandum est cum Lorca. 1. 2. *q.* 6. *in notationibus ad art.* 6. §. *Ex hac doctrina.* Obiedo *controuer.* 3. *punct.* 3. *num.* 24. Baptista *disp.* 89. *num.* 63. qui num. 55, non benè citat Patrem Vazq. *disp.* 27. *cap.* 2. *in principio* tanquam id negantem. Nam aliud est loqui de displicentia inefficaci circa eam proiectionẽ exteriorem, v. g. quæ fit ex metû; aliud de electione efficaci talis proiectionis. De hac electione efficaci, nihil ibi ait P. Vazq. At de illâ inefficaci displicentiâ dicit, nullatenus esse inuoluntariam, nisi *adesset actus reflexus, & quasi imperium, quo homo nollet habere talem actum.* Ratio nostræ resolutionis

mihi

mihi est. Nam conatus, & resistentia primariè, directèque tendens ad non-existentiam actionis, tendit indirectè saltem, & secundariè ad non-existentiam causæ infallibiliter inferentis actionem. At, quando actio exterior fit ex metû, resistente voluntate tali actioni, mediâ displicentiâ circa ipsam, talis displicentia est resistentia, & conatus voluntatis primariè, directèque tendens ad non-existentiam eius actionis: ergo est conatus indirectè saltem, secundarièque tendens ad non-existentiam causæ infallibiliter inferentis actionem. Talis autem causa est electio efficax ipsiûs actionis; ergo sicut actio exterior est inuoluntaria secundum quid, quia est contra voluntatis actum directè resistentem ipsiûs existentiæ; ita & prædicta electio, quia est contra voluntatis actum indirectè resistentem ipsiûs existentiæ.

37 Confirmatur, & explicatur. Sicut se habet inclinatio innata passi in ordine ad violentum, ita se habet inclinatio elicita voluntatis in ordine ad inuoluntarium. At, existente ex parte passi inclinatione innatâ primariè, directèque tendente ad aliquid, violenta est existentia causæ infallibiliter inferentis oppositum: quapropter, existente in grauibus inclinatione directè tendenti ad præsentiam ipsorum in centro inferiori, violenta ipsis est existentia impulsûs infallibiliter inferentis extractionem ipsorum ab eo centro: ergo existente ex parte voluntatis inclinatione elicitâ primariè tendente ad aliquid, v.g. ad non-existentiam exterioris proiectionis diuitiarum, inuoluntaria erit existentia causæ infallibiliter proiectionem inferentis, cuiusmodi est electio efficax proiectionis. ¶ Neque obstat, prædictam displicentiam circa exteriorem proiectionem nullatenus respicere expressè, & formaliter electionem interiorem tanquam obiectum nolitum. Nam si res ipsa benè consideretur, displicentia, quæ ab eâ proiectione fit formaliter, & expressè pura, putaque fuga; non verò formaliter, & expressè prosecutio circa *non-esse* proiectionis, non est formaliter, & expressè inclinatio ad *non esse* proiectionis; sed auersio ab ipsiûs *esse*. Tamen, quia implicitè, & æquiualenter est talis inclinatio, ea proiectio est contra voluntatis inclinationem modo sufficiente ad inuoluntarietatem: ergo tametsi displicentia illa circa actionem exteriorem nullatenùs respiciat expressè, & formaliter electionem interiorem tanquam obiectum; quia tamen perinde est fugere effectum, & fugere cau-

causam infallibiliter inferentẽ effectum, talis electio erit contra voluntatis inclinationem modo sufficiente ad inuoluntarietatem. Vbi cauendum est vocale dissidium. Obiedo.

38 *Septimò*, ex dictis explicatur id, quo nimis se torsit P. Obiedo sup. *à n. 25*. Cur scilicet displicentia inefficax circa proiectionem exteriorem reddat inuoluntariã secundum quid efficacem electionem interiorem eius proiectionis; contra tamen ea electio, neque secundùm quid inuoluntariam reddat prædictam displicentiam? Omissâ disparitate huiûs Autoris, quem impugnaremus, si ad maiorẽ nostrę doctrinæ firmitatem opus esset: ratio huiûs est. Quia prædicta electio neq; directè, explicitè, & formaliter; neq; indirectè, implicitè, & æquiualẽter resistit existẽtię talis displicẽtiæ. *Nõ directè &c*, quia talis electio non est expressa nolitio eius displicentiæ. *Non indirectè &c.* quia talis electio proiectionis solùm resistit indirectè existentiæ obstaculorum impedientium proiectionem, cuiusmodi obstaculum non est ea displicentia; quippè, quæ optimè componitur cum proiectione diuitiarum. At verò, talis displicẽtia cum sit conatus, licèt imperfectus, & inefficax, voluntatis ad *non esse* proiectionis, est etiam indirectè saltem conatus volũtatis, etsi imperfectus, & inefficax ad *non esse* causæ, quæ proiectionem infallibiliter infert, cuiusmodi est prædicta electio. Quid ni ergo talem displicentiam reddere secundùm quid inuoluntariam eam electionem; hanc verò non reddere sic inuoluntariam eam displicentiam? Vnde patet esse verum, quod ex Gabriele Vazq. referebamus *n. 36*. Vazq.

39 *Octauò* intelligetur ex dictis, quid veritatis, quidque falsitatis habeat in rigore metaphysico dictum illud commune, nempè metum causare inuoluntarium in illis actionib⁹, quæ ex ipso metû fiunt. Vt enim post P. Suar. *sup. sect. 1. n. 6.* obseruant P. Arriaga *disp. 11. n. 14.* P. Sfortia *disp. 4. q. 1. art. 1. n. 2.* Ildephonsus Bapt. *disp. 90. n. 111.* Auersa *sect. 14. vers. Huc itaque*, potius cõducit metus ad hoc, vt actio ex ipso facta sit voluntaria, quàm vt sit inuolũtaria. Non enim conducit ad hoc vt displiceat, sed poti⁹ ad hoc, vt decernatur efficaciter, quamnis displiceat. Nota. Inuoluntarium stat bifariam. *Primò* vt idem sit ac *nolitum*. Secundò, vt idem sit, ac *existens, etsi voluntas nolit*. Primo modo acceptum non causatur ex metû: quia non pręstat metus, quòd ea displiceat actio, quæ ex metu eligitur. Eius autem actionis displicentia præstat in genere Suar. Arria. Sfortia. Bapt.

O causæ

causæ formalis, quòd talis actio sit inuoluntaria, quia in eo genere constituit ipsam nolitam. Inuoluntarium autem secundo modo acceptum causatur partim ex metû, partimque ex displicentiâ; aliter tamen, & aliter. Ratio est. Nam inuoluntarium in eo sensû importat duo; nempè, talem actionē existere, & esse nolitam. At, prior pars causatur â metû, quasi in genere causæ efficientis: quia metus efficit, quòd talis actio existat; posterior autem pars causatur à displicentiâ in genere causæ formalis: nam in hoc genere displicentia cōstituit eam actionē nolitam: ergo inuoluntarium secundo modo acceptum causatur partim ex metû; partimque ex displicentiâ: aliter tamen, & aliter; nimirum, in diuersis generibus. Hoc videtur clarius, quàm, vt disputari debeat.

40 *Demum.* Contra doctrinam totiûs disputationis obijcies, falsum esse, quòd ea, quæ fiunt ex metû sint absolutè, & potiori ratione voluntaria; inuoluntaria verò secundū quid. Nam iuxta cap. *Maiores* de baptismo, & eius effectû, qui violenter trahitur terroribus, & supplicijs ad susceptionem baptismi, eumque suscipit ad euitanda damna, cum conditionaliter velit; licet absolutè non velit, cogendus est, vt obseruet Christianam fidem: ergo, qui facit aliquid ex metû, non vult illud absolutè; sed solùm cōditionaliter: ergo, quod fit ex metû, non est absolutè voluntarium; & secundùm quid inuoluntarium. Respondeo, non esse sensum eius cap. eum, qui modo dicto suscepit baptismum, nullatenus habuisse voluntatem absolutam suscipiendi; alioqui non cogeretur iustè fidem Christianam obseruare; sed sensus est, non habuisse voluntatem tam independentem á conditionibus, & circunstantijs iam existentibus, nempè à terrorib⁹ incussis, atque supplicijs intentatis, vt prudenter coniectari posset susceptum iri baptismum, tametsi huiusmodi circumstantiæ deessent. Ait ergo cap. cit. Etsi dependenter, non verò independenter à circumstantijs, quæ occurrerunt voluerit baptismum suscipere, cogendus est obseruare fidem Christianā: quia licet non voluerit baptismum suscipere *absolutè*, id est volitione soluta, & independente ab eis circumstantijs, quę occurrerunt; voluit tamē *conditionaliter*, id est, volitione, quamuis absolutè, simpliciter, & propriè dicta; illigata tamen, ac dependente à circumstantijs, quæ occurrerunt, & quæ potest conijci non futura, si non occurrissent.

DISPVTATIO OCTAVA.

De concupiſcentia in ordine ad voluntarium, & inuoluntarium operationum, quæ fiunt ex ipſa.

POSTQVAM expoſuimus, quomodo ſint voluntariæ, & inuoluntariæ operationes ex timore factæ, iure optimo diſputamus, quomodo tales ſint factæ ex amore.

CAP. I.

Ratio dubitandi pro inuoluntario ſecũdùm quid *operationum, quæ fiunt ex concupiſcentia.*

1 NOta primò. Concupiſcentia ſumitur in præſenti pro omnibus actibus, ſiue paſsionibus appetitûs ſenſitiui (vno metû excepto) mouentibus ad voluntatis actus. Sic ſe habet motus appetitûs ad vindictam, vt delectabilem, impellens voluntatem, vt vindictam velit, eligatque media pro illiûs conſecutione. Nota ſecundò. Indubitatum eſt, operationes factas ex concupiſcentiâ poſſe eſſe inuoluntarias negatiuè ſecundùm aliquam rationem: & quidem ita, vt concupiſcentia ſit radix huiûs inuoluntarij. Ratio eſt. Qũia vehementia concupiſcentiæ poteſt eſſe radix vnde proueniat obſcurari; vel diſtrahi lumen intellectûs, quominus attendat ad eas rationes, quibus induitur operatio concupita, quæ poſſent ab illiûs executione retrahere: cumque operatio ſecundum rationem non conſideratam ſit non voluntaria, vel, quod in idem recidit, inuoluntaria negatiuè; conſequens planè eſt, vehementiam concupiſcentiæ poſſe radicem eſſe, ex qua proueniat quòd operatio facta ex concupiſcentiâ ſit ſecundùm aliquam rationem inuoluntaria negatiuè. ¶ Nota tertiò pro intelligentiâ Autorum. Poteſt eſſe difficultas, an operationes,

quas voluntas efficaciter eligit ex concupiscentiâ, nonnullam mixtionem inuoluntarij positiui suscipiant; sicut eam frequentissimè suscipiunt operationes, quas voluntas efficaciter eligit ex metû. Hanc autem difficultatem Theologi D. Thomam imitantes 1.2. *quæst.6.art.7.* agitant sub his terminis. *Vtrum concupiscentia causet inuoluntarium?* Cæterùm, vt dicebamus *disput. 7. num.* 39. quemadmodum metus, non ita causat inuoluntarium, vt faciat, quòd voluntas resistat, quominus existant illæ operationes, quæ eliguntur ex metû; sed quatenus facit, quòd tales operationes existant, quarum exercitio resistit aliundè voluntas; sic à fortiori, concupiscentia non ita causat inuoluntarium, vt faciat, quòd volũtas resistat, quominus existant operationes, quæ ex concupiscentiâ eliguntur. Dubiũ ergo est, an causet operationes aliquas resistente aliundè voluntate, quominus existant?

2. Et quidem, ex vnâ parte videtur esse veritatem, quasi notam ex terminis, atque primis principijs valde vicinam, operationes factas ex concupiscentiâ libentiùs, & delectabiliùs exerceri, quàm factas ex metû: has verò tristiùs, & reluctantius. Vnde, inuoluntarij permixtio, quę datur in operationibus factis ex metû, non videtur dari in illis, quæ exercentur ex concupiscentiâ. Tamen, aliunde discrimen hoc; quod propè primas apprehensiones videtur esse, simul apparet à ratione solidâ, firmâque procul distare: Sicut enim operatio, quæ eligitur efficaciter ex concupiscentiâ est absolutè, & simpliciter voluntaria: ita etiam operatio, quæ eligitur efficaciter ex metû: ergo quoad voluntarium absolutè, & simpliciter dictum non est discrimen. At, neque discrimen est quoad inuoluntarium secundũ quid, ergo quoad nihil. Minor subiuncta probatur. Nam operationes factæ ex metû sunt quandoque inuoluntariæ secundùm quid; & quandoque non. Sunt inuoluntariæ secundùm quid, quando tametsi appareant vtiles ad declinandum malum, quod timetur, apparent simul ex se molestæ; proindeque terminant displicentiam simplicem. Non sunt inuoluntariæ secundùm quid, quando sic apparent vtiles ad declinandum malum, quod timetur, vt, quia non simul apparent molestæ, non terminant displicentiam: quæ omnia plana sunt *ex disp.* 7. At, etiam operationes factæ ex cõcupiscentiâ sunt quandoque inuoluntariæ secundùm quid; & quandoque non. Hoc secundum, quando sic exercentur, quòd non

appa-

apparent ita molestæ, vt displicentiam terminent. Illud primum, quando contingit oppositum, vt reuerà contingit, quando pater occidit filium sibi dilectissimum propter ingentes cōmoditates, quas ex eâ morte sperat. Quis enim credat, Patrem non exercere reluctante animo tàm acerbam contra filium charissimum operationem? ergo in operationibus, quæ fiunt ex metû; & in illis, quæ fiunt ex concupiscentiâ, discrimen non est, quoad inuoluntarium secundum quid.

3 Hinc ortum, vt nonnulli putent, ratione propositâ satis conuinci fallacem esse primam illam apprehensionem, de quâ *initio num.* 2. Arbitrantur alij tàm esse finitimā lumini naturę, vt illi obsistere nefas sit; idèoque rationem propositam contra illam roboris non esse, quod præfert. Placet alijs, quibus ego meum sensum accomodabo, mediam tenere viam, neque tantum communi apprehensioni dantes, vt contemnatur ratio: neque tantum rationi fidentes, vt parui pendatur communis apprehensio: maximè, cum inuestigatoribus veritatum exploratum sit, communes apprehensiones, vel omnino, vel magnâ saltem ex parte verissimas esse. Vt tamen nostra sententia firmior consistat, operæ pretium erit expendere solutiones, quibus Autores occurrunt rationi propositæ: si quid autem veri contineant, simul adnotabitur. Respondet primò Petrus Cornexo *disp.* 4. *dub.* 1. *num.* 2. & 3. concupiscentiam ita excitare voluntatem ad amandum obiectum *propter suam bonitatem, vt non permittat, quòd appareat in obiecto aliqua ratio mali, & molesti, ratione cuius possit in voluntate esse aliquis actus nolitionis saltem inefficacis circa ipsum obiectum.* Cornejo

4 Fateor, concupiscentiam esse interdum adeò vehementem, vt intellectum omninò dimoueat à consideratione malitiæ, ac molestiæ, quæ in opere concupito reperiuntur: id autem semper accidere non est audiendum. *Primò.* Nam peccantes ex concupiscentiâ, ideò præcipuè peccant, quoniam attendentes ad malitiam, & iucunditatem operis concupiti, tam præposteram electionem faciunt, vt potius amplectantur opus propter iucunditatem, quàm deserant propter malitiam: ergo concupiscentia non excludit attentionem ad malitiam operis concupiti. *Secundò.* Quia durissimum esset, ne quid amplius dicam, asserere, nunquam hominem illustrari, & vocari gratiâ diuinâ actuali ad deserendum opus peccaminosum, nunquam, inquam,

eà gratiâ tangi pro eo tunc; quo impellitur per concupiſcentiam ad executionem ipſiûs: nam alioquin ea gratia deeſſet, quando magis eſt neceſſaria præſentia ipſiûs. At, actualis gratia potiſsimùm conſiſtit in illuſtrationibus intellectus, & affectionibus voluntatis allicientibus ad deſerendum opus turpe, quia turpe; & ad amplectendum honeſtum, quia honeſtum: ergo concupiſcentia non excludit conſiderationem malitiæ. Quin potius, quia ſæpiſsimè homines concupiſcentiâ ſuperantur, tametſi diuinâ gratiâ vehementer pulſati ad oppoſitum; idcirco, neque leuiſsimam poſſunt excuſationem obtendere.

5 *Tertiò*. Nam, vt Eccleſiæ Patribus alibi adductis ſolenne eſt; communique fidelium exiſtimationi conforme: peccatores reprehenduntur iuſtiſsimè à Deo, non ſolùm *abſolutè*, quia peccarunt; ſed etiam *comparatiuè*; quia ceciderunt ipſi talibus tentationibus, ictibuſque concupiſcentiæ agitati, qualibus alij ſteterunt abſque fortiori præſidio gratiæ præuenientis. Tunc ſic. In hoc euentû concupiſcentia, qua ſuperatur, qui cadit, non eſt vehementior concupiſcentia, quam ſuperat, qui ſtat. Sed concupiſcentia ſtantis permittit conſiderationem malitiæ, quæ eſt in opere concupito: ergo ſimilem conſiderationem permittit concupiſcentia cadentis. Confirmatur. Concupiſcentia illiûs, qui ſtat, admittit conſiderationem malitiæ ſufficientem ad reijciendum efficaciter opus concupitum: ergo à fortiori componi poterit ea concupiſcentia cum diſplicentiâ ſimplici circa idem opus. Cùm igitur, ſæpe maior non ſit concupiſcentia cadentis; planè fit, huiuſmodi concupiſcentiam, quamuis ex vitio peccantis coniunctam cum opere concupito, poſſe ſimul componi cum diſplicentiâ ſimplici circa ipſum: ſiquidem neque concupiſcentia; neque ipſum opus pugnant cum ſimplici diſplicentiâ circa tale opus. *Quartò*. Concupiſcentia mouens ad electionem operis delectabilis, etſi animum ad eam electionem incitet; non tamen determinat: alioquin, Dæmon concupiſcentiæ flammas accendens determinaret ad peccatum, quod catholicè dici non poteſt. At, ea concupiſcentia determinaret ad electionem eius operis, ſi excluderet omnem conſiderationem rationum, ob quas diſplicere poteſt: impoſsibile quippè eſt omittere liberè electionem talis operationis ſine con-

consideratione alicuius rationis retrahentis ab eligendâ tali operatione: ergo prædicta concupiscentia non excludit eam considerationem.

6 *Quintò*. Concupiscentia mouens ad opus delectabile turpe relinquit illæsam libertatem contrarietatis ad amandum, & odio habendum tale opus, vt nullus negare audebit, maximè cum facilè esset inde procedere ad inferendam euersionem omnis libertatis, etiam contradictionis, vt apparebit consideranti dicta nuper. At, libertas contrarietatis importat iudicium indifferens repræsentans obiectum, quâ bonum, & quâ malum, vt eo modo obijciantur motiua ad amorem, & odium: ergo prædicta concupiscentia permittit considerationem malitiæ. Si dixeris, prædictam concupiscentiam, non ideo relinquere libertatem contrarietatis, quia permittit considerationem malitiæ; sed quia relinquit in voluntate potestatem, vt se expediat ab eâ concupiscentiâ: & consequenter, vt hanc remouendo detur locus ad considerationem malitiæ. Contra est. Nam, vt nunc dissimulem id, quod aduersarius deuorabit; nempè dictam concupiscentiam euertere proximam libertatem contrarietatis, arguo sic.

7 Omnis potestas libera remota, ad vnum, reducitur ad potestatem liberam proximam ad aliud, vt notissimum est; sicut omnis potestas, & causa remota ad vnum reducicitur ad potestatem, & causam proximam alteriûs: ideoque, quòd auus sit causa remota nepotis, reducitur ad hoc, quòd sit causa proxima patris. Vnde, in præsenti potestas libera remota ad odium operis concupiti reduci debet, vt constabit expendenti proximè dicta, ad potestatem liberam proximam ad remouendum concupiscentiæ motum. Hæc certa sunt, ex quibus ita procedo. Potestas proximè libera ad remotionem concupiscentiæ importat non solûm aptitudinem ad iudicandum eam concupiscentiam esse malam, ac dignam, quæ removeatur; sed actuale iudicium huius malitiæ. Nam alioquin, non esset potestas proximè libera ad talem remotionem; sed remotè libera, quæ in aliam proximã reducẽda esset, & in infinitũ abiremus: ergo concupiscentia relinquens potestatem proximè liberam ad remotionem ipsiûs concupiscentiæ relinquit prædictum iudicium: ergo pariter relinquere poterit iudicium de malitiâ operis concupiti. Prior illatio patet, & subillatio probatur.

8. Nam concupiscentiæ motus, qui parùm adeò perturbat animum, vt relinquat vigilem ad iudicium reflexum de malitiâ concupiscentiæ, non adeò excæcabit animum, vt impediat iudicium directum de malitiâ operis cócupiti. Tum, quia prædicta concupiscentia mala est, & digna, quæ remoueatur, quia de opere malo. Tum, quia opus est animo attentiori ad reflexiones faciendas, quam ad attingentias directas. At per te, prædictus concupiscentiæ motus relinquit attentionem ad assignatum iudicium reflexum: ergo potiori nomine ad iudicium directum de malitiâ operis concupiti. Ex quibus iam irradiat ratio à priori. Nam ea est concupiscétiæ natura, vt magis, vel minus animum impediat, quominùs ad malitiam, & molestiam attendat obiecti concupiti, quò ipsa concupiscentia vehementior, vel segnior est, vt experiméto quotidiano deprehendimus: ergo tametsi attingat interdũ; non tamen semper attinget eum vehementiæ gradum, qui satis sit ad abigendam omnem malitiæ, molestiæque considerationem, quæ ad excitandam simplicem displicentiam circa tale obiectum sufficiat.

9. Respondent alij secundò cum Patre Vazquez *disput. 28. capit. 4. num. 17. & 18.* quem sequitur Cursus Carmelit. *1. 2. quæst. 6. artic. 7. in adnotatione, num. 3.* scilicet, adeò delectabile proponi obiectum, vel opus, circa quod versatur concupiscentia, vt ea delectabilitas repræsentata, & concupita nullam rimulam displicentiæ circa tale obiectum relinquat; sed omnem circa illud displicentiam absumat. Quod si frequenter displicentiam experimur operantes ex concupiscentia; certè, vel talis displicentia non existit in eodem instanti concupiscentiæ; sed prius, vel posterius, vt *in solut. ad 2.* obseruat D. Thom. vel non est de ipso obiecto, vel opere, ad quod tendit concupiscentia; sed de tristibus quibusdam effectibus tali operi annexis, v. g. de supplicijs propter ipsum infligendis, &c. At verò, metus cum non impellat ad opus ex metû electum, quia delectabile sit; vel ad finem delectabilem conducens; sed quia licet sit malum, & molestum; est tamen minus malum, quàm aliud, ad quod declinandum proficit; ideo metus relinquit displicentiam conceptam circa illud opus, quia molestum.

Vazq. Carmel. D. Thom.

10 Hæc

10 Hæc tamen ſolutio mihi non placet: nam, vt in ſimili obſeruabam *num.* 8. putat accidere ſemper, id quod interdum duntaxàt contingit propter magnam concupiſcentiæ vehementiam. Sicut enim non quæuis; ſed magna admodùm complacentia voluntatis in opere, quatenùs delectabili, abſumit omnem diſplicentiam circa idem opus, quia difficile; ità non quæuis concupiſcentia appetitûs ſenſitiui; ſed ingens admodum circa opus delectabile abſumet diſplicentiam circa illud, quia mille nominibus aſperum: maximè cum concupiſcentia appetitûs eatenus diſplicentiam voluntatis expellat, quatenùs eiuſdem voluntatis complacentiam inducit. *Secundò* vrgetur. Sunt homines adeò improbi, vt ex vnâ parte vehemẽtiſſime agitati diuinâ gratiâ ad omiſſionẽ alicuiꝰ operis; & ex alia ſegnitèr illicio concupiſcẽtiæ tacti, toto conatû adnituntur peccare; diuinæque gratiæ reſiſtere; indéque debiliſſimæ concupiſcentiæ cedunt, fortiſſimæque gratiæ reſiſtunt. At, in iſtò caſû concupiſcentia permittit, vt tale opus diſpliceat: ergo non ſemper impedit concupiſcentia talem diſplicentiam. Minor probatur. Tum, quia in eo euentû fortiùs impellit gratia ad diſplicentiam, quàm concupiſcentia ad excluſionem illius. Non ergo valet potius concupiſcentia illam excludere, quàm gratia eandem inducere. Tum, quia cum ea concupiſcentia poteſt componi, quòd homo gratiæ diuinæ obtemperans reſiſtat concupiſcentiæ nolens efficacitèr illud opus: ergò poterìt à fortiori componi, quòd affectû ſimplici, & inefficaci diſpliceat erga ipſum. Poſſunt aliæ impugnationes ex dictis, & dicendis colligi.

CAP. II.

Aliæ ſolutiones expenduntur.

11 TErtiò alij reſpondent ſolutionem eruere tentates ex D. Thom. *in ſolut. ad* 1. metum eſſe affectum, cuius obiectum eſt malum; proindéque aliquid, quod contrariatur voluntati. At, obiectum concupiſcentiæ eſt bonum; ideoque voluntati conſonum, ac ſuaue. Hinc fit, concupiſcentiam eſſe radicem, ex qua prouenit, quòd non ſint inuoluntaria, quæ procedunt ex ipſa; ſecùs autem metum. Ratio eſt. Nam, quæ fiunt ex affectû obiecti conſoni, & ſuauis, hauriunt ex ſua radice

dice fieri suauiter, & delectabilitèr; non verò inuoluntariè. Vnde, si alioquin displicebant, displicere desinant adueniente prædicto affectu. Contra vero, quæ fiunt ex affectu obiecti dissoni, tristis, & insipidi, ac proinde ex affectu suapte natura cruciante, & acerbo, hauriunt ex sua radice fieri molestè, cum displicentia, & tristitia; proindèque inuoluntariè. Quare, si alioquin, timore non incusso displicerent, similitèr incusso timore displicent.

12 Verba quidem speciosè composita, in quibus nonnihil tangitur, quod ad veritatem inueniendam prodest, vt in explicatione nostræ sententiæ constabit. Ea tamen solutio non satisfacit. *Primò*, quia, vt expendimus contra solutiones præcedentes; tametsi concupiscentia deseruiat adhoc, vt ea, quæ fiunt ex ipsa, efficiantur suauitèr, & delectabiliter; non tamen semper præstat, quòd ea suauitate, iucunditateque efficiatur, vt absumatur omnis displicentia circa ipsa; nihilque prohibet coniunctionem eius concupiscentiæ cum tali displicentia. At, non impedita tali coniunctione, remanent secundùm quid inuoluntaria, quæ ex concupiscentia fiunt: quippe, quæ remanent terminantia displicentiam voluntatis actualem: ergo solutio tradita insufficiens est ad excludendum vniuersalitèr inuoluntarium secundùmquid, ab his, quæ fiunt ex cōcupiscentia. *Secundò* in his, quæ de timore dicuntur æquiuocationem timeo. Nam licèt ex radice affectus auersantis malum oriatur displicentia, & tristitia, quòd adueniant ea, quibus tale malum propinquius est; non tamen oritur displicentia, & tristitia, quòd fiant ea, quæ proficiunt ad auertendum illud malum: quemadmodum ècontra, quamuis ex radice affectus prosequentis bonum oriatur complacentia, & gaudium, quòd ea eueniant, quæ reddunt propinquius tale bonum; non tamen oritur complacentia, & gaudium, quòd accidant ea, quæ tale bonum impediunt. At, quæ fiunt ex metu non sunt ea, quæ reddunt propinquius malum, quod terret; sed quæ tendunt ad illud auertendum: ergo metus non est radix, ex qua in eorum effectione displicentia, molestia, tristitiáque deriuetur.

13 At, quia solutio se protegit verbis illis D. Thom. in solut. ad 2. forsan minus benè intellectis, confirmo superiora ex D. Thom. qui docet 1.2 *quæst.29.art.2.* odium mali caussari ex amore boni oppositi. Quapropter, vitæ amor erit radix,

dix, ex qua oritur timor mortis. Ex quo sic argumentor. Vel timor mortis v.g. est affectus suapte natura acerbus, & crucians; vel non? Si hoc vltimum: ergo malè intulisti ex intrinseca illius acerbitate molestiam, & acerbitatem deriuare in ea, quæ ex ipso fiunt. Si primum: ergo sicut timor mortis suapte natura acerbus potest habere pro radice amorē vitæ suapte natura suauem; ita timor acerbus mortis poterit esse radix non deriuans insuauitatem, & molestiam in operationes ex ipso factas ad euitandū malum, quod timetur. Si enim potest ex suaui radice prouenire fructus non suauis; cur non poterit ex acerba radice prouenire fructus non acerbus?

14 Traditæ solutioni adijciunt alij. Fieri aliquid ex metû est fieri aliquid tanquam minus malum ad euitandum maius. Vnde, quod aliquid fiat ex metû importat, quòd sit malum, cui veluti suo iure debetur displicentia. At, fieri aliquid ex concupiscentiâ non importat, quod illud sit malum; sed quòd sit vtile ad consecutionem boni delectabilis concupiti: vnde fit, nō importare ex ratione fiendi ex concupiscentiâ, quòd sit aliquid, cui displicentia quasi debeatur; ac proinde potior ratio est, ad hoc, vt sint inuoluntaria secundùm quid ea, quæ fiunt ex metû, quàm ea, quæ ex concupiscentiâ efficiuntur. Hæc summatim perstringunt, quæ latius defendunt Doctor Eximus *disp. 3. sect. 4. n. 4.* Lorc. *in expositione art. 7. §. Hæc doctrina* fine. Gregorius Martinez *hic dub. 1. §.* Dico secundò *in solut. 2.* Cursus Carmel. *supra num. 2.* P. Obiedo *tract. 2. controuers. 3. punct. 3. n. 49.* *Suarez* *Lorca* *Carmel.* *Obied.*

15 At, in primis isti Autores benè viderunt, vt ipsos legenti constabit, quòd ea, quæ fiunt ex concupiscentiâ sint quandoque inuoluntaria secundùm quid: licèt enim natura huiûs, quod est *fieri ex concupiscentia* non importet in suâ ratione molestiam, aut maliriam eiûs, quod ex concupiscentiâ fit, fundantem displicentiam; permittit tamen, quod aliundè tale obiectum sit molestum, & displicens, vt quando auarus cum ingenti animi renitentiâ magnam summam pecuniarum impendit, vt potiatur fœminâ, quam deperit, vel, vt obtineat Cathedram, quam ardenter ambit. At, quia hoc Autores isti fatentur, & quodammodo poterunt explicare D. Th. *art. 7. cit. in solut. ad. 2.* dicentem: *Quod per metum agitur quodammodo est inuoluntarium; sed quod per concupiscentiam*

agitur

agitur, nullo modo: sic enim distinguent: *nullo modo* ex ratione fiendi ex concupiscentiâ *est verum*: ex accidenti *est falsum*: cum tamen, quæ fiunt ex metu sint quodammodo inuoluntaria ex ipsâ ratione fiendi ex metu, vt explicatum est. Quia, inquam solutionis Autores sic se defendent, ostendamus aliter falsitatem solutionis.

16 Et, vt terminis malè perspectis nõ impediaris, obserua: Fieri volũtariè stat dupliciter fundamẽtalitèr, & formaliter. *Fũdamẽtalitèr* non est aliud, quã fieri obiectũ repræsentatum, vt malum, aut molestum; ac proinde repræsentatum secundùm rationem, secundùm quam fundare potest displicentiam. *Formaliter*, est fieri terminando actualiter huiusmodi displicentiam. Nolunt igitur præfati Autores, quòd sit de ratione facti ex metu inuoluntarietas formalis; nempè actualiter terminare displicentiam; sed solum inuoluntarietas fundamentalis: nempè repræsentari secundùm rationem aptam fundare displicentiam. ¶ Iam sic arguitur. Neque fieri ex metû; neque fieri ex concupiscentiâ importat essentialitèr ex his rationibus inuoluntarietatem fundamentalem. At, ex aliâ parte quodlibet ex prædictis permittit, quod aliunde veniat talis inuoluntarietas: ergo discrimen assignatum est nullum. Consequentia patet. Maior quoad secundam partem, & aduersariorum est, & certa. Quoad primam partem probatur. Ratio formalis fiendi ex metû stat præcisè in eo, quòd fiat ad euitandum malum terrens, prout vtile ad talem euitationem. At, hæc ratio licèt importet, vt id, quod sic fit appareat vtile ad euitandum eiusmodi malum; non tamen importat, quòd malum, aut molestum appareat, in quo stat inuoluntarietas fundamentalis: ergo ratio formalis fiendi ex metû non importat inuoluntarietatem fundamentalem. Quamobrem, fieri aliquid ex metû, iam cum eo stat, quod opus sic factum appareat molestum, vt cum ex timore naufragij proijciuntur diuitiæ, quarum proiectio satis apparet molesta; iam cum eo, quòd opus ita factum non appareat molestum, vt *disp*. 7. *num*. 22. dicebamus de illo, qui ex metû mortis cibos comedit sibi gratissimos, quos ad conseruandã vitam vtiles videt. Similitérq; fieri aliquid ex concupiscentîa, iam stat cum eo, quòd non appareat molestum, quod ita fit, vt patet; iam cum eo, quòd molestum appareat, vt impendium ingentis summæ ad consecutionem rei concupitæ. Vnde patet veram esse mino-

rem

rem nostri discursûs, quem optimè obseruatum reperio ab Ildephonso Baptista Dominicano *disp. 93. num. 31.*

17 *Quintò* respondebit aliquis. Quod fit ex concupiscentia nihil admiscere inuoluntarij, si concupiscentia boni delectabilis existat sine intermistione metûs; secus quãdo existat cum metu permixta, in quo casu ratio inuoluntarij prouenirer ex permixto metu, quæ tamen ratio deesset, si metus deficeret. V.g. impendium ingentis summæ factum ad explendum libidinem; est secundùm quid inuoluntarium: quia cum ea concupiscentia, ex quâ fit, admiscetur horror amittendi bona, quæ impenduntur, eoque horrore sublato non esset, adhuc secundùm quid, inuoluntarium impendere talia bona. Quam cogitationem aliquibus suggerent, quæ P. Suarez scribit *sup. num. 3.* eadem tamen impugnationem mihi suggerunt. Nam: *Primò*. Quæ fiunt ex metu fiunt inuoluntariè secundùm quid, non quia præstet metus, quòd ea displiceant; sed quia præstat, quòd efficiantur; cum tamen aliunde voluntati displiceant, vt ex communi sensu dicebamus *disp. 7. num. 39.* At, quæ fiunt ex concupiscentia, fiunt, iuxta hanc solutionem, inuoluntariè secundùm quid; non quia præstet concupiscentia, quòd volũtas talia obiecta exhorreat; sed quia præstat, quòd efficiantur; cum tamen aliundè voluntas exhorreat ipsa: ergo nisi ad aliam solutionem recursus fiat, sunt simili modo inuoluntaria secundùm quid, quæ ex concupiscentia, & quæ ex metu fiunt. ¶ *Secundò* ex P. Suarez. Nam, vt admixtus metus iuuat ad inuoluntarium eorum, quæ fiunt ex concupiscentia v.g. timor amittendi diuitias ad inuoluntarium expendendi illas propter comparandam delectationem; ita ad inuoluntarium eorum, quæ fiunt ex metu iuuat concupiscentia: v.g. desiderium, & cupido retinendi propria bona ad inuoluntarium ea proijciendi propter seruandam vitam: ergo ex hac parte discrimen non est.

CAP. III.

Concluditur aliarum responsionum oppugnatio.

18 **S***extò* respondebis ex Gregorio Martinez *supra dub. 1. § Dico primo, & dico secundo*, & ex Curiel *dub. 2. conclus. 1. & 2.* distinguens in duplici classe ea, quæ ex concupis-

cupiscentia fiunt. Alia enim fiunt ex concupiscentia tanquam obiecta secundaria, nempè tanquam media ad acquirendum obiectum primarium; scilicet, bonum concupitum: & hæc non semèl fiunt cum mixtura inuoluntarij secundùm quid, vt ex adhibitis exemplis patet. Alia vera fiunt ex concupiscentia, tanquam obiectum primarium; nempè ipsum bonum concupitum; idque bonum, ex concupiscentia factum, nullam admittit mixturam inuoluntarij secundùm quid. *Voluntas enim tendens ex concupiscentia in obiectum primarium ipsius concupiscentiæ omnibus modis voluntariè tendit, & nullo modo inuoluntariè secundùm quid.* Verba sunt, & ratio Gregorij Martinez, quæ tamen videntur pura repetitio conclusionis.

Martin.

19. At hæc solutio: *Primò* videtur contra mentem D. Th. quem studiosè, ac laudabilitèr nituntur defendere præcitati Autores. Tum, quia D. Thom. modo, quo concedit esse inuoluntaria, quæ fiunt ex metû, negat inuoluntaria esse, quæ fiunt ex concupiscentiâ, vt constabit legenti *art. 6. & 7.* si tamen sincerè legantur, citra contentionem detorsionis ad mentem animi iam aliter præoccupati. At modus, quo, iuxta D. Th. nó sunt inuoluntaria, quæ fiunt ex metû, est, quatenus media, quæ eliguntur ad declinandum malum; quod metus fugit, fiunt animo renitente: ergo modus, quo, iuxta D. Th. non sunt inuoluntaria, quæ fiunt ex concupiscentiâ, est, quatenus media, quæ eliguntur ad acquirendum bonum, quod concupiscentia prosequitur, fiunt animo non renitente. ¶ Confirmatur. Nam D. Th. *eo art. 7. in solut. ad 2.* discrimen adhibens inter ea, quæ per metum, & ea, quæ per concupiscentiam aguntur, ait, ea, quæ per concupiscentiam aguntur, si prius repudiabantur, iam non repudiari actualiter præsente concupiscentiâ; ea vero, quæ per metum aguntur, si prius repudiabantur, etiam repudiari actualitèr præsente metû: idque significat D. Tho. verbis vniuersalibus, nullâ limitatione adiecta. At, opera facta ex concupiscentiâ, quæ prius repudiabantur, sunt, vt in pluribus, media impendiosa, laboriosa, & molesta, quæ ad consecutionem boni cócupiti sunt necessaria; non autèm ipsa bona concupita: hæc enim, neque ante concupiscentiam repudiari solent, saltem, quando sunt bona vel honesta, vel indifferentia: ergo, si vera est aduersariorum sententia, verba D. Th. quæ sunt illimitata quoad sonum, sunt adeo limitata quoad sensum, vt non complectantur, quæ vel semper

D. Tho.

D. Tho.

semper, vel vt plurimum repudiabantur ante concupiscentiam; sed tantum, quę vel nunquam, vel vt minimùm repudiãtur ante ipsam.

20 *Secundò*. Falsa est absolutè doctrina tradita. Contingere nanque solet finem concupitum habere sibi adiunctas lõgè plures, ac validiores rationes displicentiæ; quàm medium. Sic, si finis, quem concupiscis, sit concumbere cum muliere nuptâ, quæ procliuis est, vt paruis factis expensis consentiat; medium est exiguos sumptus facere, quod exiguam habet displicentiæ rationem. Finis autem est concubitus cum eâ fœmina, quem præter offensam Dei, ponamus habere sibi adiunctũ periculum contagiosi morbi corporis, & animi languorem, discrimen honoris, & vitæ: quia in his circumstantijs difficile est adulterium non vulgari, eoque vulgato bonum nomen non amitti, mortemque à marito nobili, strenuo, & honoris amantissimo non intentari. Tunc sic. Id, quod conducit, vt prædictus finis executioni mandetur sine vllâ renitentiâ animi, est appeti propter se; quod autem conducit, vt executioni tradatur, animo renitente, est tot, ac tam validis rationibus indui prouocantibus ad resistentiam. At, rationes istæ multò magis, vel saltèm non minus conferunt ad resistentiam animi, quàm conferat appeti propter se ad omnem resistentiam excludendam: ergo pensatis omnibus, longè potior, vel æqualis saltem ratio erit, vt concupiscentiæ finis fiat inuoluntariè secundùm quid, quàm, vt non ita fiat. Confirmatur. Tametsi aliquid conferat ad hoc, vt medium fiat sine displicentiâ, quod tale medium appetatur propter finem delectabilem; hæc tamen ratio insufficiens est ad excludendum funditùs displicentiam, quando tale medium apparet aliunde molestum, vt ipse doces: ergo quanuis multò magis conferat ad hoc, vt finis fiat sine displicentiâ, quòd appetatur propter se; tamen hæc ratio insufficiens erit ad extirpãdã radicitùs displicẽtiã circa finẽ, quando talis finis apparet aliunde multo magis molestus, quàm medium, vt euenit in casû posito. Quanuis enim in vno casu sit minor appetentia obiecti, & in alio maior; fiet tamen iusta compensatio quia in casu maioris appetentiæ est obiectum magis molestum; & in casû minoris appetentiæ minus molestum.

21 *Tertiò*. Satis ægrè percipio, quomodo Gregorius Martinez hoc suo discursû contendat assignare discrimen inter *Martin.*

illa;

illa, quæ fiunt per metum, & ea, quæ fiunt per concupiscentiã. Nam, sicut consecutio boni concupiti est principale obiectũ, ad quod impellit concupiscentia: quia finis concupiscentis est consequi bonum concupitum, & propter hunc finem adhibet alia media; sic euitatio mali terrentis erit principale obiectũ, ad quod impellit metus: quia finis timentis est euitare malum, quod timet, & propter hunc finem adhibet alia media. Deinde, per te, sicut media ad euitandum malum quod timetur adhiberi solent animo resistente propter rationes, quas habent ad excitandam displicentiam; sic media ad consequendum bonum, quod appetitur adhiberi solent animo reluctante, quia pluribus de causis molestiam pariunt. Demum. Sicut ille finis, & obiectum principale, ac primarium concupiscentis; nempè, consequi bonum delectabile non solet displicere; ita ille finis, & obiectum principale, ac primarium timentis, nimirûm, euitare malum incommodum non solet displicere; imò multo minus: nam difficilius est priuationem mali incommodi rationibus vestiri, quæ molestiam afferant, quàm eis rationibus vestiri consecutionem boni delectabilis: ergo in casibus metus, & concupiscentiæ paritas est in inuoluntarietate obiecti secundarij, minusque principalis; nempè mediorum & non est disparitas in non inuoluntarietate obiecti primarij, magisque principalis, nempè finis. Argumentum hoc modo propositum solutionem vnam remouet, quæ ex hoc autore posset afferri. Quocirca, illam non refero, sicut neque quædam alia, quæ in solutiones iam satis impugnatas recidunt: qua de causa prætermittuntur etiam, quæ adduci possent ex Curiel.

22 Respondebis septimò ex præstantissimo nostræ tempestatis Theologo, & Eminentissimo Cardinali de Lugo in manuscr. de Actibus humanis, discrimen assignans inter operationes factas ex metu, factasque ex concupiscentia. Discrimen autem petendum non est, ex eo quod operationes factæ ex metu exerceantur cum renitentia simplici voluntatis contra ipsas; & non sic operationes factæ per concupiscentiam: vtræque nanque solent exerceri sic resistente voluntate. Petendum ergo ex eo est, quòd operationes factæ ex metu exercentur, tali existente affectû, qui causet tristitiam, & dolorem in ipsa operatione facta ex metu, vt in diuitiarum proiectione cernere est, quæ propter naufragij metum mœstè, ac dolenter fit. At, verò, quando ex concupiscentia operamur, simplex

plex displicentiæ affectus, qui circa eam operationem dari solet, non causat dolorem, & tristiam; sed potius ea operatio simpliciter, ac purè exercetur cum gaudio. Ita, qui magnificam, & amænam villam emit prætio valde moderato, quamuis habeat simplicem resistentiam contra expensionem pecuniarum; expendit tamen illas sine dolore, pureque cum lætitiâ. Cuius discriminis ratio à priori videtur esse: quòd in casû concupiscentiæ voluntas pascitur bono, quod denuo venit, daturque vera, vel falsa existimatio, quod maius est acquisitum lucrum, quàm iactura facta. Qui enim operatur ex concupiscentiâ, semper inuenit lucrum verum; vel apparens. Cum igitur non sit materia tristitiæ; sed purè gaudij, maius esse lucrum acquisitum, quàm iacturam factam, cõsequens planè est in hoc euentu purum interuenire gaudium, non tristitiam. At in casu metûs non agitur, de acquirendo lucro; sed de impediendâ maiori iacturâ factâ minori: Quamobrem, qui operatur ex metû in eas angustias coniectus est, vt necesse sit detrimentum pati, quouis modo se habeat. Nam, si non operatur malum illud minus, quod requiritur ad euitandum maius, patitur hoc maius detrimentum; si autèm operatur minus illud malum patitur hoc detrimentum minus. Cum igitur, maius, vel minus incommodum pati sit materia tristitiæ maioris, vel minoris, consequens est, in euentû operandi ex metû interuenire tristitiam.

23 Sic ratiocinatur eleganter, & acutè, vt semper, grauissimus Autor, cui doctissimus P. Sfortia Pallauicinus subscribit 1.2. *disput*. 4. *quæst*. 1. *art*. 1. *&* *n*. 2. magnâque ex parte P. Arriaga *disp*. 11. quamuis enim videatur ex parte traditam reprobare cogitationem num. 29. vers. *Hæc tamen responsio*, fauet non parum vers. *Facilius ergo*, quatenus ait operationes ex metû factas inuoluntarias esse secundùm quid, quia non fiunt cum lætitiâ, cũ quâ fiunt operationes factæ ex concupiscentiâ quod inde prouenit, quia non operamur ex metu, vt lucremur nouũ bonũ, sedne amittam⁹ bonũ præhabitũ, vitã v.g. vel honorẽ: At, per cõcupiscẽtiã operamur, vt lucremur nouũ. Notissimum autem est ipso experimento, conditionem humanam eam esse, vt non tàm lætemur ex continuatione boni præhabiti, quàm ex noua acquisitione alterius. ¶ Si obijcias his Autoribus primò, iam ipsos fateri operationes factas ex concupiscentia esse inuoluntarias secundùm quid, quippè fieri faten-

P

tentur cum resistentia simplici voluntatis, in quo stat inuoluntarium secundum quid: Respondet P. Arriaga *sup. n.* 28. quæstionem esse de solo nomine; neque decernit, quomodo loquendum sit: Subtilius responderi poterit ex P. Sfortia, inuoluntarium secundùm quid non constitui in ratione talis per quanlibet displicentiam voluntatis: nam alioquin omnis operatio libera esset inuoluntaria secundùm quid: nam vt libera sit, necesse est, quòd non proponatur vndequaque bona; sed ex parte mala, & consequentèr, quoties libera est, habet aliquid displicentis: cõstituitur ergo operatio in ratione inuolũtariæ secũdũquid per hoc, quod displiceat eâ displicẽtia, quæ in exercitio talis operationis plus affert tristitiæ, quã lætitiæ.

24 Hinc, si obijcias secundo, discrimen, quoad inuoluntarium, & non inuoluntarium operationum, non esse petendũ ex tristitiâ, vel lætitiâ, quæ post factum veniunt; sed ex resistentiâ, vel non resistentiâ voluntatis præcedente ad operationem: Distinguent id vndè petitur hoc discrimen constitutiuè, & à priori; atque id vnde petitur tanquam à signo, & à posteriori. Sumitur tanquam à signo, & à posteriori ex tristitiâ, vel lætitiâ subsequentibus ad operationem, vt non semel docuit Aristot. Sumitur autem constitutiuè, & á priori ab antecedente resistentiâ voluntatis, non qualicunque; sed inductiua tristitiæ in exercitio operationis. Demùm, si tertio obijcias ex P. Arriaga, non semper quòd operamur ex concupiscentia dari iudicium, quo putemus melius esse quod acquirimus, quàm quod amittimus, alioquin, qui ex concupiscentia traditur turpi libidini, iudicium haberet hæreticum, quo diceret, melius esse sic delectari, quam Deum amicum habere, & æterna gloria potiri: Responsio erit, opus non esse, quòd tale iudicium adsit ad operandum in eo euentû ex concupiscentia; bene tamen iudicio enuntiãte fore hic, & nũc iucundiorẽ eã operationẽ libidinosã propter carnis illicebras, quã molestã, & acerbã propter alias discõueniẽtias adiũctas.

25 Hæc tamen sententia non mihi satis placet. *Primò.* Quia neque nostra peccata; neque Dei concursus ad materiale ipsorum; neque peccatorem deuouere pœnis æternis displicent Deo ea displicentia, quæ possit in ipsum Deum inducere tristitiam; & tamen scriptura, & Patres satis significant hæc omnia esse quodammodo, nempè secundùm quid, inuoluntaria Deo, ratione displicentiæ, per quam ipsi displi-

cet

plicet ipsorum executio, vt videre est apud P. Ruiz *disp. 19. de Voluntate Dei.* Ideo dicitur *Isaiæ 43 vers. 24. Verumtamẽ seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Quæ satis denotant quodammodo coactè, & quasi laboriosè tractum esse Deum, & ab arbitrij nostri prauitate determinatum ad coniunctionem cum peccatis. Elegantèr Bernard. serm. 5. in natali Domini. *Nam, quod iudicat, & condemnat nos eum quodammodo cogimus.* Et quidem: *coactum quodammodo*, & *inuoluntarium secundùm quid* sunt termini synonimi. Rursus acutissimè Anselm. quem adduxi *disp. 11. de Prædestin. num. 24.* ait (loquitur de peccato Angeli mali) *Non solùm hoc habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat; sed etiam quod iniustè rapit Deo permittente, &c.* Expende primo. Rapitur ab alio, quod contrectatur *ipso inuito.* Secundò, Anselmus contraponit iniustè raptum; & spontè datum; vnde, sicut spontè datum significat voluntarietatẽ, sic iniustè raptum significat inuoluntarietatem. ¶ Neque obstat, quod adducebamus *num. 23. fine* ex P. Sfortia. Tum, quia potest esse tàm tenuis, vel tàm inefficacitèr repræsentata malitia operationis eligibilis liberè, vt licet sufficiat ad non necessitandam voluntatem, vt eligat absolutè talem operationem; non tamen sufficiat, vt necessitet ad displicentiam simplicem: vnde poterit hæc displicentia cohiberi; & sic eligi liberè talis operatio citra omnem admixtionem inuoluntarij. Tum; quia bonitas eius operationis potest esse tanta, & tàm efficacitèr apparere, vt necessitet moralitèr ad electionem absolutam eius operationis; necessitetque physicè ad tã magnam complacentiam circa ipsam, vt omnem displicentiam absumat. Tunc autem ea operatio euadet libera citra omnem admixtionem displicentis, & inuoluntarij. Iam verò, liberas operationes sœpissimè admiscere nonnihil inuoluntarij non est inconueniens.

Ruiz
Isaias.
Bernar.

26 *Secundò.* Stat operationem fieri ex concupiscentiâ; & tamen ex alio capite fieri cum displicentiâ inductiuâ tristitiæ: ergo potest fieri ex concupiscentiâ; & tamen inuoluntariè secundùm quid. Probatur antecedens. Stat operationem fieri ex concupiscentiâ; & tamen fieri cum notitiâ, quòd bonum rationis, & honestatis, quod deseritur, est maius, & æstimabilius, quàm bonum appetitus, & iucunditatis, quod acquiritur; nempè cum notitia, quòd æstimabilius est bonum inno-

centiæ, amicitiæ cum Deo, iurisque ad beatitudinem; quàm sordida delectatio libidinis. At, stante hac notitia simul cum concupiscentia, nihil prohibet quominus adiungatur displicētia rationalis, circa talem operationem, allatiua rationalis tristitiæ; imò longè maioris tristitiæ rationalis, quàm sensitiuæ voluptatis, quam affert concupiscentia: quo scilicèt maius est bonum honestum, quòd deperditur, quàm bonum delectabile, quod acquiritur: ergo operatio facta ex concupiscentia potest componi cum displicentia inductiua rationalis tristitiæ. Confirmatur. Si aliqua operatio fiat cum notitia, quòd per talem operationem comparatur quoddam bonum delectabile; perditur tamen aliud bonum delectabile maius; talis operatio fieret proculdubio, vel fieri posset cum displicentia inductiua doloris, quasi sensitiui de amissione boni delectabilis sensibilis: ergo, si operatio fiat cum notitia, quòd per talem operationem lucramus quandam quādā delectationem sensibilem; amittimus tamen maius, & longè æstimabilius, bonum honestum, stabit, fieri talem operationem cum displicentia inductiua rationalis tristitiæ de amissione boni honesti secūdùm rectam rationem expetibilis.

27. Confirmatur secundò. Instante concupiscētia, quæ cogitationem acuit circa iucunditatem operis, accidit frequētèr, homines timoratæ conscientiæ, non solùm inefficacitèr; sed etiam efficacitèr resistere, eo scilicèt ducti, quòd licèt ex vna parte animum inuitet iucunditatis commodum, quod reportabunt; aliundè tamen animum auertunt superiora bona honesta; quorum iactura fiet: ergo longè facilius poterit cum simili concupiscentia, & cogitatione; quibus homo nequam succumbit, displicentia inefficax allatiua tristitiæ circa eam operationem componi.

CAP. IIII.

Relatis Autorum sententijs, exponitur vera sententia.

28 His reiectis. *Prima* sententia est, quæ sine limitatione docet, concupiscentiam, ita causare operationem, vt ea operatio nihil habeat inuoluntarij, etiam secundùm quid. Ita sentire videntur P. Vazquez *disput.* 28. *cap.* 4. P. Amicus *disp.* 3. *sect.* 5. *num.* 140. Cornejo *disp.* 4. *dub.* 1. *num.* 2. apud quem Valentia, Azor, & alij, qui pro se affe- *Vazq.* *Amic.* *Cornejo.*

runt

runt Aristot. Damascen. & D. Thom. *Secunda* sententia est, operationem causatam à concupiscentiâ per modum medij ad obtinendum bonum concupitum posse causari inuoluntariè secundùm quid; secùs autem bonum ipsum concupitum. Ita Gregorius Martinez, & Curiel citati *num.* 18. *Tertia* sententia est, quæ docet concupiscentiam non causare aliquid, quod fiat inuoluntariè secundùm quid: hoc tamen intelligendum esse cum his limitationibus *regulariter, & per se.* Nam extraordinariè, & per accidens oppositum euenit. Ita P. Suarez *sup. sect.* 4. *num.* 5. P. Præposit. 1. 2. *quæst.* 6. *artic* 7. P. Tanner. *disput.* 2. *de Actibus human. quæst.* 1. *dub* 7. P. Baldell. *disput.* 24. *num.* 6. P. Granad. *controu.* 2. *de Actibus hum. tract.* 2. *disput.* 9. *sect.* 2. *præsertim num.* 9. Lorca 1. 2. *quæst.* 6. *in exposit. art.* 7. Baptista *disput* 93. *fragment.* 5. *in* 2. *&* 3. *conclus. Quarta* sententia est absolutè docens, concupiscentiam causare operationem alioquin inuoluntariam secundùm quid. Sic videtur sentire P. Arriag. *disp.* 11. *num.* 28. Fauet plurimum Auersa 1. 2. *quæst.* 6. *sect.* 14. *vers. Atque ex his patet.* Expressè Pascualig. *disput.* 17. *de Voluntar. section.* 5. *conclus.* 1. citans pro hâc sententiâ Angest. & Rainaud.

Aristo. Damas. S. Tho. Martin. Curiel. Suarez. Præpos. Tanner. Baldell. Granad. Lorca Baptista Arriag. Auersa Pascual. Angest. Rainau.

29 Tertia sententia, quæ reliquis est communior, mihi est verissima, si duabus istis propositionibus explicetur. *Prima* est. Concupiscentia ex accidente non suscipiendi totum quantum potest augmentum, causare potest operationem, alioquin inuoluntarium secundùm quid. Hãc propositionem satis efficaciter suadent adducta *cap.* 2. *&* 3. quibus nihil addendum occurrit. *Secunda est.* Concupiscentia suscipiens totum quantum capere potest incrementum, nequit *ex natura rei* causare operationem alioquin inuoluntariam secundùm quid. Probatur. Quia nequit concupiscentia operationem causare alioquin inuoluntariam secundùm quid, si circa talem operationem excludat omnem resistentiam voluntatis, etiam simplicem. Hanc autem excludit omninò concupiscentia suscipiens totum quantum capere potest incrementum: Cuius ratio est. Quia forma, quæ radicaliter, vel formaliter pro maiori, & maiori sua quantitate magis, & magis excludit aliam formam excludet omninò hanc aliam formam, si forma illa exclusiua suscipiãt totum quantum potest incrementum capere; dummodo aliunde non sit specialis repugnantia, Vt per eam for-

mam exclusiuam fiat adęquata exclusio alterius. Id, quod verissimum apparet, inductioneque formarum excludentium alias constat satis. At, concupiscentia, prout magis, vel magis crescit, magis, & magis, vel formalitèr: vel radicalitèr excludit resistentiam etiam simplicem voluntatis circa operationem, quæ exercetur ex concupiscentiâ. Nam, quò maior est concupiscentia circa aliquid, eò suauius redditur illud operari: nec non, ea operari, quæ ad illud obtinendum conducunt; & quò suauius voluntati redditur aliquid operari, eo magis, quæuis resistentia voluntatis circa illud minuitur: ac de cætero nulla inuenietur specialis repugnantia, quominus omnis resistentia voluntatis circa operationem excludatur per concupiscentiam: ergo si concupiscentia suscipiat totum quantum potest incrementum capere circa operationem, excludet ex natura rei omnem resistentiam voluntatis etiam simplicem circa talem operationem. ¶ Dixi: *ex natura rei*, quia non est contradictio, Deum per potentiam absolutã conseruare talem resistentiam non obstante eo incremento concupiscentiæ.

30 Dices primò, hanc rationem laborare falsâ suppositione; scilicèt, ita posse concupiscentiam crescere, vt nequeat ampliùs augeri: cur nanque, signato quolibet incremento, nõ poterit ampliùs, & ampliùs crescere in infinitum? Sed contra. Quia tametsi possit amplius, & amplius in infinitum crescere concupiscentia, inspecta potestate supernaturali Dei, de quo disputare non placet; tamen, cum finita sit vis concupitiua appetitûs, tandem veniri poterit ad eum concupiscentiæ gradum, vltraquem concupiscentia nequeat amplius crescere ex natura rei: concupiscentia autem in tanto gradû aucta, ita suauem reddet operationem, circa quam versatur, vt omnem resistentiam voluntatis circa talem operationem excludat, vt contingit ferè semper in omnibus formis exclusiuis aliarum. ¶ Dices secundò, nullum esse discrimen inter concupiscentiam, & metum in ordine ad inuoluntarium eorum, quæ fiunt ex ipsis; cum tamen sit ferè præcipuus huius disputationis scopus illud assignare. Probatur sequela. Nam concupiscentia, si valdè magna non sit, stat cum eo quòd fiat inuoluntariè secundùm quid operatio, quam causat, in quo conuenit cum metû. At, si metus valde magnus sit, non minori ratione excludit totum inuoluntarium operationis factæ

ex

ex metu, quàm illud excludit concupiscentia valde magna: ergo paritas est adæquata.

31 Minor probatur. Nam, ex duplici capite peti potest cõcupiscentiam valde magnam excludere totũ illud inuoluntarium: vel, quia præ sui magnitudine excludit totam attentionem ad incommoditates eius operationis fundantes resistentiam voluntatis circa ipsam; solumque relinquit locum ad cõsiderationem vtilitatis eius operationis pro delectatione capiendâ; & hoc similitèr inuenitur in metu: si enim sit valde magnus excludet paritèr totam attentionem ad incommoditates operationis; neque aliud considerare sinet, quàm eiusdẽ operationis vtilitatem, & necessitatem ad euitationem mali valde terrentis. Vel secundo, quamuis concupiscentia valde magna non excludat totam considerationem incommodorũ eius operationis, potest excludere totum inuoluntarium, eò quòd sic insumat totam virtutem animi, vt non relinquat vires expeditas ad exprimendam resistentiam voluntatis circa talem operationem. Si autem, magnitudo concupiscentiæ potest hoc præstare, non est cur nequeat idem præstare magnitudo metus. Nullum ergo est discrimen. ¶ Respondeo, discrimen in hoc stare, quód concupiscentia valde magna non solùm ex prædictis rationibus metui communibus, potest excludere totum inuoluntarium operationis; sed etiam speciali titulo non communi metui præcisè sumpto, vt condistincto à concupiscentia. Cuius ea ratio videtur esse.

32 Quia metus præcisè sumptus duo importat. *Primum* esse affectioné animi fugientis à malo horribili. *Secundum* esse formaliter, vel virtualitèr affectionem animi prosequentis euitare incommodum. Quod si vlterius adderetur, esse affectionem animi prosequentis comparare commodum delectabile, iam non sisteremus in metũ præcisé sumpto; sed transiremus in concupiscentiam. Porrò, si metus præcisè spectetur, vt fuga animi ab horribili malo, non est affectio voluntatis suauitèr conuersæ ad bonum; sed acerbè auersæ à malo. Si autem spectetur, vt prosecutio circa euitationem incommodi; certè, quamuis non sit affectio positiuè acerba circa hoc obiectum, quia euitare malum non est quid molestum, quod animus refugiat; non tamen ideo est prosecutio suauis circa talem euitationem. Cum enim animus per talem affectum metûs non tendat in ipsam, vt commodam, & delectabilem; sed præcisè,

vt impeditiuã mali horribilis, & sanè quamuis non tendat in ipsam positiuè cum acerbitate; tamen neque tendit positiuè cum suauitate. Quo fit, vt licet metus possit euertere inuoluntarium operis facti, ad euitationem mali terrentis ex capitibus recensitis *num.* 31. non tamen ex eo, quòd afficiat animum suauitèr circa euitationem eiûs mali: hæc enim suauitas consistit in complacentia circa bonum, vt positiuè delectabile, quæ complacentia non competit metui præcisè sumpto. At verò, magna concupiscentia circa obiectum est magna animi prosecutio circa bonum, vt positiuè delectabile, ac proindè suauitèr afficit animum circa consecutionem eius boni, & per quandam redundantiam circa exhibitionem eorum, quæ ad eiûs consecutionem conducunt; cumque suauitas ista magnopere conferat, vel ad leniendam, vel ad omnino absumendam (pro minore, vel maiore quantitate suauitatis) resistentiam voluntatis circa opera, quæ fiunt ex concupiscentiâ; consequens planè est, concupiscentiam speciali ratione, quæ non competit metui, aduersari inuoluntario prædictorum operum. Iuxta quam doctrinam mihi videtur intelligenda profunditas Aquinatis *in præsenti artic.* 7. *ad* 1. *&* 2.

33 Ex his primò sequitur, cur libentiùs moueamur spe, ac promissione boni, quàm timore, comminationeque mali. Quia ex boni spe redundat suauitas, quæ mitigat, vel absumit resistentiam voluntatis circa opera, quæ pro consecutione boni, quod speratur, exercentur. At, ex metu mali non redundat ea suauitas in opera, quæ adhibentur pro euitatione mali, quod timetur. *Secundò* sequitur congruentius fuisse irritare, vel infirmare contractus celebratos ex comminatione mali, quàm ex promissione boni: quia celebrati ex comminatione mali fiunt communiter cum magna animi resistentiâ, quam neque lenit, neque aufert, metus mali alioquin incurrendi; secùs autem celebrati ex promissione boni. Mitto alia, quæ opportunius notantur in alijs materijs.

Obiectiones contra nostram doctrinam nullæ occurrunt, quas nequeat vnusquisque facillimè expedire.

***

CAP.

CAP. V.

Quomodo concupiscentia augeat, vel minuat voluntarium?

34 Concupiscentia diuidi solet cum D. Thoma 1. 2. *q.* 24. *art.* 3. *ad* 1. & *q.* 73. *art.* 6. *ad* 2. & *q.* 77. *art.* 6. in antecedentem, & consequentem, quibus nonnulli adiungunt comitantem cum P. Salas 1. 2. *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 43. *Antecedens* est, quæ est causa voluntariæ operationis; proindeque antecedit secundùm ordinem causalitatis ad operationem. Sic motus turpes insurgentes in appetitû sensitiuo solent esse causæ proximæ; vel remotæ, ex quibus in genere impulsiuo prouenit turpis consensus voluntatis. *Consequens* est, quæ est effectus voluntariæ operationis; ideoque secundum ordinem causalitatis subsequitur ad eam operationem. Sic solent ex actibus spiritualibus voluntatis delectationes sensibiles in appetitû resultare; vt constat in illis, qui contemplatione, & amore rerum cœlestium occupati sentiunt ex his affectibus voluptates sensibiles redundare, iuxta illud Psal. 83. *Cor meum, & caro meo exultauerunt in Deum viuum.* Ex his: *Comitans* est, quæ neque causa, neque effectus est operationis voluntariæ; sed cum eâ simul existens. Vt si quodam obiecto simul proposito vt honesto, & delectabili, vno veluti ictû voluntas illud amet propter honestatem: & appetitus illud concupiscat propter delectabilitatem. In quo mirum est inuenire repugnantiam P. Obiedo 1. 2. *tract.* 2. *controu.* 3. *punct.* 3. *num.* 47. deceptum tamen quodam principio, cuius falsitas patebit *disp.* 11. D. Tho. Serra.

35 Certum est primò, concupiscentiam consequentē præcisè, & formaliter, vt consequentem, neque augere; neque minuere voluntarium illiûs actûs, ad quem consequitur, vt omnes fatētur. Nam, quod aduenit post actum iam elicitū, impertinenter se habet, vt talis actus libentiùs, aut minꝰ libētèr exerceatur. Aduenit autē post actū iā elicitū cōcupiscētia cōsequens formaliter, vt consequens. Certum est secundò, concupiscentiam comitantem præcisè, & formaliter vt comitantem, neque augere; neque minuere volūtarium. Solûm nanque potest augere, vel minuere voluntarium, quatenus sit causa talis augmenti, vel decrementi; vt sic autem, non est præcisè

comi-

comitans; sed antecedens ordine causalitatis ad eiusmodi augmentum, vel decrementum. Obseruandum tamen est, eam concupiscentiam, quæ vel consequens, vel comitans est respectû vniûs, posse, solereque esse antecedentem respectû alteriûs. Contingit enim ex adhæsione voluntatis ad obiectum honestum, quod apparet ex aliâ parte delectabile, resultare concupiscentiam erga ipsum, vt delectabile; ac rursus ex huiusmodi concupiscentiâ resultare, quòd præcedens illa voluntatis adhæsio firmior, & vehementior euadat. Tunc sanè, concupiscentia est subsequens ad talem adhæsionem acceptam quasi secundùm suam substantiam; at antecedens est respectu illius maioris firmitatis, & vehementiæ. Quamobrem, de incremento, vel decremento in genere voluntarij talis firmitatis, & vehementiæ ratione concupiscentiæ, ferendum est idem iudicium, ac de incremento, & decremento voluntarij per concupiscentiam antecedentem. Dubium igitur principale est: Num concupiscentia antecedens augeat, vel minuat in ratione voluntarij operationem illam, ad quam præcedit.

Vazq. Conrra. Arriag. Lorca Montes. Pascual. Suar. Salas. Granad. Tanner. Præpos. Amic. Auersa. Cornejo, Bapt. Valenti. Medin. Aluar. Anton. Nauar. Zumel.

36 In quo dubio. *Prima* sententia est, concupiscentiam antecedentem non augere; sed minuere in ratione voluntarij operationem illam, ad quam præcedit. Ita P. Vaz. *disp.* 28. *cap.* 2. *&* 3. *qui num.* 11. citat pro se Conrrad. Quibus subscribit P. Arriaga *disp.* 11. *sect.* 4. *subsect.* 1. *&.* 2. Idem tenent Lorca *disp.* 5. Montesin. *quæst.* 10. Pascualig. *de Voluntar. disp.* 17. *sect.* 4. ¶ *Secunda*, & communior sententia est, concupiscentiam antecedentem augere quodammodo voluntarium, vt à libero præscindens; minuere tamen liberum. Sic sentiunt P. Suar. *disp.* 3. *sect.* 3. P. Salas *tract. disp. & sect.* 3. P. Granado *controu.* 2. *de actibus hum. tract.* 2. *disp.* 9. *sect.* 3. P. Tanner. *disp.* 2. *de Actibus humanis. q.* 1. *dub.* 7. *assert.* 4. P. Præposit. 1. 2. *q.* 6. *art.* P. Amicus *disp.* 3. *sect.* 5. *à n.* 144. Auersa *hic e sect.* 13. Cornejo *disp.* 4. *dub.* 2. qui post P. Granado varios gradus voluntarij distinguit, quem imitatur omnino Ildephonsus Baptista *disp.* 94. apud quos Valentia, Medina, Aluar. D. Antoninus, Nauarrus, & Zumel. Hanc sententiã verãm opinor, si benè explicetur. Igitur pro illiûs expositione.

37 *Dico primò*. Voluntarium formale, prout præscindit à causali, & obiectiuo, communiter augetur per concupiscentiam; non tamen semper necessariò. Prima pars suadetur facilè. Nam voluntarium formale in eâ præcisione sumptum est

est ipsa volitio, quæ forma est constituens subiectum volens, & obiectum volitum. Præstat autem concupiscentia communiter, quòd hæc volitio euadat intensior, vehementior, & impetuosior: cumque maior hæc intensio, vehementiaque sit aliquod incrementum ipsiûs in ratione volitionis, patet voluntarium formale, quâ tale, communiter augeri per concupiscentiam. Confirmatur. Nam obiectum propositum viuidiùs, & efficaciûs, communiter accidit, quòd intentiùs, & vehementius amemus, quàm alioquin accideret. Præstat autem, communiter loquendo, concupiscentia, quòd sic proponatur obiectum delectabile: ergo, quòd intensiùs ametur. ¶ Hinc fit, voluntarium obiectiuum communiter augeri per concupiscentiam: quia ratio voluntarij obiectiui stat in ratione voliti. Ex eodem autem capite, quo volitio est intensior, obiectum est intensius volitum; proindeque magis voluntarium *obiectiuè*. ¶ Probatur secunda pars. Tum, quia sicut voluntas, nō obstante irritamento concupiscentiæ, potest omnino suspendere consensum, sic poterit non minus suspendere intensionem consensûs, quâm si concupiscentiæ passio non pulsaret. Tum, quia, vt docet D. Thom. 1.2.q.77. *art.* 1. *in corpore*, tanta potest esse concupiscentiæ vehementia, vt vires animi fere exhauriat, quominus posit consensum rationalem intendere. tūc autē consensus exprimetur remissior, quā non alliciente passione concupiscentiæ. Vndè tam abest concupiscentia ab augendâ necessariò intensione consensus, vt quandoque posit ipsam minuere per accidens, vt rectè notat P. Baldel, *disput.* 24. *num.* 11. *D. Tho.*

38 *Dico secundo*. Etiam voluntarium causale (id est operatio, quæ causatur à voluntate suo affectû determinante talem operationem) crescit per concupiscentiam communiter loquendo, si tale voluntarium, vel talis operatio sumatur secundùm eam rationem motiuam, secundum quam concupiscentia mouet ad ipsiûs operationis positionem. At verò, si talis operatio sumatur, prout induit rationes auertentes ab ipsiûs positione, quandoque per concupiscentiam minuitur eiusmodi voluntarium; quandoque funditùs euertitur. Colligitur conclusio partim ex præcedente, partim ex naturâ voluntarij causalis. *Primæ pars* probatur. Nam crescente alterâ parte totiûs coalescentis ex duabus, crescit aliquatenus totū. At opus, vt causaliter voluntarium, est quoddam totum coa-

lescens

lescens ex duplici parte, quarum altera, comuniter loquẽdo, crescit per concupiscentiam, modo posito in conclusione. Ergo &c. Minor probatur, & explicatur breuiter. Nam voluntarium causale importat duo, vt constat *ex disp.* 1. Alterum est esse opus factum à voluntate; alterum determinari ad existendum per voluntatis affectum. Hæc autem affectiua determinatio voluntatis ad tale opus, prout tale opus induit rationem, mediâ quâ concupiscentia mouet ad ipsum, euadit, communiter loquendo, per concupiscentiam intensior, & vehemẽtior determinatio, vt patet ex primâ conclusione: ergo opus, vt causaliter voluntarium, est quoddam totum &c.

39 *Secunda pars* probatur, loquendo claritatis gratiâ de opere libidinoso, ad quod propter delectationem concupiscentia mouet, & à quo recta ratio propter diuinam offensam remouet. Tunc sic. Præsente concupiscentiâ, prædictum opus, vt induit rationem offendendi Deum, minus est determinatum à voluntate communiter loquendo, quàm absente concupiscentiâ: ergo, & minus voluntarium sub eâ ratione in genere causali. Consequentia patet ex n. 38. Antecedens probatur. Tale opus, communiter loquẽdo, non solet esse expressè determinatũ, vt offensiuum Dei: nam communiter non exprimit voluntas hunc affectum * Volo hoc opere Deum offendere * sed hunc: *Volo hoc opere voluptatem capere.* Deinde, pręsente concupiscentiâ est, communiter loquendo, minus determinatum implicitè, vt induit offensam Dei, quàm alioquin esset. Nam hæc determinatio implicita maior est, aut minor prout tale opus eligatur cum clariori, vel obscuriori præuisione diuinæ offensæ; facitque concupiscenciæ passio menti tenebras offundens, vt ea præuisio sit obscurior: ergo tale opus, sub assignatâ ratione minus euadit, communiter loquẽdo, determinatum à voluntate, præsente concupiscentiâ, quàm aliàs euaderet.

40 Explicatur, & conciliantur opiniones. Nonnulli opinantur causale voluntarium operis facti ex concupiscentiâ minui: quia concupiscentia in causa est, vt tenuior sit notitiâ circumstantiarum, quibus tale opus induitus: passio namque mentem obtenebrat. Opinãtur alij, tale voluntarium per concupiscentiam crescere: quia notitia, quæ proponit in opere rationem delectabilis magis acuitur, quò vehementior est passio. At, neque obtunditur per passionem omnium circumstantiarum

tiarum notitia; sed illarum duntaxat, quæ ab exercitio concupiti operis remouent; neque notitia cunctarum acuitur; sed earum duntaxat, quæ ad exercitium operis cõcupiti mouent: ergo ex hoc capite decrescet voluntarium operis, vt induentis rationes remouentes; crescet tamen voluntarium illiûs, vt induentis rationes mouentes. ¶ Hinc descendit facilis probatio tertiæ partis. Quemadmodum enim, potest concupiscẽtiæ passio, quando magna est, magnopere minuere notitiam operis vt induentis rationes auertentes ab illo; & ideò magnopere minuere voluntarium operis vt sic accepti; sic ea passio, quando maxima sit, poterit excludere penitus attentionem ad opus, vt eas rationes induens, & cõsequenter funditus euertere voluntarium eiûs operis, vt huiusmodi rationes induentis.

41 *Dico tertiò*. Quando non liberè: sed necessariò eligitur opus ex passione concupiscentiæ, tale opus non euadit magis, vel minus voluntariũ, quatenus induens rationes quantum est ex se auertentes ab illo, propterea quòd intellectus magis, vel minus eas rationes percipiat. Explicatur conclusio statim probanda. Demus hominem siti tabescentem, tametsi alioquin videat potionem valde noxiam esse saluti non posse sibi tẽperare, quominus eam velit, nempè, quia vel Deus prædeterminat ipsum, vt velit bibere; vel quia modo, quem volueris, antecedente necessitate premitur, vt ita velit. Dico ergo, in hoc euentû talem potionem, vt sanitati noxiam, non esse magis, vel minus voluntariam pro maiore, vel minori aduertentiâ rationis ad eam rationem nociui. Hanc conclusionem ideo expressè propono, quia immeritò, ni fallor, videntur obsistere P. Granado *sup. num.* 18. Cornejo *sup. num.* 7. Baptista *sup. num,* 90. Probatur conclusio. Tale opus in eo euentû necessitatis antecedẽtis nullatenus est volũtariũ, vt induẽs rationem nocentis sanitati, siue aduertentia intellectualis ad hanc rationem sit plena tenuis, siue nullâ: ergo prout induens eam rationem non est in eo euentû magis, vel minus voluntarium pro maiore; vel minore aduertentiâ ad talem rationem. Antecedens probatur. Nullatenus est voluntarium formaliter, & expressè sub eâ ratione nocentis sanitati; quia vt ponimus non eligitur, vt sanitati nocens; sed vt sitim extinguens. Deinde nullatenus est voluntarium virtualiter, & implicitè, vt talem rationem induens.

Granad. Cornejo. Bapt.

42 Nam

42 Nam ad eiusmodi voluntarium virtuale, & interpretatiuum, necesse est, vt voluntas à prædictâ ratione potens retrahi non sinat se retrahere. Hoc autem deficit in præsenti casû. Nam antecedens necessitas ad tale opus præstat, vt voluntas nequeat vllâ ratione ab ipsô retrahi: ergo in euentû talis necessitatis, quâlibet aduertentiâ datâ ad eam rationē, quæ posset aliàs retrahere, nullatenus opus est voluntarium, vt induens eam rationem. ¶ Confirmatur. Nihil confert ad voluntarium ea notitia, quæ neque mouere potest ad opus; neque ab eo retrahere: ideoque certum est, nihil conferre ad voluntarium operis notitiam subsequentem ad ipsum; sicut in præsenti quæstione nihil ad id muneris confert concupiscentia consequens. At, in euentû prædictæ necessitatis antecedentis, notitia potionis vt noxiæ sanitati, neque potest mouere ad positionem ipsiûs, vt vtilis ad sanitatem; neque potest retrahere ab eiûs positione: eam enim potestatem euertit antecedens necessitas: igitur in eo euentû nihil ad voluntarium confert ea notitia. ¶ Vnde soluitur vno verbo, id quod aduersarios fefellit. Dicunt enim, tanto magis opus esse voluntarium, quanto fit cum maiori circumstantiarum notitia. Hoc nanque sic distinguendum est. Si notitia possit mouere ad opus, vel retrahere: verum est. Si non possit: est falsum.

43 *Dico quartò*. Concupiscentia antecedens minuit liberum operis, ad quod incitat: minuit, inquam, cæteris paribus, vel, quod in idem recidit, non factâ compensatione ex alio capite. Conclusio hæc omnibus est certa. Tum, quia passio concupiscentiæ ad positionem operis accendens, non relinquit animum tám indifferentem, ac seclusâ passione, vt tale opus eligat, vel non eligat. Sed in ea indifferentia stat libertas: igitur hæc minuitur. Tum, quia, vt constat *ex assert. 3.* passio concupiscentiæ extenuat notitiam rationum auertentium ab opere. At, magna pars libertatis sumitur ex ea notitia: ergo extenuat libertatem. Tum, quia ex communi mente ait P. Vazq. *sup. cap. 2. n. 6. fine*: minus peccat, cæteris paribus, qui passione incitatus peccat, quàm ille, qui peccat nullâ passione prouocatus. Huius autem ratio est, quia ille peccat minus liberè, quàm iste. Ergo, &c. ¶ Obseruentur tria. *Primum*. Tanta potest esse concupiscentiæ passio, vt euertat prorsus libertatem. Constat ex dictis pro tertiâ parte secundę assertionis. Quia tanta potest esse, vt nullam relinquat attentionem

tionem ad rationes retrahentes. Tunc autem non manet libertas. *Secundum*, Ideò à nobis est dictum, *cæteris paribus, & non facta compensatione ex alio capite*: nam eiusmodi compensatione factâ; vt reuerà fieri potest; tàm libera manebit voluntas ad vtrunlibet, ac si concupiscentia deesset: vti accideret, si Dæmone ex vnâ parte incendente motus sensuales prouocantes ad consensum turpem, Deus ex alia incenderet pias illustrationes, & affectiones inuitantes ad dissensum honestũ; ita quidem, vt tantum hinc esset ad honestatem illicium, quantum inde ad turpitudinem.

44 *Tertium*. Potest accidere, vt voluntas ex propriâ suâ determinatione liberâ se prouocet ad motus concupiscentiæ; ex quibus præuidet oriundum consensum turpem. Profectò in isto casû erit consensus turpis omnino liber *in causa*: quia voluntas omnino liberè determinauit se ipsam ad eiusmodi motus causantes impulsiuè talem consensum; erit tamen *in se ipso* minus liber, quàm si concupiscentia deesset, si indifferentiæ diminutio, quam affert concupiscentia non compensetur aliundè iustè. Nam, vt in se ipso sit minus liber, satis est, nisi terminis abuti libeat, quòd pro signo proximè antecedente ad positionem ipsius, non detur, posita concupiscentia, æqualis indifferentia, vt talis consensus ponatur, & impediatur, quàm daretur, seclusa concupiscentia: quicquid sit de æquali indifferentia ad consensum, & dissensum pro signo remoto præuio ad excitationem passionis concupiscentiæ. Cæterum, homo non minus; imò forsan magis peccat, omnibus pensatis, quàm si consensus esset omninò liber *in se ipso immediatè*. Quia peccatum interuenit, tum in ipso turpi consensû simpliciter libero in se ipso, tametsi minus libero in se ipso, quàm si concupiscentia deesset; tum etiam in determinatione liberâ causæ, quam præuidisti cum eo turpi consensû coniungendam. Huiusmodi autem geminata culpa æquiualens est, præponderansque videtur culpæ consensûs aliquatenùs in se ipso magis liberi. De quo infra iterum in simili.

(.§.)

CAP. VI.

Quibusdam solutis, adnectuntur consectaria.

45 Contra incrementum voluntarij ex concupiscentiâ antecedente. *Primò* obijcitur, concupiscentiam potiùs minuere, quàm augere voluntarium, etiamsi accipiatur præscindendo à libero. Nam voluntarium, formaliter vt voluntarium est *ab intrinseco* ipsius voluntatis. At, per existentiam à concupiscentia minuitur; non augetur ea ratio: quia sensualis concupiscentiæ passio extra voluntatem est: ergo per existentiam à concupiscentia minuitur; non augetur ratio formalis voluntarij. Respon. *Primò*. Falsa est maior, si sermo sit de voluntario formali prout præscindit ab obiectiuo, & causali. Nã de ratione talis voluntarij est præcisè, quòd sit forma constitutiua subiecti in ratione volentis, & obiecti in ratione voliti, quæ ratio abstrahit ab eo, quòd ea forma existat ab intrinsecis ipsiûs voluntatis; vel infundatur à solo Deo. Vnde cõstat, falsam etiam esse maiorem, loquendo de voluntario obiectiuo. Quamobrem, obiectio proposita nihil vrget contra primam conclusionem, quam tradidimus *num*. 17. *Secundò*. Tam intrinseca est voluntati, in rigore loquẽdo passio sensitiua, quàm cognitio intellectualis. Si enim, vt plerique nostrorum volunt, indistincta est ab animâ voluntas; certè, sicut intellectualis notitia est intrinseca voluntati, quia voluntatem, id est, animã informat intrinsecè; ita passio sensitiua erit voluntati intrinseca, quippè quæ informat intrinsecè animam. Si autem potentiæ distinguantur ab animâ, certè, sicut passio sensitiua non informat intrinsecè voluntatem; sed appetitum sensitiuum; ea tamen passio est quodammodo intra voluntatem: quia intra animam est, intra quam est voluntas; ita cognitio intellectualis non informat intrinsecè voluntatem; sed intellectum; tamẽ ea cognitio est quodammodo intra voluntatem; quia intra animam est, intra quam est voluntas. Probent ergo aduersarij, quod adhuc non præstitere: nempè passionem sensitiuam; potius quàm notitiam intellectualem sortiri extraneitatem sufficientem ad diminutionem voluntarij. Quod enim ad voluntarium requiratur cognitio, non verò passio sensitiua, probat quidem maiorem conexionem voluntarij cum cognitione, quã

cum

cum passione sensitiuâ; non tamen in hâc passione probat extraneitatem sufficientem ad diminutionem voluntarij, sicut habitus non requisitus ad voluntarium non minuit voluntariũ operis procedentis ex habitû.

46 *Tertiò*, loquamur de voluntario causali, vbi suas qualescunque vires argumentum habet. Concedo de ratione formali huiusmodi volũtarij esse, quòd procedat ab intrinsecâ entitate voluntatis. Rursus, admitto passionem concupiscentiæ esse extrinsecam voluntati. Hinc autem vt *summùm* infertur, passionem concupiscentiæ quadantenus minuere rationẽ voluntarij, quatenus non est omninò ab intrinseco, quod aliquomodo est ab extrinseco: non tamen infertur, quòd omnibus pensatis non sit magis voluntarium, cęteris paribus, quod à voluntate procedit ex passione concupiscentiæ, quàm sine illâ. Nam extraneitati, quam importat concupiscentia, præpõderant alia capita, ex quibus positâ cõcupiscentiâ, crescit voluntarium causale; nimirum, fieri ex voluntate determinante affectiuè opus intensiori determinatione, voluntateque vehementius sua intrinsecâ virtute incumbente in eiũs operis exercitium. Vnde, argumentũ nihil contra nos contendentes duntaxat, quòd, omnibns pensatis, maius est, cæteris paribus, voluntarium causale positâ cõcupiscentiâ, quã ea sublatâ. Quartò respondeo. Neque quadantenus minuet concupiscentia voluntarium causale, tametsi admittamus esse extrinsecam volũtati. Quia non minuit voluntarium causale quæuis processio ab extrinseco; sed ea, quæ excludit aliquid de processione ab intrnseco: sicut non minueret calidum frigiditas, quæ nihil caloris excluderet, retinente Deo calorem in eodem gradû post introductionem frigiditatis. Passio autem concupiscentiæ, quamuis extrinseca volũtatis, nihil minuit de processione ab intrinseco; potius auget, vt dicebam; quia præstat, vt voluntas magis applicet suas intrinsecas vires ad exercitium operis, ad quod concupiscentia perurget. His omnibus modis infirmitatẽ argumenti detexi, quia video nonnullos plus iusto in eo niti, vt cõmuniorẽ opinionẽ deserant. Neque te moueat, quod videatur D. Th. eodẽ vsus argumẽto 1. 2. q. 77. ar. 6. corp. D. Tho. ibi enim nihil aliud vult, quàm per passionẽ minui voluntariũ, prout coincidit cũ libero; nõ verò voluntariũ prout præscindit à libero. Quod enim per passionẽ fit, nõ est à volũtate tam indifferente ad opposita, quàm citra passionem.

Q 47 Ob

47 Obijcies *secundò*. Implicat minui ratione liberi; & non minui rationem volūtarij. At per passionē minuitur ratio liberi, vt diximus: ergo, & ratio voluntarij. Maior probatur: quia liberum est species voluntarij; diminutâ autem specie; minuitur genus: quia cum ratio generica, & specifica sint idem realiter, implicat vnam minui, & non alteram. At, in primis probabilissimum est, de quo infra, libertatem non esse prædicatū specificum identificatum cum actû voluntario; sed huius accidens extrinsecum. Patet autem posse aliquid minui, quoad accidens sibi extrinsecū, quin minuatur quoad se ipsum. Hæc tamē solutio nō est adæquata. Quia, vt suo loco videbimus, nō implicat actus, qui per se ipsum intrinsecè sit liber, vbi argumentum vrget. Cui respōdeo, implicare, quod minuatur ratio liberi in actû, & quod non minuatur ratio voluntarij identificata cum ratione liberi, *ea diminutione, qua minuitur ratio liberi*; non tamen implicat rationem liberi vnâ diminutione minui; & neque rationē liberi, neque rationē voluntarij minui diminutione aliâ. Idque solum contingit in nostrâ sententiâ. Quia prædicata liberi, & voluntarij, quæ supponimus esse idem in actû, minuuntur per concupiscentiā diminutione consistente in eo, quòd totus ille actus non est à voluntate tâm indifferente, ac sine passione. At, nullū ex his prædicatis minuitur aliâ diminutione; nimirum diminutione consistente in eo, quòd talis actus minùs volitus procedat, aut minus ab intrinseco voluntatis; potiùs enim procedit intensius volitus. Quoniā ergo seclusis modis loquendi; sensus nostrarum assertionum non est, competere contradictoria voluntati, & libertati actus secum identificatis: sed toti actui procedenti ex passione concupiscentiæ competere procedere à voluntate minus indifferente, quam esset seclusa concupiscentia; totique actui competere procedere à voluntate vehementius ipsum amplectente, quàm amplecteretur ipsum, vel, vt veriusdicam, similē alium, in quo nulla est contradictio; ideo nulla est in nostris assertis. Aliter alij respondent; quod alijs videbitur facilius. Id tamen ego prætermitto, quia, me iudice, non est responsum æque, ac nostrum iuxta normam veritatis, legitimumque identitatis conceptum.

48 Ex dictis infertur primò, quomodo D. Th. sit secum conciliandus; quatenus dixit 1.2.*q.6.art.7.in corp.* concupiscentiam magis facere voluntariū; cum tamē dicat infra *q.77.* D. Tho.

art.6.

art.6.in corp. Secundum hoc passio minuit peccatum, in quantū minuit voluntarium. Sensus enim est, vel minuit voluntarium, vt coincidit cum libero, vt dicebamus *n.46. fine*; augeri tamē voluntarium, vt præscindit à libero. Vel sensus est, minui quidem liberū. Cæterum, tam abesse concupiscētiam ab eo, quòd faciat actum inuoluntarium, vt potius voluntarium, quàm inuoluntarium faciat. Quam explicationem; & quidem satis ad mentē D. Th. sincerè explicatā à P. Vaz. sequūtur aliqui Thomistę. Quāobrē, vt verum fatear, quāuis sentētia relata ex P. Vaz. *n.36.* nō sit expresse iuxta D. Th. tamē, neque cōtra ipsū apparet. ¶ Infertur secūdò. Potest cōcupiscētia esse causa, vt act' volūtatis nō sit voluntarius causaliter: itē, vt non sit voluntarius obiectiuè; non tamen, vt non sit voluntarius per modum formæ: quia nequit esse causa, vt actus voluntatis non sit forma constituens subiectum volens, & obiectum volitum: & in hoc stat, esse voluntarium per modum formę. At verò, absumens considerationem omnem reflexā ipsiûs actus, potest esse causa, vt talis actus non sit volitus; quod tamen in nostra opinione requiritur, & ad voluntarium causale, & ad obiectiuum. *Vazq.*

49 Infertur tertiò. Actus prauus minuitur in ratione peccati, *cæteris paribus* ex eo, quòd fiat per passionem; ita tamen potest prædicta diminutio ex alio capite compensari, vt actus euadat non minus peccatum, quàm si fieret absque passione. Prior pars patet. Nā actus prauus minus liberè exercitus, est, cæteris paribus, minus peccatū, quàm actus prauus liberiùs exercitus. Actus autē prauus ex passione factus exercetur minus liberè, cæteris paribus, quàm factus sine passione. Posterior pars probatur. Nam, positâ cōcupiscentiâ potest ex vnâ parte sufficiēs relinqui libertas, vt actus per passionē fact' sit peccatū mortale; & aliunde passio potest esse in causâ, vt tàm impresse, intensè, ac vehemēter exerceatur, vt ex hoc excesū suppleatur aliquale illud libertatis decremētū ex passione proueniens. Id, quod amplius patebit ex dicēdis in alijs illationibus. Infertur quartò, rectè id notante Raphaele de Auersa *sup. sect.* 14. si cōcupiscentiâ impellente ad vnū, v. g. ad intēperantiā, volūtas faciat oppositū; nempè tēperantiā, tunc in huiusmodi opposito ratiocinandum est debitâ proportione seruatâ, opposito modo, ac in his, quæ fiunt ex passione cōcupiscētiæ. Quāobrē, sicut actus intēperantię, pulsante passione, est intēsius volitus, cōmuniter loquēdo, & minus liberè elect', *Auers.*

quia per passionē magis trahitur volūtas ad illū, quàm ad oppositum: sic actus temperantiæ factus resistente passione, est cōmuniter remissiùs volitus, & magis liberè electus: quia minus trahitur volūtas in actu primo ad ipsum, quā ad oppositū.

50. Infertur quintò. Si gratia actualis, quæ iuxta communem nostrorum sententiā, consistit in illustrationibus intellectûs, pijsque affectionibus indeliberatis voluntatis inuitantibus ad consensum salutarē, vehemētius inuitet in actu primo ad consensum, quàm aliundè inuitatur voluntas ad dissensum: tunc sanè, cōmuniter loquendo, euadet consensus intensiùs volitus, ac determinatus; & minus liberè electus, quia ratio est eadē, ac de concupiscentiâ. Sextò. Poterit tamen pro arbitrio voluntatis ita fieri cōpensatio, vt ex eo aliquali libertatis decremento non diminuatur ratio meriti; sed tanta sit quanta cū æquâ indifferentiâ ad vtrumlibet. Nam, vt in simili dicebam *illat. 3*. voluntas, quæ posset, neque intensè; neque vllo modo auxilio gratiæ actualis vti; potest tàm magna intensione eodē vti, vt hinc magis meritum crescat, quam ex eo aliquali decremento libertatis minuatur. Et quia gratia, quo magis per vehementiam vocandi ad consensum salutarem, saluâ semper libertate sufficiēte ad meritū, minuit indifferentiā ad dissensum, eo magis confert ad suplendum hoc decrementum per maiorem intensionem consensus; inde fit, gratiam, omnibus pensatis, plurimum conferre, vt mereamur; non autem per se conferre, vt minus mereamur, quamuis per accidens accidere possit, vt nimis crescente impulsū gratiæ minus mereamur, quia minor est libertas; nosque aliunde non vtimur ea gratiâ tam feruentèr, quàm possemus.

51. Infertur septimò. Per vnū actū voluntatis crescet quandoque subsequens actus quoad voluntarium, & decrescet, quoad liberū ipsius in se ipso sumpti. Si enim volūtas magno animi ardore intendat efficaciter finem, & hinc sequatur electio medij necessarij ad consecutionē finis; accidet quidē, cōmuniter loquēdo, vt intēsiori, ac vehemētiori impetū eligat ac velit eligere talia media, quo, iuxta dicta crescit volūtariū electionis; & quia electionē in se ipsâ prouenire à volūtate, vt affectâ per intētionē illā finis, est in se ipsa procedere à volūtate, vt min⁹ indifferente ad electionē, quā si finis intētione præoccupata non esset, in quo stat eam electionē minus esse liberam *in se ipsa*, quàm aliàs esset; fit planè minui electionē, quoad

liber-

libertatem ipsius in se ipsa. At *in causa* potest ea electio esse omnino libera: nimirum, si pro priori ad intentionem sit voluntas æqualiter indifferens ad intendendum, & non intendendum finem. Infertur octauò, similiter ratiocinandum esse de habitû, consuetudineque inclinantibus ad actus similes illis, ex quibus ortum traxere. Nam eiusmodi habitus, & consuetudines deseruire solent, vt actus ex ipsis procedentes euadant intensius exerciti, ac voliti, quo crescunt in ratione voluntarij; & aliundè deseruiunt etiam, vt non sit voluntas æqualiter indifferens eis habitibus instructa ad omissionē eorum actuum, ac si tales habitus deessent, ex quo prædicti actus decrescent in ratione liberorum.

52 Demum adnotare sit ex dictis. Tametsi habitus virtuosi liberè acquisiti plurimum inclinent, maximè si sint valde intensi, ad actus honestos; & similiter habitus vitiosi ad actus turpes, & ex hâc parte in causâ sint, vt actus ex ipsis procedentes sint aliquatenus minus liberi in se ipsis, quàm alioquin essent; tamen per se, & communiter loquendo, pensatis omnibus, melius est in ordine ad meritum habitus virtuosos habere; & peius in ordine ad peccatum habere vitiosos. Quamobrem, isti sunt fugiendi; & illi exoptandi. Ratio est. Nam habitibus virtuosis fit communiter actus honestus magis intensè, suauiter, & voluntariè, & hinc tantum in honestate crescit, quantum ex aliquali libertatis decremento minuitur. Rursus, habitus virtuosi sæpè præstant, vt auxilia gratiæ, quæ manerent alioquin sine voluntatis consensû, sortiantur effectum salutaris consensûs. Quis enim dubitet, sæpè propter bonos habitus consentire, qui aliàs non consentiret? Præterea, habitus præstant, vt frequentius exerceantur actus, ad quos inclinant. Quis autem ambigat, optabiliores esse habitus virtuosos his omnibus nominibus, quàm minus optabiles, ex eo, quòd actus sint in se ipsis minus liberi præsentibus habitibus? cumque similia sint in habitibus vitiosis in ordine ad actus turpes, patet â paritate rationis, valde tales habitus esse fugiendos.

DISPVTATIO NONA.

De Ignorantia in ordine ad voluntarium.

CVM voluntaria non sint, nisi quæ cognita sunt, discutere oportet quantum ignorantia conferat, vel ad tollendum voluntarium, vel ad causandum inuoluntarium.

CAP. I.

Exponuntur ignorantia antecedens, comitans, & consequens; obseruanturque nonnulla.

1 PLures diuisiones ignorãtię tradunt in præsenti Theologi. Sed quoniam aliæ spectant ad considerationem peccati specialiter; aliæ verò ad considerationem voluntarij, & inuoluntarij generaliter, de his posterioribus duntaxat agimus in præsenti imitantes D. Thomam *in hac q.6. art.8.* iureque optimo remittimus alias ad tractatum de peccatis. Triplicem igitur ignorantiam distinguit Præceptor Angelicus loco cit. *Antecedentem. Comitantem, & Consequentem.* Omissis autem illis, quæ ab aliquibus congeruntur, quibus hæc diuisio molestè potius, & inutiliter implicatur, quâm vera, solidaque doctrina explicatur, diuisio præsens, me quidem iudice, satis luculenter exponitur, si primò diuisionem quandam generalem faciamus; secundò subdiuisiones in membra contractiora. Igitur, ignorantia antecedens accepta in genere ea est, quæ aliquomodo, licet non propriè, & strictè causa est operationis. Hic autem modus improprius, & laxus causandi, stat in eo, quòd non influat positiuè in operationem; sed tanquam remouens prohibens: id est, tanquam impediens eam notitiã, quæ si adesset, talem operationem impediret. Ponit rem sub adspectum exemplum commune. Emittit Petrus sagittam, vt oppositum viuens traijciat, quod per ignorantiam putat esse ceruum, cum reuerà sit homo; si tamen hominem esse sciret sagittam non iaceret. Ea sanè ignorantia fuit antecedens, quia fuit in causâ emittendi sagittam remouendo notitiam, quæ si adesset, eam emissionem impediret.

D. Tho.

2 Igno-

2 Ignorantia comitans in genere accepta est, quæ cum operatione coniungitur; nō tamen operationē quasi causat remouendo notitiam, quæ, si adesset, talem operationem impediret. Exemplum commune sit. Petrus gerit mortales inimicitias cum Francisco, quē si è regione positū sciret, sagittâ trāsfoderet. Sanè, si in hoc casû Petrus sagittā emittat in oppositum sibi viuens, quod per errorē aprum putat; tamē reuera Franciscus est, talis ignorantia vocatur comitans: quia non fuit in causâ emittendi sagittā remouendo notitiā, quę si adesset, eam emissionē impediret, si enim existeret ea notitia, quæ impeditur, scilicet notificans viuens illud oppositū esse Franciscum, ea sagittæ proiectio libentius exerceretur. Ignorātia consequens in genere accepta est illa, quæ à volūtate determinatur voluntariè; proindeque, saltem logicè, sequitur ex voluntatis determinatione. Quæ ignorantia postea clarius apparebit per subdiuisionem priùs in affectatam, & crassam.

3 Porrò, ignorantia antecedens potest subdiuidi in antecedentem purè; & antecedentem mixtè. Purè antecedens est, quæ ita est modo dicto præcedens, vt non sit modo dicto consequens. Clariùs: quæ sic operationem causat, vt nō existat ex determinatione voluntatis. Sic in casu posito *n.1.* si nō procedat ex determinatione tuę voluntatis, quòd ignores esse hominem viuens illud oppositū, nihil ei ignorantiæ deerit, vt sit purè antecedens. Ignorātia mixtè antecedens ea est, quæ prędicto modo est causa operationis, & ex alio capite ex determinatione tuæ voluntatis existit: vt si in eo casû posito *n.1.* non proijceres sagittā, si scires viuens illud esse hominē; quod autē hoc non scires ortum traxit ex determinatione tuæ voluntatis nolentis, v.g. debitā adhibere diligentiā ad eam notitiam cōparandam. ¶ Similiter, ignorantia comitans potest subdiuidi in comitantē purè; & in comitantē mixtè. Purè comitans est, quæ neque operationē causat; neque ex determinatione volūtatis existit. Mixtè comitans est, quæ operationē nō causat; at ex determinatione voluntatis existit. *Primū* accidet, si in casu posito *n.2* error ille, quòd non est Franciscus viuens illud oppositum, non traxerit originē ex tuæ volūtatis determinatione. *Secundum*; si talis error ex eâ determinatione sit.

4 Similiter ignorantia consequens potest subdiuidi in consequentem purè; & in consequentē mixtè. Cōsequens purè est, quæ ex determinatione voluntatis existit, & ex alio capite

non coniungitur cum aliâ operatione voluntaria siue causaliter, siue comitanter se habens ad ipsam: nimirũ, quia nõ coexistit alteri operationi voluntariæ, siue remouendo scientiã, quâ præsenti talis operatio impediretur; siue scientiã, quâ præsente nõ impediretur ea operatio. Mixtè consequens est, quæ ex determinatione voluntatis existit, & ex alio capite cõiungitur cum alia operatione volũtariâ, ad quã se habet, vel causaliter; vel comitanter. V. g. ex determinatione voluntatis nolentis adhibere debitã diligentiam ad sciendũ, num viuens illud oppositum sit homo, fluxit ignorantia, per quã ignoras hominem esse, vt reuera est. Hæc ignorantia potest bifariã se habere circa sagittæ emissionem, quam cum eâ ignorantiâ exerces. *Primò* remouendo scientiam, quam, si haberes, nõ exerceres eam operationem. *Secundò*, remouendo scientiã, quam tametsi haberes operareris eodẽ modo. In primo casu, talis ignoratia est mixte consequens ex cõmixtione subsecutionis ad determinationẽ volũtatis cum antecessione ad emissionẽ sagittæ. In secundo ex cõmixtione cum concomitantia ad eam emissionẽ.

5 Rursus, ignorantia consequens, quæ, quia existit ex determinatione voluntatis dicitur voluntaria, alia est affectata, & alia crassa, quæ supina etiam dicitur. Affectata est illa, ad quam directè tendit affectio nostra: *Sicut* (verba sunt D. Th. sup.) *cũ aliquis ignorare vult, vel vt excusationem peccati habeat, vel vt non retrahatur à peccando, secundùm illud Iob. 21. Scientiam viarum tuarum nolumus.* Crassa, vel supina est illa, quæ licet non procuretur directè; existit tamen ex determinatione voluntatis, siue voluntariè omittentis considerare, quæ, si considerarẽtur, talis impediretur ignorantia; siue voluntariè negligentis curam acquirendi scientiam oppositã. Vt autem curiosè obseruat P. Baldell. lib. 1. disp. 25. *num.* 10. Hæc ignorantia dicitur crassa, & supina, quia prouenit ex negligentia, & desidia, quam homines crassi, & pingues, sicut etiam supini solent habere, vt dicitur *l. etsi consensum ff. de contract. empt.*

D. Tho.

Iob.

Baldell.

6 Prætermissis autẽ illis, quæ solùm afferunt inutiles tricas, nihilque referunt ad voluntarium, & inuoluntarium: obseruandum est primò, ignorantiam comitantem non excludere omnem præcedentiam causalitatis respectû operationis, quam comitari dicitur; sed eam duntaxat præcedentiam, aut quasi præcedentiam causalitatis, quæ stat in remouendo

scien-

scientiam; quæ, si adesset, impediret operationem. Quamobrem, si inimicum è regione positum putas esse ceruum, & cum eo errore proijcis sagittam, quam non minus proijceres, si inimicum esse scires, nullus non vocat comitantem errorem istum, vt excludentem hanc notitiam: & tamen, si res bene cõsideretur, talis error, reipsa loquendo, secundùm realitatem excludendi prædictam notitiam est causa talis proiectionis: huius enim causa est secundùm realitatem iudicii; quo iudicatur, hoc viuens esse ceruum, & in hoc iudicio idem sunt esse tale iudicium, & excludere notitiam, qua iudicetur tale viuens esse inimicum hominem; non ceruum.

7 Obseruandum est secundò; id, quod ad rem præsentem maximè spectat. Potest duplicem subire sensum conditionalis ista * Si Petrus sciret esse hominem viuens illud, in quod sagittam emittit, non emitteret * Primus sensus est, vt sonat, sine vlla restrictione: cumque obiectum sic sumptum sit futurum conditionatum contingens, cum quo nullam habent cõnexionem infallibilem ea, quæ patent menti creatæ; consequens planè est, tale obiectum posse à Deo solùm (seclusa reuelatione, medijsque supernaturalibus) infallibilitèr cognosci. Secundus sensus est restrictus; perindéque valens, ac si diceretur. * Si Petrus simul cum affectu; quem de præsenti habet, prædictam haberet scientiam potentem retrahere ipsum ab emissione sagittæ, non emitteret ipsam libere * Hanc autem veritatem potest Petrus naturalissimè cognoscere, non solùm probabilitèr; sed certò, & infallibilitèr. Demus enim Petrum experimentalitèr tangere in se ipso hoc propositum: *Nequaquam hominem occidam.* Deinde, potest Petrus naturalissimè cognoscere hoc propositum talis esse naturæ, vt nequeat componi cum patratione libera homicidij; ac proinde neque cum emissione libera sagittæ præsente scientia, quæ ab ea operatione retrahere potest, notificando, quòd ex tali operatione sequetur homicidium. Ergo Petrus certo, & infallibilitèr ex his deducet sic: *Si cum hoc proposito, quod in me experior, coniungeretur prædicta scientia, non exercerem liberè hanc operationem emittendi sagittam.* Quæ veritas est necessaria importans connexionem infallibilem conditionis cum cõditionato.

8 Obseruandum est tertiò. Prima quidem veritas conditionata contingens constituit ignorantiam, per quam nescitur

illud

illud viuens esse hominē, in ratione remouentis scientiā, quæ si adesset, impediret emissionē sagittæ; vt cuiq; patet. Cæterùm, nō ea prima veritas cōditionata cōtingens, sed secūda veritas cōditionata necessaria simul cū adiunctis cōtingētib⁹, de quibus mox dicā, cōstituit ignorantiā in ratione antecedētis antecedentiâ pertinente ad rem præsentē. Explicatur obseruatio statim probanda. Sit iste primus casus. Petrus nunquam habuit, nec de præsenti habet affectum, aut propositum vllum contra homicidium. Traijcit sagittā hominem sibi oppositū, quem putat esse feram: ac tandem vera est conditionalis ista contingens: *Si Petrus sciret tale viuens esse hominem non traijceret ipsum.* Secundus casus sit iste. Petrus habet de præsenti propositum non patrandi homicidium. Traijcit sagittâ viuens sibi oppositum, quod putat esse feram; est tamen homo: ac demum vera est conditionalis ista necessaria: *Si Petrus in consortio talis propositi haberet scientiam, qua cognosceret tale viuens esse hominem, & qua posset retrahi ab emissione sagittæ ne sequeretur homicidium, nō se determinaret liberè ad eam emissionem.* Dico ergo, hanc veritatem conditionatam necessariam in consortio eorum, quæ in hoc secundo casu inueniuntur; nempè talis propositi contra homicidium, talisque operationis emittendi sagittam, constituere antecedentem ignorātiam illam, quòd tale viuens est homo, antecedentiâ pertinente ad rem præsentem; at in primo casû non dari sufficiens constitutiuum ignorantiæ in ratione antecedentis prædictâ antecedentiâ.

9 Probatur. Illa ignorantiæ præcedentia pertinet ad rem præsentem, quæ potiùs, quàm ignorantiæ comitantia conducit ad hoc, vt operatio sit positiuè inuoluntaria secūdum circumstantiam ignoratam. Atqui, ad hoc non conducit ignorantia prout in primo casû; benè tamen prout in secundo: ergo prædictam antecedentiam non sortitur prout in primo casû; benè tamen prout in secundo: Maior est certa, vt constabit ex dicendis; nullusque ignorabit, qui D. Thom. in præsenti, cœterosque autores legerit. Minor quoad primam partem probatur. Nam ignorantia prout in primo casû nullum dicit affectum voluntatis contra circumstantiam operationis ignoratam; sed omnino præscindit ab eo affectû. Nihil autem est positiuè inuoluntarium citra affectum voluntatis contra ipsum. Quoad secundam partem probatur contrario modo.

Nam

Nam, quod ignorantia prout in secundo casû sit antecedens, sumitur ex eo, quod affectus contra circumstantiam ignoratam præstat ita se habere voluntatem, vt si cum eo coniungeretur sciri, quod ignoratur, non exerceretur liberè talis operatio. At, antecedentia ex eo capite sumpta, quippe, quæ importat voluntatis affectum contra circumstantiam ignoratam, conducit ad hoc, vt talis circumstantia sit positiuè inuoluntaria: ergo ad hoc conducit antecedentia secundi casus.

¶ Confirmatur. Ignorantia posita in consortio prædicti affectus conducit ad hoc, vt operatio euadat positiue inuoluntaria secundum circumstantiam ignoratam; siue coniungatur, siue non coniungatur cum veritate contingente conditionatâ à solo Deo naturalitèr, & infallibilitèr cognoscibili. Econtra vero, posita ignorantia in consortio talis veritatis contingentis conditionatæ, & ab eo affectû diuisa, non conducit ad hoc, vt operatio euadat positiuè inuoluntaria secundũ circumstantiam ignoratam, vt iam ostendimus: ergo non constituit ignorantiam antecedentem præcedentiâ conducentiæ ad positiuum inuoluntarium, coniunctio ignorantiæ cum prędictâ veritate; sed cum eo affectû, vi cuius ita se habet voluntas, vt si cum eo coniungeretur sciri, quod ignoratur, non exerceretur liberè talis operatio.

10 Dices primò, implicatorium esse ignorantiam coniungi cum prædicto affectû; & non coniungi cum prædicta veritate. Nam, eo ipso, quod voluntas habet propositum non patrandi homicidium, est verum, quod non exerceret talem actionem, si videret illam esse connexam cum homicidio. Sed contra est. Nam, propter affinitatem terminorum confundũtur hîc duæ veritates, quas oportet discernere. *Prima* * Voluntas est affecta tali proposito, cui si adiungatur notitia connexionis, quam habet emissio sagittæ cum homicidio, non exerceret liberè talem emissionem * *Secunda*. * Si daretur ea notitia, non se determinaret voluntas ad emissionem sagittæ * Prima est veritas composita ex vna absoluta contingente; & ex alia conditionata necessaria: nempe ex hac absoluta cõtingente: *Voluntas est affecta proposito non patrandi homicidiũ*; & ex hac conditionata necessaria. *Si huic proposito adiũgatur notitia connexionis, quam habet emissio sagittæ cum homicidio, voluntas non se determinabit ad talem emissionem.* Secunda est præcisè veritas conditionata, eaque contingens. Pri-

ma

ma dicit veritatem conditionatam, cuiûs hypothesis est coniunctio prædicti propositi, & notitiæ, quę coniunctio infert per bonam consequentiam non emissionem liberam sagittæ. Secunda est veritas conditionalis, cuiûs hypothesis non est tota illa coniunctio; sed præcisè ea notitia, ex qua non infertur per bonam consequentiam talis non emissio. Ex quibus elucidandis amplius *cap*.4.

11 *Primò* sequitur, non posse dari prædictum propositum non patrandi homicidium, ita, vt tale propositum sit diuisum à veritate conditionata inclusa in prima ex prædictis veritatibus. Quia, talis veritas conditionata est omnino necessaria, nihilque potest dari diuisum à veritatibus necessarijs, id est, indefectibilibus. *Secundò* sequitur, non posse ignorantiam cóiungi cum eo proposito, & aliundè diuidi à prædicta veritate conditionata necessaria. Quia, nihil potest cum aliquo coniungi, quin simul coniungatur cum omnib⁹ indefectibilib⁹. *Tertiò* sequitur, benè posse dari tale propositum, & simul cum illo prædictam ignorantiam absque secunda veritate conditionali contingente, quæ non aliud importat, vt hypothesim, quàm prædictam notitiam, hoc modo: *Si Petrus sciret esse connexam cum homicidio talem emissionem, non se determinaret ad illam.* Ratio illationis est. Quia licet propositum connectatur infallibiliter cũ eo, quòd si cũ ipso proposito coexistat talis notitia, voluntas non se determinet libere ad emissionem sagittæ; non tamen connectitur infallibilitèr tale propositum, siuè secundùm se sumptum; siue in consortio ignorantiæ excludentis talem notitiam, cum prædicta veritate conditionata contingente. Bene nanque stat, Petrum proponere non patrare homicidium ignorando proiectionem sagittæ esse nunc connexam cum illo; & tamen verum esse, quòd si daretur notitia talis connexionis, non daretur tale propositum; sed potius emissio sagittæ etiam præcognita cum homicidio connexa. Quamobrem, falsò dicitur in obiectione, non posse coniungi prædictum propositum cum hâc veritate conditionali contingente: *Si Petrus cognosceret emissionem sagittæ connexam cum homicidio, eandem emissionem exerceret.*

12 Dices secundo: Ignorantia de connexione emissionis sagittæ cum homicidio est quandoque antecedens ad eam emissionem; & quandoque non antecedens; sed comitans. At, non adest quandoque, & quandoque abest; sed semper, & necessariò

ceſſariò datur prædicta veritas conditionata neceſſaria: *Si cũ propoſito non patrandi homicidiũ coniungatur notitia de connexione emiſsionis ſagittæ cum homicidio, non ſe determinabit liberè voluntas ad talem emiſsionem*: ergo talis ignorantia nõ conſtituitur antecedens per huiuſmodi veritatem conditionatam. Hoc argumentum præoccupatum eſt num. 8. Diſtinguo conſequens; ſi præcisè ſumatur ea veritas concedo conſequentiam; ſi non ſumatur præcisè; ſed ſimul cum eo, quod exiſtat prædictum propoſitum, &c. nego conſequentiam. Itaque, quando emiſſio ſagittæ fit cum ignorantiâ connexionis, quam habet cum homicidio; & ex alio capite talis ignorantia coexiſtit cum eo propoſito, aliàs eſſentialitèr connexo cum ea veritate conditionatâ neceſſariâ, tunc ignorantia eſt antecedens: & quia non ſemper coexiſtit cum eo propoſito; ſed quandoque: ideo non ſemper eſt antecedens: ſed quandoque antecedens, & quandoque comitans.

CAP. II.

Corollaria de ignorantia comitante, & quo pacto ſe habeat ad inuoluntarium.

13 EX dictis cap. præced. de ignorantiâ antecedente, ſequitur primò, poſſe duplicitèr ignorantiam eſſe comitantem contrapoſitam antecedenti. P*rimò*, ſi non coexiſtat affectui contra circumſtantiam ignoratam. *Secundò*, ſi coexiſtat affectui amplectenti circumſtantiam ignoratam. V.g. ignoratur emiſſionem ſagittæ connexam eſſe cum homicidio. Hæc ignorantia duplicitèr coniungi poteſt cum tali emiſſione ſagittæ. P*rimò*, non coexiſtendo huic affectui. * Nolo patrare homicidium * *Secundò*, coexiſtendo affectui oppoſito huius naturæ * Hanc operationem exercerem, quamuis ſcirem eſſe connexam cum homicidio * Dico ergo, vtroque modo hanc ignorantiam eſſe comitantem ad emiſſionem ſagittæ, prout ignorantia comitans contraponitur ignorantiæ antecedenti. Ratio eſt, quia, vt ponimus, talis ignorantia non eſt cõſequens ad emiſſionem ſagittæ. At, ex alia parte quolibet ex prædictis modis non eſt antecedens: quippe quouis ex prædictis modis non coniungitur cum affectû requiſito ad conſtitutionem ignorantiæ in ratione antecedẽtis: ergo eſt comitans.

¶ Se-

¶ Sequitur secundò, benè componi, quod sit comitans, & quòd detur hæc veritas conditionalis contingens: *Si existeret notitia, quæ per hanc ignorantiam excluditur, non exerceretur iaculatio sagittæ*. Ratio est: quia bene componitur id esse verum; & tamẽ nõ dari hunc affectum * Nolo patrare homicidiũ * At, vt vidimus secluso eo affectû talis ignorantia erit comitans, prout comitans, & antecedens debent in præsenti vsurpari: ergo stat concomitantia ignorantiæ cum illâ veritate conditionatâ. In summa: Ignorantia antecedens ad operationem est illa, quæ neque ad operationem subsequitur; nec præcisè habet cum eâ coniungi; sed etiam cum affectû talis naturæ, vt si illi adiungeretur opposita scientia, voluntas non se determinaret liberè ad talem operationem. Vnde, ignorantia comitans est, quæ cum ad operationem non subsequatur; tamen cum illa coniungitur; non verò cum prædicto affectû.

14 Videamus iam, quomodo ignorantiæ, quas exposuimus, se habeant in ordine ad inuoluntarium. Ea verò, quæ dicemus eundem obtinent locum in inconsideratione, & in ignorantia, vt patebit: quæ solent eatenùs distingui, quatenus ignorantia est eorum nescientia, quæ prius non fuerunt scita. Inconsideratio autem est non cogitare actualitèr de aliquo obiecto, tametsi prius scitum fuerit. *Prima igitur assertio*, eaque communissima sit (pro qua non refero Autores, ne referam ferè omnes) Opus factum cum ignorantia purè comitãte non est positiuè inuoluntarium simplicitèr secundùm circumstantiam ignoratam; est tamen non voluntarium. Prior pars patet. Nam, ad positiuè inuoluntarium simplicitèr dictum requiritur talis affectus voluntatis contra ipsum, qui non permitteret voluntati se determinare ad operationem, ea ignorantia seclusa, vt patet ex dictis. At, ignorantia comitans non coniungitur cum eo affectû. Nam alioquin non esset comitãs; sed antecedens: ergo opus factum cum ea ignorantia non est inuoluntarium simplicitèr secundùm circumstantiam ignoratam. Dixi *simplicitèr*: quia benè stat fieri opus cum ignorantia, quæ sit comitans ex eo, quòd non coniungatur cum prædicto affectû; & tamen tale opus euadere inuoluntarium secundùm quid; ex eo, quod ignorantia coniungatur cum displicentia simplici erga circumstãtiam ignoratam. Dixi etiam *secundùm circumstantiam ignoratam*. Nam loquendo de opere, vt coniungendo cum circumstantia præcognita, certum

est,

est, voluntate se determinante ad eiusmodi opus, non esse ipsum simpliciter inuoluntarium; neque non voluntarium, vt coniungendum cum ea circumstantia: sed, vt sic esse voluntarium; saltem indirectè, si aliud, præter ignorantiam non obstet.

15 Posterior pars etiam patet. Nam, opus est non voluntarium secundùm aliquam circumstantiam, quando voluntas, neque directè; neque indirectè se determinat affectiuè ad ipsum, vt coniungendum cum ea circumstantia. At, ignorantia comitans talis, vel talis circumstantiæ in causa est, vt voluntas neutro ex illis modis se determinet ad ipsum, vt coniungendum cum ea circumstantia. Nam, ea ignorantia impedit talis circumstantiæ notitiam, sine qua notitia impossibile est voluntatem se determinare ad opus, vt coniungendum cum ea circumstantia: ergo opus factum cum ignorantia comitante est non voluntarium secundùm circumstantiam ignoratam. Nostræ sententiæ videntur contradicere apud P. Arriaga *disp. 12. num. 21.* Duran. Gregor. Gabriel, Couarrub. Adrian. Conrrad. & aliqui Thomistæ; quatenùs censent, ignorantiam comitantem non excusare à peccato: quæ doctrina falsa esset; si talis ignorantia impediret voluntarium, cum peccatum consistere nequeat sine voluntario. Pro quibus Autoribus. *Arria. Dur. Greg. Gab. Couarr. Adria. Conrr.*

16 Obijcies primò D. Thomam 1. 2. *quæst. 76. art. 3. in corp.* vbi loquendo de ignorantia comitante ait: *Et talis ignorantia, quæ non est causa actus peccati, vt dictum est, quia nõ causat inuoluntarium, non excusat à peccato*. Sed imprimis, omnes, qui sequi velint D. Thom. tenentur ipsum explicare. Nam, in eodem loco paulò inferiùs, & sæpè alibi hanc propositionem habet: *Voluntarium est de ratione peccati*. Deinde 1. 2. *quest. 6. art. 8. in corp.* habet hanc aliam. *Talis ignorantia &c.* (loquitur de comitante) *facit non voluntarium*. Ex quibus infertur, actum non esse peccatum secundùm circumstantiam ignoratam ignorantiâ comitante. Respondeo igitur, sensum legitimum Præceptoris Angel. esse, loquendo de excusatione à peccato *ex toto* (de quo erat sermo *D. Thom. in ea quæst. 76.*) ignorantiam antecedentē excusare à peccato; excludendo ex toto peccatum circumstantiæ ignoratæ: v. g. peccatum homicidij in sagittatione; secus autem se habere ignorantiam comitantem. Et ratio est, quia licèt vtraque ignoran- *D. Tho.*

tia in eo conueniant, quòd operationem sagittandi, necnon determinationem efficacem voluntatis ad ipsam excusent à peccato pertinente ad speciem homicidij; in eo tamen discrepant, quòd ignorantia antecedens tàm abest à coniunctione cum inclinatione voluntatis ad homicidium, vt potius coniungatur cum renitentiâ voluntatis circa ipsum. At, ignorantia comitans benè potest ex suâ ratione coniungi cum inclinatione voluntatis ad homicidium, vi cuiûs inclinationis in eo statu animus est, vt non remoueretur à sagittando, quanuis sagittatio præuideretur connexa cum homicidio. Quapropter, ignorantia antecedens opponitur ex sua ratione cum peccato homicidij, tam sumpto pro determinatione absoluta ad ipsum & ipsiûs executione, quàm pro dispositione animi ad illud cómittendum exercendo talem operationem; etsi cum homicidio præuideretur connexa. At, ignorantia comitans non excludit ex sua ratione hanc animi dispositionem; vnde, hæc non adeò ex toto excusat à peccato animi dispositi ad homicidium, quàm illa.

17 Obijcies secundo Arist. 3. Ethic. cap. 2. vbi distinguit agere ex ignoratione, & ignorantem agere (id est, agere ex ignorantiâ antecedente, & agere cum ignorantiâ comitante) videturque non existimare digna veniâ, quæ fiunt ab ignorantibus, si non fiunt ex ignoratione: ergo ignorantia comitans non facit, quòd opus sit non voluntarium: alioquin præstaret, quòd esset veniâ dignum. At, in primis Arist. *lib. 3. Ethic. cap. 1. aliàs* 2. loquens de ijs, quæ fiunt cum hâc ignorantia comitante, ait, neque inuitè fieri; neque fieri sponte; ac proinde fiût non voluntariè secundum rationem ignoratam, vt docet D. Thom. secutus Arist. Deinde mens Arist. est eadem cum mente D. Thom. nuper explicata; nempè, operationes factas cum ignorantia comitante non esse effectiuè, & affectiuè venia dignas secundùm circumstantiam ignoratam: quia licèt tales operationes, vt vestitæ circumstantijs ignoratis, non sint voluntariæ; ea tamen ignorantia comitans coniungi solet cum affectû prauo venia indigno circa tales circumstantias secundùm se sumptas; quanuis non prout afficientes talem operationem, quam afficere ignoratur.

D. Tho. *Aristo.*

18 Obijcies tertiò. Ignorantia comitans perinde se habet, ac si non esset in ordine ad operationem. At, hoc falsum esset, si tanti esset momenti in ordine ad illã, vt rederet ipsam

non

non voluntariam, eaque propter abstergeret malitiam: ergo non reddit illam non voluntariam. Resp. Admitto ignorantiam comitantem perinde se habere, ac si non esset, in ordine ad operationem quoad existentiam intrinsecam talis operationis: cum quo benè stat, non se habere perinde, ac si non esset in ordine ad hoc; vt operatio euadat non voluntaria, & à culpa libera quoad circumstantiam ignoratam. Huiusmodi nanque rationes sunt extrinsecæ operationi intrinsecè spectatæ. Optime autem conciliantur, vt patet, quòd aliquid non conferat ad existentiam rei intrinsecam; benè tamen ad rationes ipsi extrinsecas.

19 Obijcies quartò. Quando quis emittit sagittam aduersus inimicum, putans emittere contra ceruum, potest eo animo esse, vt vellet occidere inimicum. At, tunc daretur peccatum homicidij: ergo per ignorantiam comitantem non excusatur hoc peccatum. Concessa maiori respondeo. Daretur tunc peccatum internum, & quoad affectum homicidij. Nam, hoc peccatum stat in affectû turpi ad homicidium; non tamen daretur tunc peccatum externum homicidij in ea operatione, quæ non putatur occisiua hominis; sed cerui. Vnde, non excusatur internũ peccatũ affectûs; benè tamen externum operationis exterioris. ¶ Quod si sagittans, ita emitteret sagittam, vt haberet hunc affectum * Eam iacio, vt si forsan ibi existit meus inimicus traijciatur * iam subdubitat, & suspicatur, hanc operationem hic, & nunc conducere ad occisionem inimici. Nam alioquin, exprimere non posset talem affectũ. Quãdo autem dicimus ignorantiam comitantem auferre penitus voluntarium, & peccatum externum circa ignoratã circumstantiam, sermò est de ignorantia non mixta ex prædicta subdubitatione, vel suspicione, vt amplius explicatur tract. de peccatis.

20 Obijcies quintò. Iuxta Arist. tristitia adueniens post actionem exercitam est signum denotans fuisse exercitam inuoluntariè: ergo à contrario, gaudium adueniens post actionẽ exercitam est signum indicans fuisse exercitam volũtariè. At, post operationem exercitam cum ignorantia comitante solet succedere gaudium. Nam, qui emittit sagittam in viuens oppositum putans esse ceruum, libentius emissurus, si sciret esse hostem, postea veritate compertâ, quòd hostem transfixerit, concipit gaudiũ circa talẽ operationẽ: ergo operatio exercita

cum ignorātia comitāte est volūtaria. Resp. Potest dupliciter aduenire tristitia post operationē exercitā. *Primò*, proueniēte tristitiā ex circūstantijs denuò cognitis; non autē præuisis ante operationē. Et tunc tristitia nō indicat operationē exerceri inuolūtariè. Quòd enim circūstātiæ denuò in operatione cognitæ pariant tristitiam, non arguit, quòd eis circūstantijs non cognitis resistat voluntas, quominus ea operatio exerceatur. *Secundò*, post operationē iam exercitam potest aduenire tristitia ex eo, quòd operatio iam appareat coniuncta in exercitio cum eis circumstantijs molestis, cum quibus esse coniungēdā præuidebatur: & tunc huiusmodi tristitia probabile signum est, quòd talis operatio, vt eas circumstantias induens exercita est inuolūtariè. Quod enim voluntas tristetur de operatione, vt coniuncta cum talibus circumstantijs, arguit probabiliter, quod voluntas, cum præuisione operationis, vt connexæ cum eis circumstantiis, resistebat aliquomodo, quominus talis operatio exerceretur. Eâdem proportione ratiocinandum est in ordine ad voluntarium de gaudio concepto post operationem iam exercitam. Quia igitur gaudiū de operatione, vt cōiunctâ in exercitio cum circūstantijs, quæ per ignorātiam comitantē ignorabantur, est gaudiū cōceptū ex circūstātijs denuò apparentibus; nō autē anteriùs pręuisis; idcircò, tale gaudium non arguit eam operationem, vt subiacentē eis circumstantijs, fuisse exercitam voluntariè.

21 At, contra solutionē, mihi satis verā; sic oppones. Tristitia de operatione, vt coniunctâ cum circūstantia, quæ ignorata fuit per ignorantiā antecedentē, est, ex Arist. signū denotans fuisse talem operationē inuolūtariè exercitā, vt ei circūstantiæ subiacentē. At, ea tristitia concipitur ex circumstantia nouiter apparente; non verò anteriùs præuisâ: ergo etiam est signum inuoluntarij tristitia concepta ex circūstātia, quæ denuò apparet, & consequenter erit signū volūtarij gaudiū circa operationem ex circumstantia, quæ denuò cognoscitur. *Resp.* Suppositâ cognitione ostendēte in genere malitiā operandi cū tali circumstantiâ, tristitia de quâ loquitur obiectio, est probabile signū inuolūtarij desumpti ex affectû voluntatis recusantis in genere operari cū tali circūstantia. At verò, tali singulari operatione ignoratâ, vt affecta tali circūstantiâ; tristitia de tali operatione iam exercita, & coniuncta cum ea circumstantia, non est signū inuoluntarij desumpti ex affectû vo-

lun-

luntatis recusantis in singulari talem operationẽ propter cõnexionẽ cum ea circumstantia. Si nanque ignoras connexionẽ huius singularis operationis cum tali circumstãtia, quomodo ipsam recusabis in singulari propter talẽ connexionẽ? Vnde, iuxta hanc doctrinã, distinguendo maiorẽ, concedendã de signo inuolũtarij petiti ex ea renitentia in genere; negandã verò de signo inuoluntarij petiti ex prædicta renitẽtia in singulari; cõcedenda est minor, distinguendúque cõsequens distinctione maioris, & subillatio est neganda de voluntario causalitèr accepto. Sed, quia non omnes intelligent solutionem absque vberiori explicatione, iam eam subdo.

22 Emissio sagittæ v.g. vt cõiũgẽda cũ homicidio potest dupliciter esse inuoluntaria positiuè. *Primò*, ex eo, quòd animus cogitans esse malũ exercere operationẽ connexã cũ homicidio habet affectũ istũ generalẽ * Nolo exercere actionẽ connexã cũ homicidio * cũ quo tamẽ exercet emissionẽ sagittæ ignorando connexionẽ ipsiûs cũ homicidio. *Secundò* ex eo, quòd animus habeat affectum, quo in singulari sic procedat * Nolo hanc emissionem sagittæ propter connexionẽ ipsiûs cum homicidio * Si ignoretur connexio istiûs operationis cũ homicidio, nequit talis operatio exerceri inuoluntariè inuoluntarietate secũdi generis, vt patet: eaque ignorantiâ suppositâ dũ talis operatio exercetur, tristitia postea secuta, ex visione talis operationis coniunctæ cũ homicidio, nõ potest esse signũ inuolũtarietatis secundi generis. Cæterũ, & si ignoretur connexio istiûs operationis cũ homicidio, potest talis operatio exerceri inuoluntariè inuoluntarietate primi generis: quia cũ eâ ignorantiâ stat, quòd dum talis operatio exercetur, cogites in genere malũ esse exercere actionẽ cõnexã cũ homicidio, habeasque illũ affectũ generalem * Nolo exercere actionẽ cõnexam cũ homicidio * Deinde, tristitia postea secuta est signum probabile inuolũtarietatis primi generis, si anteriùs supposita fuit cogitatio, quòd malũ est exercere operationẽ connexã cũ homicidio. Si enim quis tristatur videns hanc suã operationẽ cõnexam cũ homicidio, probabile est, quòd licèt prius hanc operationẽ in singulari nõ refugerit, quia eam in singulari non prænouit cõnexã cũ homicidio; tamẽ in genere refugerit exercere actionẽ connexam cum homicidio, quia prænouit malũ esse talitèr operari.

23 Hinc fit, tristitiam, quã parit aliqua operatio ex cõiũ-

ctione cũ aliquo effectû, v.g. cũ homicidio, nó arguere inuolũtariũ circa operationẽ; vt cõiungendã cum eo effectû, nisi prius adfuerit cognitio sufficiens, vel ad refugiendũ in genere operari cũ eâ circũstantiâ, vel ad refugiendũ in singulari talẽ operationẽ propter cõnnexionẽ cum ea circũstãtia. Et in hoc stat vis solutionis traditæ n. 20. Tandẽ, ne quis obijciat, quòd his auditis cuique statim se offeret; nimirũ, si operatio, vt coniuncta cum homicidio est inuoluntaria, quando talis coniunctio ignoratur per ignorantiam antecedentem, quia tunc datur affectus, quo volũtas in genere recusat exercere operationem connexam cum homicidio; etiam à contrario, operatio, vt coniuncta cum homicidio erit voluntaria, quando talis cõiunctio ignoratur per ignorantiam comitãtem: quia tunc dari solet affectus, quo voluntas prompta est ad exercendam operationem, etsi præuideretur connexa cum homicidio. Ne, inquã, sic obijcias, negãda est cõsequẽtia de volũtario causali, quamuis eam admittamus de aliquali voluntario obiectiuo.

24 Nota tria. *Primũ*. Affectus ille, quo volũtas, quando emittitur sagitta, est prõpta, vt eam operationẽ exerceret, etsi præuideret ipsam cõnexã cũ homicidio, constituit aliquomodo obiectiuè voluntariã eam operationem, vt coniunctã cum homicidio. Quia voluntariũ obiectiuum, & obiectum volitum sunt prorsùs idem. Affectio autem voluntatis ad hanc operationẽ, quamuis coniuncta appareret cum homicidio, constituit aliquomodo volitam talẽ coniunctionẽ apprehensam, quamuis iudicetur, hanc operationem non habere talem coniunctionẽ cum homicidio. *Secundum*. Non sufficit hoc, vt talis operatio sit causaliter volũtaria, quatenus cõiuncta cũ homicidio. Nã. Vt effectus sit volũtarius causalitèr, sub aliqua ratione, requiritur procedere à volũtate determinante existentiam eiûs effectûs sub ea ratione. Nõ autem determinat voluntas, siue directè, siue indirectè talẽ operationem, vt coniungendam cum homicidio sine præuisione talis coniunctionis futuræ: quæ præuisio deest in casû nostro. *Tertium*. Affectus ille, quo voluntas in genere recusat exercere actionem connexam cum homicidio, constituit absolutè inuoluntariam talem operationem, vt coniunctam cum homicio. Ratio est, quia talis affectus constituit absolutè nolitas omnes operationes cõnexas cũ homicidio, quãuis indiscriminatim, & in confuso attingat ipsas sub ea ratione. Quod autẽ est absolutè nolitum est inuolũtariũ sine

addito:

addito: quia licèt requiratur processio à volũtate determinãte ad voluntariũ simpliciter dictum; non sic ad inuoluntariũ simpliciter dictum; sed ad hoc sufficit ita euenire, vt simpliciter sit obiectum nolitum. Quod patet ex *disp.6.num.13.*

CAP. III.

De ignorantia comitante mixta.

25 HÆc dixerim de ignorantia purè comitante. Quia, tamen, vt vidimus *cap.1.num.3.* datur etiam ignorantia comitans mixta ex ignorantia consequente: nempè ignorantia, quæ partim est consequens, quia ex determinatione libera voluntatis originem ducit; & partim comitans, quia cum aliqua operatione sic coniungitur, vt nullaten' eam causet, vel ab illa causetur, videndum est, quo pacto se habeat hæc ignorantia in ordine ad voluntarium. ¶ Assero primo. Ignorantia mixta ex consequente, & comitante potest relinquere voluntariam secundum circumstantiam ignoratam, eam operationem, ad quam se habet cõcomitanter. Sic tenet Eximius Doctor *disp.4.sect.2.a num.*18. P. Salas *tract.3.disp.4.sect.2.conclus.*4. P. Arriag. *disput.12.num.*23. P. Valentia 1.2. *disput.2.quæst.1.punct.6.* § *Respondeo, omnino.* P. Vazquez *disp.29.num.*18. P. Tanner. *disput.2.de Actib.human. quæst.1.dub.8.num.*88. P. Amicus *disput.3 sect.5.num.*159. P. Obiedo 1.2.*tract.6.contrregister.6 punct.2.num.*15. P. Baldell. *lib.1.de human.act. disp.26.num.3.vers. Ad secundum Respond.* Raphael de Auersa 1.2.*quæst.6.sect.12.§. Quare hæc diuisio* Pascualigus *disp.17.sect.2.num.*13. Et quidem, cum hæc cõclusio loquatur aptissimè, vt videbimus, & quoad rem ipsam euidenti ratione nitatur, eamque amplectantur grauissimi. Autores præcitati, videtur ridicula planè censura Ildephonsi Baptista Dominicani, qui.1.2.*q.9.art.8.disp.97.n.*35. ait, hanc conclusionem in rigore sumptam esse Aristoteli, ac D. Th. contrariã, alienã à veritate, & improbabilem. Videat sincerus veritatis amator quanti pendendæ sint aliquorum censuræ contra nostros Autores.

Suarez. Salas. Arria. Valent. Vazq. Amic. Obiedo. Auersa Pascual.

26 Nostra conclusio probatur manifestâ ratione ex sapiẽtissimo Suario sup. sit casus, in quo quis ante emissionem sagittæ dubitet, an viuens sibi oppositum sit inimicus, quem trans-

transfigere vellet; & in quem, si eum esse sciret, emitteret libẽtissimè sagittam. Deinde, potens hoc dubium deponere; idque ex negligẽntia voluntariè omittens, sagittam emittat, iudicãs tale viuens esse feram; iudicio tamen adiunctam habente talẽ dubietatem. Tunc sic. In isto casû emissio sagittæ relinquitur voluntaria quoad circumstantiam homicidij. At, hæc circũstantia ignoratur aliquomodo, eáque ignorantia reipsa est, & aptissimè dicitur, partim consequens; partimque comitans: ergo vera est nostra conclusio. Maior patet. Nam in eo casû sagittarius est homicidij reus; quippè sic hominem occidit, vt dubitans an sit homo viuens illud, in quod sagittam emissit, eam emiserit se exponens voluntariè periculo occidendi hominem. Minor constat triplici parte verissimis. Prima patet. nam sagittarius putat tale viuens esse feram, & in hoc errat, cum sit homo, idque ipse sagittarius non scit, quanuis dubitet. Ergo tunc existit aliqua ignorantia. Secunda pars, nempè talem ignorantiam reipsa esse partim consequentem; partimque comitantem est mihi euidens. Esse consequentem, neque negant; neq; negare possunt aduersarij, cum in eâ ignorãtiâ versetur homo voluntariè ex sua negligẽtia. Esse comitantem; nõ quidem simpliciter, & ex omni parte (quis hoc dicat, concesso iam, quòd ex aliqua parte sit consequens?) sed secũdùm quid, & ex aliqua parte, videtur clarissimum. Quia.

27 Talis ignorantia coniungitur cum sagittatione non excusans illam à malitia homicidij. At, nõ est antecedens anterioritate causalitatis ad eam sagittationem, quia non causat eam; sed ea potius libentius exerceretur, ea ignorãtia seclusa. Deinde, non est consequens ad sagittationem, posterioritate causalitatis; cum sit manifestum eam ignorantiam non causari á sagittatione. Patet ergo secundùm ordinem causalitatis esse comitantem respectiuè ad sagittationem, quam neque causat; neque ab illâ causatur. Patet etiam tertia pars; nempè, talem ignorantiam aptissimè vocari partim consequentem; partim comitantem. Tum, quia accepto extremo, quod ab vno voluntatis opere causatur, & quod alia opera voluntatis non causat; neque ab illis causatur: certè, interroganti, quo pacto se habeat hoc extremum ad opera voluntatis, aptissimè, & exactissimè respondebitur, partim se habere consequenter, & partim comitanter. Tum, quia aptissimè dicunt Thomistæ decretum diuinum de producendâ creaturâ subsequi ad scientiã na-

naturalem ex quâ dirigitur; & anteire ad scientiam visionis, quæ in eo decreto fundatur. Rursus, ijdem aptissimè loquuntur, vt putant, dicentes, prædeterminationem ad consensu liberũ cõsequi ad potentiam liberam, quam præsuppositam applicat ad vnum, & antecedere ad consensum liberum, ad quem, vt liberè faciendum prædeterminat. Si ergo, de extremis, quæ ab aliquo causantur, & aliud causant iure optimo dicitur, subsequi ex vno; & antecedere ad aliud ordine causalitatis; iure etiã dicetur de extremo, quod ab aliquo causatur, & cum alio cõiũgitur, neq; illud causãs; neq; ab illo causatũ (quo pacto se habet ignorantia, de quâ loquimur) subsequi ex vno, aliudq; comitari ordine causalitatis. Innumera omittantur exẽpla. Nã, vt video, viris doctis apparebit indignũ ampli' hic immorari.

28 Respondet Baptista sup. *n. 96.* argumentum factum * non esse ad propositũ: transit enim ad actũ factũ sine sufficienti diligentiâ, & sic ad actum ignorantiæ subsequentis: nos verò loquimur de actu subsequuto ex ignorantiâ cõcomitante; quæ iuxta nostram doctrinam semper supponit sufficientem diligẽtiam; & ideo procedit ex ignorantiâ inuincibili, & excusat à peccato * Sunt ipsius pura verba. Solutio tamẽ extra rem est. Non enim contendimus, ignorantiam ita purè comitantem, vt non sit subsequens ad negligentiam liberam voluntatis, relinquere voluntariam aliã operationem secundùm rationẽ ignoratam; sed loquimur de ignorantiâ subsequente mixtâ ex cõcomitante. Vel igitur, loquendo de hâc ignorãtiâ cõcedit nobis hic Autor nostrum intentum; vel non? Si primum: ergo nostrum intentum verum est. Qua igitur fronte *n. 85 & n. 121.* vocat illud à veritate alienum, improbabile, falsum, & inculcans repugnantia. Si secundum, respondeat rationi factæ sistendo in eâ ignorantiá, de quâ loquimur, non saltans extra chorum ad aliam, de quâ non est sermo.

29 Vt autem sine tergiuersatione constet, hunc Autorem minùs consideratè sugillasse tantos viros pro nobis adductos *n. 25.* euoluamus hæc tantisper. Hic possunt nonnulla spectari. *Primum*, eam ignorantiã reipsâ, siue sit dicenda consequens; siue comitãs, relinquere voluntariam operationem secundum circunstantiã ignoratam. *Secundum*, eam ignorantiã esse purè comitantem. *Tertium*, saltem esse comitantẽ secundum quid. *Quartum*, esse verè, ac propriè comitantem, ita vt non minus sit concomitans, quãqbsesuuens, neq; minus essentialiter per-

tineat ad speciem concomitantis, quàm subsequẽtis. At, quolibet istorum spectato, non bene se gessit aduersarius. Igitur audiendus non est. Minor probatur apertè per partes. *Quoad primam.* Nam, quanuis dubitari possit cuiusnã speciei sit prædicta ignorãtia; clarè tamen constat *ex n.26.* relinquere operationẽ voluntariã, quoad circũstãtiã ignoratã. Vnde, fatetur id aduersarius; ex alia licet parte sentiat, eam ignorantiã ad speciẽ consequentis; non verò comitãtis pertinere. *Quoad secundã.* Quia, neque nos; neque Autores pro nobis adducti putant eam ignorantiã esse *purè* comitantẽ, vt constabit eos legenti; sed esse cõsequentẽ ad negligentiã liberã voluntatis; & concomitantẽ respectũ alteriùs operationis. Vnde, aliud tribuere nostræ conclusionis assertoribus, crassa esset ignorantia, turpisque impostura. *Quoad tertiã.* Nam, vt sæpè fatetur aduersarius, qui legi poterit *n.109.137. & alibi*, ignorãtia, quæ subsequens est ad negligentiã liberam voluntatis; ac deinde causat aliã operationẽ, est ex hoc posteriori nomine secũdum quid antecedens: ergo ignorantia subseques ad negligentiam liberã voluntatis; deindeque cõiuncta cũ alia operatione, cuiùs neq; causa est, nec effectus, est comitans saltẽ secũdũ quid, cũ non minus ad concomitantiã pertineat, neque causare; neque causari, quã ad præcedẽtiã causare. Sed, quid hic moror? Nam ipse aduersarius *disp.98. dub.2. fragm.1.* ignorantiã, de qua loquimur, vocat subsequentẽ mixtam ex cõcomitante: & n.163. fatetur posse meritò dici sic mixtã, esseq; ex parte; sed accidentariò, & secundùm quid, quanuis non integrè concomitantem.

30 *Quoad quartã.* Tũ, quia si defensores nostræ conclusionis legantur, non aliam cõcomitantiã prædictæ ignorãtiæ tribuũt, quã in eo cõsistẽtẽ, vt cõiungatur cũ aliqua operatione, neque illã causans; neq; ab illa causata, quicquid sit, an hoc sit propriũ cõstitutiuũ simpliciter, & integrè dictæ ignorãtiæ cõcomitantis, vt distinctæ ab antecedẽte, & cõsequẽte, nec ne. Atqui aduersarius iã cõcedit hanc cõcomitantiã, quoad rem, & quoad nomen. Quid ergo mordet? Tũ, quia non est cur talis ignorantia, non dicatur propriè, & tã propriè comitans, quã subsequens; quanuis nequeat dici *purè* concomitans, eo quòd mixta est cum subsequente. Nam, ea ignorantia est, iuxta aduersarios, propriè subsequens; cum tamen vnius dũtaxat operationis voluntariæ sit effectus; & alterius neque sit causa;

neque

neque effectus: ergo similiter erit propriè concomitans: quia sic cum aliquâ operatione voluntariâ coniungitur, vt neque illiûs sit causa; nec effectus, tametsi sit effectus alterius. Confirmatur. Propriè est *tale*, cui propiè cōuenit definitio talis. Propriè autem conuenit prædictæ ignorantiæ diffinitio ignorantiæ concomitantis respectiuè ad operationē, cuius neque causa est; nec effectus. Quod probatur. Nam D. Tho. in præsenti art. 8. non aliud ait de ignorantiâ comitante, quâm esse *de eo quod agitur: tamen etiam si sciretur, nihilominus ageretur: tunc enim ignorantia non inducit ad volendum; vt hoc fiat; sed accidit, simul esse aliquid factum, & ignoratum: sicut in exemplo posito; scilicet, cum aliquis vellet quidem occidere hostem; sed ignorans occidit eum, putans occidere ceruum.* Ex quibus probo in nostro casû competere ignorātiæ, de qua loquimur, omnia prædicata ignorantiæ concomitantis in ordine ad sagittationem, quatenus occisionem hostis. D. Tho.

31 Quoniam est ignorantia *de eo quod agitur.* Nam, per hanc operationem agitur hosticidium, idque ignoratur. *Tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur.* Loquimur enim in isto casû. *Et tunc ignorantia non inducit ad volendum, vt hoc fiat*; nempè, non inducit ad volendum sagittare: non enim occultat, quod attentâ dispositione volūtatis remoueret cognitum à volitione sagittandi; sed potius, quod magis moueret. Hinc, *accidit simul esse aliquid factum, & ignoratum.* Nam, ignoratio, quòd talis sagittatio est connexa cùm hosticidio, & exercitium talis operationis non seruant ordinem prioritatis, & posterioritatis viâ causalitatis; vel puram simultaneitatem in eo ordine. Non video quid ad mentem D. Thomę posśit esse exactius. ¶ Respondebis tamen, partim ex his, quæ ait Bapt. *disp. 98. num.* 162. partim ex his, quæ prædixerat *disp. 96. præsertim num.* 40. mensuram, ex quâ æstimandum est, quænam ignorantia sit antecedens, comitans, aut subsequens, esse illum actum voluntatis, qui primariò, & radicaliter continet actum ex ignorantiâ faciendum. Itaque, ignorantia, quæ præcedat, comitetur, vel subsequatur eiusmodi actū, erit propriè præcedens, comitans, vel subsequens; secus impropriè, & abusiuè. Quoniā igitur, in casû nostræ conclusionis, ignorantia subsequitur ad voluntatem directam, vel indirectam ignorandi, quæ voluntas est causa radicalis, & virtualis actus facti ex ignorantiâ: nempè, actus sagittandi; idcirco talis ignorantia Bapt.

rantia solùm est consequens propriè loquendo; abusiuè autem concomitans.

32 At in primis, iam eo præcisè falsa, implicatoria, & impossibilis erit opinio nostra, quia concomitantiam ignorãtiæ non æstimat ex mensurâ, quam hic Autor assignat: cumque ipse singularis sit in hâc assignatione, vt cuique in Autorum lectione versato patebit; consequens planè est, nostram opinionem, eo præcisè notâ inuri, quia non adhæret singulari cogitationi cuiusdam neotherici. Nullum, vt credo terrebunt huiûs qualitatis censuræ. Maximè cum videatur æquius concomitantiam ignorantiæ explicare sincerè ad mentem Præceptoris Angelici Theologorum Principis, vt fecimus *n.* 31. non additis alijs, quæ pluribus apparebunt violenta, quàm singulari Theologi Recentis cogitationi acquiescere. Sed age, probemus efficaciter (probationem discẽtes ex Doctore Eximio iniustè notato) etiam iuxta sua principia non posse defendere pręcitatum Recentem, ignorantiam, de quâ loquimur, esse propriè subsequentem; sed potius deberet dicere, si sibi cõstaret, esse concomitantem, vt vel hic appareat adulterinam nobis assignasse mensuram.

33 Nam, per te, illa ignorantia non est subsequens; sed concomitans, quæ nulliûs actûs voluntatis primariò, & radicaliter causantis actum ex ignorantiâ factum est causa, vel effectus. At ignorantia, de quâ loquimur, talis est: ergo non est subsequens; sed concomitans. Probatur minor. Nam in casû nostro duplex interuenit voluntatis actus. *Primus* est actus, quo voluntas statuit directè, vel indirectè occultare circumstantiam hosticidij adiunctam hîc, & nunc sagittationi. *Secundus* est actus, quo decernit emittere sagittam. At, non est radix, & causa primaria sagittandi prior ille actus; sed solus posterior: huius autem, neque causa; neque effectus est ignorantia, de quâ est sermo. Ergo. Minor constat partitim. *Primò*, namque voluntas occultandi circunstantiam hosticidij tam abest, vt conferat ad exercendam sagittationem, quòd potiùs illud impediat, quo sagittatio libentius exerceretur; nempè, scientiam eiûs circunstantiæ. Ergo prior voluntas non est primaria radix, & causa operationis ignoranter factæ, scilicet sagittationis. *Secundò*, hinc patet posteriorem duntaxat actum, nempè voluntatem emittendi sagittam, esse in præsenti primariam radicem, & causam sagittandi. Nam huius operationis est

est in præsenti primaria radix, & causa aliquis actus voluntatis. Non prior, vt patuit: ergo posterior, quia non interuenit alius. *Tertiò.* Ignorantia, de quâ loquimur, non est effectus volitionis emittendi sagittam. Non enim subsequitur ad eam volitionem; sed illi adiungitur eam vitians. *Tandem*, non est causa eius volitionis. Nam in nostro casû, occultatio prædictę circunstantiæ nihil confert ad volendum sagittare; sed libentiùs id exerceretur eâ occultatione seclusâ: patet ergo veritas minoris, quam probandam suscepimus. Vnde constat, talem ignorantiam nullius actus voluntatis primariò, & radicaliter causantis actum ex ignorantiâ factum esse causam, vel effectum: demumque fit, inde præcitatum Recentem, si nolit sua principia deserere, teneri, vt dicat, ignorantiam, de quâ loquimur, non esse subsequentem; sed comitantem. Sed iam satis egimus cum hoc Theologo. Hæc autem fusius protraximus, vt nostris discipulis constet, quàm oporteat sibi temperare ab opinionibus grauium Doctorum censendis.

34 Obijcies tamen primò, Iuxta Arist. ac D. Thom. sup. id, quod fit cum ignorantiâ comitante *est non voluntariũ* secundum circumstantiam ignoratam: ergo ignorantia comitans non relinquit operationem in ratione volũtariæ secundũ circunstantiam ignoratam. Respondeo. Constat ex probatione, quâ tanti viri mouentur, sermonem ipsis esse de ignorantiâ sic purè comitante, vt non sit mixta ex subsequente. Nostra verò conclusio procedit de ignorantiâ comitantę mixtâ ex subsequente. ¶ Obijcies secundò desumptâ occasione ex dictis *num.* 33. In casu conclusionis sagittatio, vt induens circunstantiam hosticidij, non est directè voluntaria: non enim exercetur tunc sagittatio ex directâ intentione occidendi hostem; sed ceruum. Deinde, non est indirectè volũntaria in ipsâ ignorantiâ voluntariè existente. Nam talis ignorantia, neque est causa hosticidij, vt ibi vidimus; neque præuidetur conneca cum hosticidio: quippè, quæ indifferens est, vt existat, & non existat sagittatio, ex quâ hîc, & nunc sequitur hosticidiũ: ergo nullatenus est voluntaria in casu conclusionis sagittatio, vt induens circunstantiam hosticidij. *Aristo.* *D. Tho.*

35 At, ex P. Suarez supra *n.* 19. ex quo didicimus impugnationem factam *nu.* 33. discimus pariter, solutionem obiectionis. Respondemus ergo: esse indirectè voluntariam circunstantiam hosticidij, non in illâ ignorantiâ: sed in ipsâ sagitta- *Suar.*

gittatione. Nam, in casû conclusionis hæc sagittatio ex vnâ parte est causa hosticidij; & ex aliâ parte dubitatur an ea sagittatio sit connexa cum hosticidio; nec ne: quæ dubitatio ex voluntaria negligentiâ non excutitur. In ordine autem ad voluntarietatem, & imputabilitatem hosticidij in sagittatione, perinde est eam exercere cum dubitatione illiûs, vt connexæ cum hosticidio, atque cum præuisione talis cõnexionis. Quomodo autem non sit positiuè inuoluntaria simpliciter operatio factá cum ignorantiâ comitante; possit autem esse positiuè inuoluntaria secundùm quid, breuissimè diximus; sufficienter tamen *num.* 14.

CAP. IIII.

De ignorantia antecedente.

36 VT plenè comprehendantur, quæ dicemus, oportet habere præ oculis, quæ de naturâ ignorantiæ antecedentis, & comitantis diximus *à n.6. vsque ad* 14. Quibus suppositis, in primis agimus de ignorãtia antecedẽte nudâ prorsus à consideratione, adhuc dubiâ circunstantiæ ignoratæ. Rursus, claritatis gratiâ, potest alia ignorantia dici *laxè antecedens quoad rem præsentem*; & alia strictè antecedens: quarum vsurpationum ratio constabit *num.* 42. Laxè antecedens, quoad rem præsentem ea est, quę coniungitur cum hac veritate conditionata contingente * Si adesset opposita scientia nõ exerceretur talis operatio * nimirum, non exerceretur sagittatio, si adesset scientia, quòd talis operatio sibi habet annexũ homicidium; non tamen cõiungitur, siue cum affectû præsente; siue cum præterito non retractato contra homicidiũ. Strictè antecedens est, quæ coniungitur cum affectû contra circunstantiam ignoratam, v. g. contra homicidium, cui affectui, si adiungeretur notitia opposita, non exerceretur talis operatio,

37 *Assero primò.* Ignorantia antecedens purè sumpta, quæ nuda sit ab omni etiam dubiâ cõsideratione circũstãtiæ ignoratæ, tametsi loquamur de ignorantiâ antecedente laxâ, in causâ est, vt operatio sit non voluntaria quoad circunstantiam ignoratam. Eam voco purè sumptam, quæ ita præcedens est, vt non sit subsequens ad exercitium volũtatis. Alij ter-

termini iam sunt expositi. Communis autem est assertio illis omnibus, cum quibus asseruimus *cap. 2. num.* 14. idem esse dicendum de ignorantia purè comitante. Ratio autem est eadé: quia circũstantia omnino ignota est non voluntaria. Videantur ibi dicta. Hinc, pro re morali communia sunt circa ignorantiã purè antecedentem, necnon, circa purè comitantem hæc consectaria, quæ post P. Vazq. & alios videri possunt apud P. Præpositum *in præsenti q. 6. art. 8. dub. 1.* Primum est. Non imputatur ad culpam, quod cum aliqua ex prædictis ignorantijs exercetur, qua parte sic exercetur. Nam, hac parte non est voluntarium. Dixi: *qua parte, &c.* quia potest operatio ex vna parte imputari ad culpam, quia ex ea parte scienter exercetur; & ex alia non imputari, quia ex illa fit ignoranter. *Vazq. Præpos.*

38 Sic, si sciens, & volens percutias hominem, quem per alteram ex prædictis ignorantijs ignoras esse clericum, imputabitur tibi talis operatio, vt homicidium; non verò, vt clericidium: ideoque peccas iniustè, non verò sacrilegè. Sic, si carnaliter copuleris cum sorore tuæ vxoris; cætera quidem sciens, & volens; ignorans tamen alterâ ex prædictis ignorantijs esse sororem vxoris, non imputatur tibi ad culpam talis operatio, vt copula cum sorore vxoris; sed vt copula vxorati cum aliena: vnde, fornicarie, & adulterè peccas; nõ incestuosè. ¶ Secundum consectarium est. Pœnæ, & vincula, quæ contrahuntur propter peccata talis, vel talis speciei non incurrũtur, si malitia talis speciei sit ignorata per alteram ex prędictis ignorantijs? Vnde, si cum altera ex illis occidisti hominem putãs esse feram, neque ligaris obligatione restituendi damna inde secuta; neque plecti debes, vt homicida; neque contrahis irregularitatem homicidij etiam casualis. Similiter, in primo casû *in hoc num.* adducto nõ incurris excommunicationem annexã percussioni clerici. Deinde, in tertio casû cognoscendi sororem tuæ vxoris non vrget obligatio non petendi debitum ab vxore.

39 *Assero secundò.* Ignorantia præcedens laxè, quæ non coniungitur cum affectû reclamante contra rationem ignoratam; sed præcisè cum veritate conditionata, quam assignauimus *num. 26.* non est causa operationis inuoluntariæ positiuè absolutè secundùm rationem ignoratam; sed tantùm positiuè conditionaliter. Hæc assertio mihi est omnino vera; sed quia non

non satis expressè traditur ab Autoribus, forsan illi, qui veritatem nostræ conclusionis ignorant, difficultatibus implicabuntur, quæ reuerà nulliûs momenti sunt. Ratio à priori est. Nam iusta, & exacta mensura euentus in ratione positiuè inuoluntarij est affectus voluntatis reclamantis contra existentiam eiûs euentûs. Vnde, si resistentia voluntatis est imperfecta, cuiusmodi est simplex nolleitas, imperfectum est inuoluntarium; si perfecta, cuiusmodi est plena nolitio, plenum est inuoluntarium: si actualis, est actuale; si habitualis; nempè, nolitio præterita non reuocata, inuoluntarium est habituale: ergo, eâdem proportione, si nolitio non est absolutè existens; sed solùm conditionatè; quia scilicet; non *est*; sed *esset*; inuoluntarium non erit absolutum: sed conditionatum. At, in casû nostræ conclusionis non existit absolutè voluntatis affectus reclamans contra opus, v.g. vt habet annexum homicidium; sed præcisè est verum, quod talis affectus existeret, si vice ignorãtiæ præsentis daretur opposita scientia: ergo in eo casû tale opus secundùm rationem ignoratam non est positiuè inuoluntarium *absolutè*; sed purè conditionaliter. Vnde (vt excludamus verborum lusum) si de præsenti, & actualiter non sit præparatio animi iam nunc auersantis opus secundùm talem rationem, nihilque aliud subest ei voci *præparationis*, quàm verũ esse, quòd in alio casû scientiæ, voluntas resisteret, nihil dicitur, quod satisfaciat, vt ex probatione facta constat; sed inaniter verba iactantur.

D. Tho. 40 *Secundò*, quia iuxta D. Th. *in hac q. 6. art. 7. ad 2.* repugnantia voluntatis, quæ præcesserat ante concupiscentiam, circa opus, quod concupiscitur, quia non manet quandiu datur concupiscentia, non reddit inuoluntariũ opus, quod ex concupiscentia fit: ergo non sufficit ad inuoluntariũ actuale repugnantia, quæ non est; sed fuit: ergo neque sufficit ad inuoluntarium absolutum repugnantia, quæ non est; sed esset, si daretur certa conditio. *Tertiò*. Sumamus casum, in quo homo dubitans an tale viuens sit fera: vel homo, maneat in hoc dubio ex negligentiâ voluntariâ; & tamen emittat sagittam aduersus hoc viuens, quod reuerà est homo, non emisurus, si iudicium determinatum ferret, quo putaret esse hominem. Tunc sic: In isto casû non potest esse simpliciter inuoluntarium homicidium: quia tametsi vera sit conditionalis ista: ***Si hic homo determinatè iudicaret huic operationi annexum esse homicidium,***

ctum, non exerceret ipsam: tamen cum his, quæ interueniunt in eo casû componibilis non est iste affectus: *Nolo operationem connexam cum homicidio*; non enim habet hunc affectum, qui se exponit manifesto periculo homicidij: ergo neque in casû nostræ conclusionis est simpliciter inuoluntarium homicidiū: in eo enim casû est eius affectûs carentiâ, quâ nihil incompossibilius cum eo affectû.

41 *Quartò* tandem. Ignorantia comitans non relinquit opus actualiter, & absolutè voluntarium; sed potius reddit non voluntarium, vt vidimus *cap.* 2. ergo ignorantia, quā vocamus *laxè antecedentem*, nō causat opus actualiter, & absolutè inuoluntarium positiuè. Probatur consequentia. Nam, sicut hęc ignorantia antecedens coniungitur cum hâc veritate conditionali * Esset nolitio talis operis, si loco ignorantiæ scientia opposita adesset * ita illa ignorantia comitans coniungitur, vel coniungi solet cum hac veritate conditionali * Esset volitio talis operis tametsi loco ignorantiæ adesset opposita scientia * ergo si hæc posterior veritas de volitione futurâ non præstat, quòd opus secundum circunstantiā ignoratā sit voluntarium; neque prior præstabit, quod sit inuoluntariū, cum non minus volitio conducat ad voluntarium; quàm nolitio ad inuoluntarium. ¶ *Dices*. Ignorantia tollit principium requisitum ad voluntarium; nempè, cognitionem; proindeque ignoratum, quâ parte ignoratum est, nequit esse voluntarium; non tamen tollit, quod voluntas in confuso, & in genere nolit operari cum tali circumstantiâ, v.g. nolit exercere operationē annexam habentem circunstantiam homicidij; quanuis hîc, & nunc velit exercere operationem, cui annexum est homicidiū; ignoratâ tamen eâ connexione: cum igitur ea generalis nolitio satis sit, vt opus sit inuoluntarium, quâ parte annexum habet homicidium; poterit ea ignorantia causare opus simpliciter inuoluntarium secundùm talem circumstantiam.

42 Hæc solutio momenti esset, si, vt contendimus, requireretur ad inuoluntarium positiuum nolitio actualiter existens voluntatis repudiantis euentum, qui dicitur inuoluntarius. At, in casû conclusionis, vbi talis absoluta, & actualis nolitio deest, non habet locum solutio. Nulla namque potest esse ratio, cur minus requiratur nolitio ad inuoluntarium positiuum, quàm cognitio, & volitio ad voluntarium. At, non sufficiunt ad voluntarium actuale, cognitio, & volitio, quæ non sunt

sunt; sed in aliâ hypothesi essent: ergo non sufficit ad inuoluntarium positiuum actuale, nolitio, quæ non est; sed in aliâ hypothesi esset. Confirmatur. Nihil est actualiter, & absolutè violentum irrationalibus, si actualiter, & absolutè non habeat inclinationem naturalem ad oppositum, tametsi sortirentur illam in aliâ hypothesi: nam si nunc sublata est grauitas à lapide, quis dicat sursum ferri violenter nunc, eo quòd in alio casû grauitatem haberet? ergo nihil est actualiter, & absolutè inuoluntarium rationalibus, si actualiter, & absolutè non habeat inclinationem voluntariam elicitam ad oppositum. Vt enim se habet ad violentum resistentia naturalis; ita ad inuoluntarium resistentia voluntaria. Ex quibus patet, non immeritò prædictam ignorantiam vocatam à nobis esse *num. 36. laxè antecedentem quoad rem præsentem.* Nam in præsenti considerantur ignorantiæ in ordine ad non voluntarium, inuoluntarium, vel voluntarium, quod causant. Ignorantia autem, de quâ locuti hactenus sumus, perinde se habet ad hæc actualiter, & absolutè sumpta, ac si purè, puteque concomitans esset, vt patet ex dictis.

43 *Assero tertiò.* Ignorantia antecedens laxè, tametsi non voluntaria, potest relinquere opus simpliciter voluntarium secundùm circumstantiam ignoratam. Ad huiûs rei probationem consideretur iste casus. Dubitat Petrus, citra suum consensum, an viuens è regione positum sit fera, vel homo? quod est reuera homo. Deinde nullâ via potens deponere hanc dubietatem, aut ignorantiam proijcit sagittam contra tale viuens, non proiecturus, si certò sciret esse hominem. Hæc ignorantia est laxè saltem antecedens: quia remouet scientiam, quæ, si adesset, impediret talem operationem. Rursus, non est voluntaria, quippè quæ est citra omnem consensum Petri, qui nullâ viâ potest eam deponere. Iam præsto est probatio. Nam in hoc euentû Petrus est homicidij reus, ipsique imputatur talis operatio, prout habet sibi annexum homicidium: ergo simpliciter est ipsi voluntaria prout coniuncta cum eâ circumstātiâ homicidij. At, hæc circumstantia ignoratur per ignorantiam laxè antecedentem, & non voluntariam: ergo talis ignorantia potest relinquere opus simpliciter voluntariam secundum circumstantiam ignoratam.

44 Opponis. Ea ignorantia est inuincibilis: illam enim

enim nullâ diligentiâ potest Petrus superare, aut deponere. At, ex communi sensû Theologorum, ignorantia inuincibilis tollit ab opere rationem voluntarij, & imputabilis ad culpam: ergo cum prædictâ ignorantiâ non componitur esse tale opus voluntarium, & peccatum. Respondeo. Talis ignorantia est physicè, & formaliter inuincibilis propter rationem in obiectione positam. At moraliter, & virtualiter est vincibilis; nimirum, perinde se gerens in ordine ad hoc, vt imputetur ad culpam circumstantia ignorata, ac esset ignorantia, quam posset Petrus pro suo arbitrio suparare. Ratio est. Quia Petrus impotens deponere tale dubium, eoque non deposito, sagittam emittens, non minus se exponit liberè periculo homicidij, quàm si præstaret idem opus potens deponere tale dubium: cumque peccatum eius operis in eo stet, quòd ei periculo liberè se committat; consequens planè est, tam esse imputabile hoc peccatum, quàm si superabilis esset talis dubietas, & ignorantia. Replica, quæ fieri hîc posset diluetur opportunè *capit. 5. num. 53.*

45 *Assero quartò.* Opus, quod fit ex ignorantia antecedente strictè dictâ est simpliciter inuoluntarium positiuè. Hæc assertio est expressa D. Thom. *in præsenti art. 8.* & communiter reliquorum Theologorum, deduciturque manifestè ex dictis *capit.* 1. de naturâ ignorantiæ antecedentis. Nam ignorantia strictè antecedens coniungitur cum affectû, quo voluntas ita reijcit in genere operationem habentem sibi adiunctam circumstantiam ignoratam, vt talis affectus non permittat exerceri liberè operationem, quæ cognoscitur affecta ea circumstantiâ. Sed eiusmodi affectus sufficit, vt operatio affecta tali circumstantiâ sit simpliciter inuoluntaria positiuè, vt patet ex dictis de naturâ inuoluntarij: ergò, quòd fit ex ignorantiâ antecedente strictè dictâ est simpliciter inuoluntarium positiuè: scilicèt: *secundùm rationem ignoratam,* quod semper intelligendum est.

(§.)

S CAP.

CAP. V.

De ignorantia subsequente.

46 *Assero primò* cum communi sententiâ Theoll. Ignorantia subsequens, nempè illa, quæ contingit ex vsû libero voluntatis, potest relinquere opus simpliciter voluntarium secundùm rationem ignoratam. Ratio est. Quia peccatum est voluntarium simpliciter, in genere saltem morali. At, cum prędictâ ignorantiâ potest opus esse peccatum secundùm rationem ignoratam: ergo simpliciter voluntarium in genere saltem morali. Minor patet, posito sub adspectum communi casû. Nam, si quis dubitet, an hodie, scilicet feria sextâ, liceat vesci carnibus, & in hoc dubio, quod non explorando posset deponere; persistens ex suâ libera negligentiâ vescatur carnibus, absolutè nesciens, an id liceat hodie, peccat peccato vescendi carnibus die prohibito, quamuis per ignorantiam subsequentem ignoret prohibitionem: quippè liberè se cōmisit periculo faciendi rem prohibitam.

47 Vbi, pro doctrinæ complemento ex discutiendis latius tract. de Peccatis, obserua primò. In prædicto casû non relinquitur opus tàm plenè voluntarium, cæteris paribus, ac seclusâ tali ignorantiâ. Quia, seclusâ tali ignorantiâ, magis esset præcognitum opus secundùm rationem ignoratam. Eò autem opus euadit, cæteris paribus, magis voluntarium secūdùm aliquam rationem, quò magis est præcognitum secundū eam rationem. Hinc fit, non adò in prædicto casû peccaminosum prodire, ac seclusa ignorantia, cæteris paribus, euaderet: quia non euadit adeò voluntarium; peccatum autem quanto minus est voluntarium; tantò minus est, cæteris paribus, peccatum. ¶ Obserua secūdò, idem esse dicendum, tametsi ignorantia cōsequens affectata sit. Nam ratio facta vim æqualem habet in casû ignorantiæ affectatæ, vt consideranti patebit.

48 Tamen obserua tertiò, dupliciter posse affectari, vel intendi ignorantiam notante D. Th. *hic art.* 8. vel, vt excusationem peccati habeas; vel vt minus retraharis ab opere prauo. In vtroque casû, opus ex ignorantia consequenti factum est peccatum, vt constat *ex num.* 46. At in primo casû, affectus procuratiuus ignorantiæ non est prauus, quia turpe non est

D. Tho.

velle,

velle, vt casû quo peccatũ patretur nõ cõmittatur tam malè, ac plenè cognita malitia. At, in secundò casû prauus est ipse affectus procuratiuus ignorantiæ, cum per illum prætendatur expeditiùs patrari opus de cuiûs prohibitione dubitatur. ¶ Hinc fit, in hoc secundo casû fortè peccari magis omnibus inspectis, quàm si carnibus vescereris, v. g. benè cognita prohibitione. Quia malitia prædicti affectûs fortassè non solùm compensat; sed etiam superat id malitiæ, quòd in effectũ ex ignorantia minuitur. Ex quibus videtur D. Th. non solùm cum se ipso; sed etiam cum D. Bonauent. posse conciliari. Sed de his tract. de Peccatis. D. Tho. Bonauẽ.

49 *Assero secundò.* Contingere potest, vt ignorantia, quæ ex libero voluntatis vsû sit consequens, ita reddat opus non voluntarium secundùm rationem ignoratam, vt secũdùm eam rationem liberetur à culpa. *Sit casus*, in quo Petrus per errorem putet licitum esse hodie carnibus vesci: in quo errore tàm inhæsitanter versatur, vt nulla ratio dubitationis occurrat, nullaque subsit cognitio de obligatione inquirendi. Videt tamen Petrus se posse interrogare â Paulo, num sit feria sexta, vt experiatur an Paulus conscius sit in quo die viuat. Et sanè Petrus, si à Paulo interrogaret, suum errorẽ deponeret, quippè Paulus veritatis conscius Petrum instrueret. Tunc sic. In hoc euentu Petrus in sua ignorantia persistit ex omissione libera interrogandi Paulum. At hîc, & nunc esus carnium secundùm rationem illiciti adeò cum ea ignorantia est non voluntarius, vt idcircò liberetur à culpa, cum nulla cogitatio, scrupulus, vel dubitatio subsit, num sit illicitum comedere carnes: ergo ex ignorantia consequente potest opus secundùm rationem ignoratam ita esse non voluntariũ, vt idcirco secundùm eam rationem liberetur à culpa.

50 Opponis. Si ignorantia consequens, eo ipso quòd sit consequens est voluntaria, quomodo potest opus reddere non voluntarium? Confirmatur primò. Non potest esse non voluntarium opus causatum ex aliquo voluntario. At, in præsenti comestio carnium, secundùm rationem prohibitæ, causatur ex aliquo voluntario, nempè ex voluntariâ prohibitionis ignorantia, quæ, si non adesset, non fieret tale opus, vt suppono: ergo nequit ea comestio esse non voluntaria secundùm rationem prohibitæ. Confirmatur secundò. In prædicto casû, sic existit ea ignorantia secundùm rationem prohibitæ, vt possit tegi

Petrus eam omittere: quippè deponere potest talem ignorantiam, quam si deponeret, omitteret talem operationem: ergo talis operatio secundùm rationem prohibitæ exercetur liberè á Petro, & consequenter voluntariè. Cõfirmatur tertio. Prædicta ignorantia consequens de comestione carnium, vt prohibitâ, est ignorantia vincibilis; quippé, quam potest Petrus superare, ac depellere. At, iuxta communem Theologorum mentem, ignorantia vincibilis de prohibitione operationis nõ excusat operationem à peccato: ergo non ita excusat ignorãtia, de quâ nostra conclusio.

51. Hæc tamen non vrgent. Ante responsionem argumenti peto primò. Si peccati odium est à nobis amatum, quomodo reddit peccatum odio habitum? Secundò. Si ignorantia consequens est plenè voluntaria, quomodo opus, quod ex illâ subsequitur non est plenè voluntarium; sed in hâc ratione minuitur, vt obseruabam *num.* 46? Deinde respond. Tametsi ignorantia sit voluntaria, quando nihil ipsi deest ex constitutiuis voluntarij; potest opus reddere non voluntarium secundùm circumstantiam ignoratam, quatenus impedit eiûs circumstantiæ notitiam, quæ requisita est, vt secundùm eam rationem sit voluntarium. Hoc amplius firmatur ex solutione confirmationum. *Ad primam resp.* Transeat, opus non posse esse non voluntarium, quando causatur ex aliquo, quod voluntarium est, non solùm materialitèr; sed etiam formaliter, quatenus est causa talis operis. Sic potest aliquis ebrietati se committere, vel præuidens; vel nullâ ratione præuidens fore, vt inde sequatur homicidium. Hoc autem homicidium in casû præuisionis est voluntarium; & in casû non præuisionis non voluntarium: quia in primo casû ebrietas est voluntaria, vt causa homicidij; in secundo vero secundùm se præcisè. Quoniam igitur, in casû nostræ conclusionis ignorantia, tametsi proueniens ex vsû nostræ libertatis, non est voluntaria, vt causa comedendi carnes cum circumst... prohibitionis; quia non prænoscitur ea ignorantia, vt causatura talem operationem cum eâ circumstantia; idcirco, quamuis ignorãtia sit voluntaria; tamen operatio, quæ oritur ex ipsâ ignorantia, non est voluntaria, vt prohibita.

52. *Ad secundam confirmat. respondeo.* In primis nimium probat; nempè, talem operationem secundùm rationem prohibitæ, etiam quando eiusmodi ratio ignoratur pro

igno-

ignorantiam, vel purè comitantem; vel purè præcedentem: quia etiam tunc in manû voluntatis est omittere talem operationem, eaque omissa non exercebitur quando est prohibita. Deinde resp. distinguendo consequens: liberè aliquali libertate physicâ (de quo nunc non curo) transeat. Libertate morali sufficiente ad imputationem ad culpam, nego consequentiam: eâdemque distinctione occurrendum est subillationi agenti de voluntarietate. Nam, cum in nostro casû nullatenus talis operatio sit cognita, vt prohibita, nullatenus exercita est cum libertate, ac voluntarietate sufficiente, vt imputetur ad culpam, quicquid sit de alijs libertatibus proprijs, vel improprijs, quæ sunt extra rem nostram. *Ad tertiam resp.* vt à contrario dicebam *num.* 44. Talis ignorantia est physicè, & formaliter vincibilis propter rationem arguentis. At, moraliter, & virtualiter est inuincibilis; nempè, perinde se gerens in ordine ad hoc, vt operatio non imputetur ad culpam, ac si ea ignorantia non posset depelli. Ratio est: quia in casû nostræ ignorantiæ, quantumuis abijcibilis, occultatur malitia nullo in contrarium dubitato, aut pungente; qua de causa ignorantia inuincibilis excusat à peccato.

53 At, sumptis his, & adiunctis, quę dicebamus *n.* 44. respondentes obiectioni contra tertiam conclusionem, vrgebis, inde sequi eodem modo se habere ignorantiam vincibilē, & inuincibilem circa malitiam operis in ordine ad excusandū opus à peccato. Consequens autem paradoxon est contra cōmunem Theologiam. Probatur sequela. Nam vtraque ignorantia excusat à peccato, si nullatenus occurrat, neque formidolosè, neque scrupulosè malitia. Neutra tamen excusat, si aliquatenus occurrat malitia. Respondeo. In casu raro, & extraordinario concedendam esse seqnelam; negandam tamen communiter loquendo; idque iure optimo volunt Theologi. Explicatur. Ignorantia circa malitiam operationis (de hâc enim ignorantiâ loquimur) idcirco, si communiter loquamur, est inuincibilis, quia nullâ dubitatione exorta, nulloque scrupulo circa malitiam, non excitatur animus; ne quidem ad cogitandum de medijs illis exhibendis, quibus ignorātia depelleretur: quo fit, nō adesse libertatem ad eam vincendam, cum ad eam libertatem requiratur cogitatio de illis medijs. Cum igitur contingat excusatio à malitiâ, quando illa nullatenus occurrit, fit, ignorantiam inuincibilem, prout communiter

contingit excusari à malitia. Oppositum est dicendum de ignorantia vincibili, prout communiter contingit. Nam ideo, si communiter loquamur, solet esse vincibilis; quia dubium aliquod occurrit de malitia, & hinc excitatur cognitio de medijs ad explorandam rem; quibus tamen neglectis, ignorãtia perstat: cumque in isto casu non sit legitima excusatio malitię; patet ignorantiam vincibilem, prout communiter contingit, non excusare à malitiâ. Theologos autem nihil aliud velle, constabit, vt arbitror, cuique versato in ipsorum lectione. Iam verò rectè cum his cohæret, ignorantiam, quæ vinci potest, nõ quia quodammodo malitia operationis occurrat; sed aliunde, excusare à malitia. Deinde, non excusare à malitia ignorantiã coniunctam cum dubietate circa malitiã, quamuis contingat ex aliquo capite, quòd ea ignorantia depelli nequeat. Nam, quamuis hoc præstet quominus sit obligatio eam depellendi; relinquit tamen obligationem, vt eâ ignorãtiâ stante, nõ exerceatur talis operatio. Dicta hæc sint in rigore metaphysico. Non tamen ignoro posse hoc reduci ad litem de nomine, si tam rigidus discurrendi modus displiceat.

CAP. VI.

Concluditur explicatio ignorantiæ consequentis in ordine ad inuoluntarium, nonnullaque expediuntur.

54 ASsero tertiò. Opus, quod fit per ignorantiam consequentem coniunctam cum notitiâ dubiâ circa rationem ignoratam, potest esse secundùm quid inuoluntarium positiuè prout induens talem rationem; non verò simpliciter. Prior pars patet. Quia nihil prohibet, quominus exercens talem operationem, de cuius malitia dubitat, habeat nolleitatem simplicem, quâ nollet, vt talis operatio exerceretur prauè: quo posito exercebitur inuoluntariè secundùm quid. Posterior pars probatur. Nam, ad exercendam inuoluntariè simpliciter talem operationem secundùm rationem malitiæ, v.g. opus est, vt habeas affectum, quo absolutè, & simpliciter nolis eam exercere infectam malitia. Nõ componuntur autem, eam exercere dubitando an sit mala, & pro tuo arbitrio te exponendo periculo, vt exerceatur cum infectione malitię; talemq; affectum exercere. ¶ Hinc. *Assero quartò*. Ignorantia consequens

quens cum nulla malitiæ notitia coniuncta; ne dubia quidem, vel scrupulosa, potest relinquere opus inuoluntariũ simpliciter positiuè secundùm rationem malitiæ. Vt enim cuique patet, semel absente tali notitia, potest opus ita exerceri, vt existat in volũtate affectus, quo simpliciter, & absolutè nolit exerceri prauè prædictum opus. *Tandem*. Opus, quod voluntariè fit secundùm aliquam rationem, non obstante ignorantia consequente; nimirùm, quia talis ignorãtia coniungitur cum cognitione dubia circa talem rationem, potest esse iam directè; iam indirectè voluntarium secundùm talem rationem. Nam exercens, v.g. sagittationem, de qua dubitat, an sit ineuitabilis radix homicidij, potest dupliciter se habere, vel sic: *Decerno talem operationem tametsi sit homicidij radix*, quod mihi non est omninò exploratũ; vel sic præcisè: *Decerno talem operationem*. In primo autem casû est directè voluntaria secundùm rationem talis radicis: quia formaliter fertur affectus super hanc rationem. In secundo; non quidem directè, propter rationem oppositam; indirectè tamen, *non in ipsa ignorantia*: sed in ipsa iaculatione, vt cum P. Suarez explicabam *num.* 35. Suar.

55 Pro complemento huius rei superest expedire nonnulla, quamuis facilia. *Primò*. Ignorantia antecedens, quòd oppositum illud viuens est tuus amicus, est causa, vt sagittationem exerceas pro tuæ voluntatis imperio. At, in hoc stat exerceri voluntariè: ergo ignorantia antecedens non est causa operationis inuoluntariæ; sed voluntariæ. *Secundò*. Quod fit inuoluntarie, quando iam est factum parit dolorem, vt Aristot. & ex illo D. Thom. testantur. At, contingere solet, quod aliquid fiat ex ignorantia antecedente; & tamen iam factum non pariat dolorem: vt cum quis comedit carnes Feria 6. ignorans esse diem, quo talis esus est prohibitus: non enim postea dolet, cum videat se suâ ignorantiâ excusatum à peccato: ergo non semper inuoluntariè fit, quod fit ex ignorantiâ præcedente. *Tertiò*, falsum etiam esse videtur, quod diximus *num.* 46. scilicet, ignorantiam subsequentem relinquere opus simpliciter voluntarium. Nam, qui tribuit eleemosynam diuiti fingenti paupertatem, qui, inquam, sic tribuit circa paupertatem errans eo errore, quem deponere posset, si vellet rem examinare, non exercet eam actionem voluntariè simpliciter. Nam, alioquin Aristo. D. Tho.

 trans-

transferret dominium eleemosynæ in pauperem fictum, quod est falsum.

56. *Ad primum respon.* Distinguo minorem: In eo stat talem operationem exerceri voluntariè secundùm se sumptam, est verum; secundùm rationem ignoratam, est falsum. Vnde, talis ignorantia, quamuis non sit causa, vt ea operatio secundùm se sumpta exerceatur, aut non voluntariè, aut positiuè inuoluntariè; causa quidem est (non quidem propriè, ac positiuè per modum influentis; sed impropriè, ac negatiuè per modum remouentis prohibens) vt operatio secundùm rationem ignoratam sit non voluntaria, quę operatio est etiam positiuè inuoluntaria ex affectû voluntatis renitentis, cum quo coniungitur ea ignorantia. *Ad secundùm respond.* Interdum, quæ voluntariè exercentur pariunt iam facta tristitiam; vel quia non satiant iuxta priorem spem; vel quia nihil iucunditatis relinquunt; sed præsentem conscientiæ remorsum, futuriq́ue mali timorem, vt videre est in peccatis, quæ fucatâ sua delectatione nostrum animum miserè capiunt. Cur igitur è contrario nequibit accidere, vt ea, quæ inuoluntariè exercentur, non pariant iam facta tristitiam, præsertim, quando malum, quod ex ipsis timeri poterat euitatur? Vt contingit in casû obiectionis; vbi ex ignorantia prohibitionis euitatur eiûs operationis peccatum. Quocirca, Aristot. ac D. Thom. intelligendi sunt de signis, *vt in plurimum*; non *vt semper*, voluntarij, & inuoluntarij.

Aristô. D. Thô.

57. *Secundò*, non improbo solutionem acutam, quæ ex ingenioso P. Sfortia sumi potest *1. 2. disput. 4. quæst. 2. artic. 7. num. 3.* Quâ solutione vtor sic intellectâ. Transeat maior, & negatur minor; quam exemplum adhibitum non probat. Nam, in hoc casû non adest ignorantia antecedens propriè dicta de prohibitione; neque tunc est positiuè inuoluntarium comedere carnes die prohibitâ. Ratio vtriusque est: nam, vt hoc obiectum sit positiuè inuoluntarium, atque vt adsit ignorantia antecedens propriè dicta circa prohibitionem, requiritur adesse affectum, quo voluntas nolit comedere carnes die prohibitâ. Hic autem affectus non adest in eo homine; sed affectus non exercendi eam operationem cognoscendo prohibitionem. Nam, quod voluntas reijcit est in eâ operatione peccare; non autem peccat exercendo illam die

Sfortia.

pro-

prohibito; sed exercendo ipsam cum notitiâ prohibitionis. Quod si, talis homo tám studiosus sit obsequendi diuinis mandatis, vt quantum ex se est nolit ea transgredi; ne quidem materialiter, tunc sanè ignorantia prohibitionis erit ignorantia antecedens propriè dicta. Rursus, eam operationem exercere die prohibito erit inuoluntarium. At, veniente post factum notitiâ prohibitionis, quæ ignorabatur, veniet etiam tristitia.

58 *Ad tertiũ resp.* Potest dupliciter se habere, qui tribuit eleemosynã diuiti fingenti paupertatẽ. *Primò*, nõ restringẽdo suã intentionẽ, quoad translationẽ dominij, quasi dicat: *Volo trãsferre in te dominiũ huius rei, si, vt puto sis pauper*; sed hoc absoluto modo; *Volo transferre in te dominium huius rei*; tametsi ad hoc volendum impellatur ex paupertate falsò existimatâ. Hoc modo donatio est valida, stando præcisè iuri naturæ, quicquid sit an ius positiuum eiusmodi donationes irritet in odium dolosi donatarij, de quo suo loco. Vult quippè dominus, citra omnem limitationem, transferre, quod suũ est in alium. Quâ de causâ, donationes factæ hominibus, qui falsò existimantur docti, benèque morati, solent esse validæ; sicut beneficia in illum conferre, qui falsò existimatur gratissimum se exhibiturum; qui tamen postea ingratissimus est. *Secundò*, restringendo intentionem, quoad translationem dominij; nempè, non volendo transferre, nisi sub conditione, quod reuerà sis pauper, vt putatur. Patet autem, in hoc euentû donationem non valere. Hoc autem non prouenit ex ignorantiâ, per quam fit; sed ex defectû conditionis, cui valor donationis alligatur. Legite, si placet Nauarrum *in Manual. l.* 107. P. Molina *tom.* 1. *de iust. & iure disp.* 208. *vers. Vt autem constet*, tractantem de legatis factis sub aliquo modo. P. Vazquez *in opusc. de eleemosyna cap.* 3. *dub. vltim.* P. Thomam Sanchez *lib.* 7, *de Matrim. disp.* 18 *num.* 24.

DISPVTATIO DECIMA.

De obiectò motiuo actuum voluntatis.

NON agimus de obiectò motiuo amoris, quatenùs amoris; neque odij quatenùs odij; de quibus agemus tractat.

de

de Actibus humanis in speciali; sed de obiecto motiuo affectuum voluntatis genericè loquendo. Quâ de re notatis ex Philosophia nonnullis certis, disputare placet, an motiuum obiectiuum intrinsecum affectus attingatur affectiuè simili modo, ac obiectum materiale, quantum ad hoc, vt si obiectū materiale ametur; vel odio habeatur, motiuum intrinsecū obiectiuum ametur etiam, vel odio habeatur?

CAP. I.

Quibusdam prænotatis proponitur nostra sententia.

1 EX hoc tractatû libaui, nonnulla *tract. de Prædestin. disp. 8. cap. 1. num. 2.* necnon *disp. 18. cap. 2. à n. 19.* quæ Recentioribus nostris, & quidem doctissimis, occasionē præbuerunt, vt partim reprobarent, partimque probarent. Ad plenam rei intelligentiam: *Noto primò*. Obiectum intentionaliter motiuum actuum voluntatis (de hoc obiecto sermo est) non est aliud in præsenti, quâm ratio illa per intellectum repræsentata, quæ vi eiûs repræsentationis allicit voluntatem ad affectum, adeò, vt si interrogeris, quænam te induxerit ratio cognita, vt talem affectum conceperis? rectè occurres, si talem rationem assignes. Proinde, diuina bonitas est obiectum motiuum amandi Deum. Noto secundò. Nunc non agimus de motiuo obiectiuo extrinseco, de quo plura infra; sed de intrinseco. Huiusmodi autem motiuum intrinsecum est, quod per prædicata intrinseca affectus sic respicitur, vt ea ipsa prædicata satis explicent tale motiuum fuisse rationem repræsentatam, quæ voluntatem allexit, vt eum affectum conceperit. Proinde, affectus Theologicæ charitatis erga Deum respicit bonitatem diuinam tanquam motiuum intrinsecum. Noto tertio. Duplex est ratio motiua obiectiua v. g. amoris. Alia, quæ mouere non potest, nisi repræsentata, vt bona, & amabilis in se, alia, quæ secùs habet. Huius posterioris exempla plura dabimus postea. Prioris exemplum est quilibet finis v. g. sanitas; si enim hæc non appareat in se bona, & amabilis, mouere non poterit ad eligenda media propterea quòd ad ipsius consecutionem vtilia sint.

2 Noto vltimò. Duplex iterum est ratio motiua obiectiua.

ua. Alia, quæ se habet per modum quasi causæ efficientis intẽtionalis. Alia per modum causæ finalis. Prior mouet *quia est*. Posterior *vt sit*. Sic præclara facinora iam gesta, *quia iam gesta sunt* mouent Principem ad remunerationem. At verò, sanitas, quæ non est; sed desideratur, mouet ad scissionem venæ tanquam ad medium *vt sit*. Quæ diuersitas mouendi *quia est*, & mouendi *vt sit* familiaris est Theologis ex PP. Ecclesiæ ad illud Paul. 1. *Corinth. cap. 7. vers. 25. Tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Et ad Ephes. 1. vers. 4. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.* Patres autem, qui locis istis contra Pelagium vtuntur, contraponunt eligi ad gratiam, quia dantur opera salutaria; & eligi ad gratiam, vt ea opera dentur. His prænotatis

3 *Assero primò*. Motiuum obiectiuum, quod mouere nequit nisi repræsentetur, vt bonum amabile, nequit exercere munus motiui obiectiui, nisi ametur. Ratio à priori est: quia nihil aliud est amor, quàm actus voluntatis respiciens obiectum, quia bonum apparet. At, eo ipso, quòd prædictum motiuum obiectiuum exerceat munus mouendi, respicitur ab actu voluntatis, quia bonum apparet: ergo amatur. Consequẽtia patet. Præmissæ autem adeò mihi sunt veræ, vt nihil inueniam ipsis clarius, quo probentur. Confirmatur primò. Actus voluntatis intrinsecè tendens in obiectum materiale, quia bonum amabile apparet ratione iustitiæ, est amor ipsius obiecti materialis propter iustitiam: ergo tendens in ipsam iustitiam, quia ratione sui apparet bonum amabile, est amor ipsius iustitiæ propter ipsam. Confirmatur secundò. Nam, iuxta communem Theologiam *tract. de Fide*. Assensus præstitus mysterio reuelato propter existentiam diuini testimonij, supponit; vel, vt ego arbitror, imbibit assensum circa existentiam diuini testimonij: quia scilicèt talem erga ipsum habet modum tendendi, cui repugnat, non proponi, vt verum id testimonium existere: ergo amor obiecti materialis propter motiuum, de quo loquitur assertio nostra, supponit, vel imbibit amorem eius motiui; eum quippe modum tendendi circa ipsum habet, cui repugnat non proponi, vt bonum amabile tale motiuum. Hinc

4 *Assero secundò*. Motiuum obiectiuum per modum causæ finalis, nequit exercere munus talis motiui, nisi ametur.

Patet.

Patet. Nequit enim exercere munus talis motiui, nisi eo proposito, vt bono tendat prosecutiuè voluntas ad hoc *vt sit.* Hoc autem est amare voluntatem, quòd existat. Confirmatur primò. Nam, vt ait rectissimè de more suo D. Thom. 1. 2. *q.* 8. *art.* 3. *in corp.* clariusque *ad* 2. *Quandocumque quis vult ea, quæ sunt ad finem: vult eodem actu finem.* At, huius ratio est: quia talis actus versatur erga media adhoc, vt sit finis, qui propositus, vt bonus, voluntatem allexit ad satagendum de consecutione ipsiûs: ergo nequit non amari motiuum obiectiuum, quod per modum causæ finalis exercet munus motiui. Confirmatur secundò. Nam illud proloquium * Propter quod vnūquodque tale, & illud magis * suum obtinet locum in medijs amatis propter finem, quatenùs, si voluntas respicit media purè puteque propter finem; hunc autem propter se, magis amat appretiatiuè finem, quàm media, vt dicebam *tract. de Voluntate Dei disput.* 21. *num.* 22: ergo dubitandum non est, id amari, quod mouet voluntatem more finis. Contra quas assertiones, nihil occurrit solutione dignum. *Nota.* In motiuis odij relatis ad odium ratiocinandum est, vt in motiuis amoris relatè ad amorem.

5 *Assero tertiò.* Motiuum obiectiuum, per modum quasi causæ efficientis intentionalis potest exercere talis motiui munus, etiamsi non ametur. Huiusmodi motiuum vocatur, vt constat *ex num.* 2. quod allicit *quia est*; non verò *vt sit*: sicut solemus amare pulchra, quia pulchra sunt; non autem, vt pulchra sint. Primò probatur assertio nostra innumeris exēplis. Proponamus ea, quæ rem clarius sub adspectum ponunt. Aliqua commemorauimus *loc. cit. de Prædest.* Sit *Primum.* Affectus, quo vis pauperi opem ferre, *quia miser est*, habet pro motiuo obiectiuo, generis prædicti, miseriam; quam tamen non amas; sed excludere optas. *Secundum.* Affectus, quo sanctissimus superior ex iustitiâ punitiuâ vult punire subditum, *quia peccauit.* Motiuum enim est *peccasse*, quòd tamen ab eo Superiore non amatur. *Tertium.* Generosi illi affectus, quibus perfecti viri decernunt reddere bonum pro malo, conferre beneficia, *quia iniuriæ contra ipsos congestæ sunt*, sortiūtur pro motiuo benefaciendi iniurias non amatas. *Quartū.* Subditus, qui summa mentis renitentia vult in Indos proficisci, *quia sic à maioribus præcipitur*, mouetur ab imposito præcepto, quod impositum esse non amat. *Quintum.* Qui per formalem actum

reli-

religionis Hierosolimitanam peregrinationem aggreditur; *quia se ad illam voto obstrinxit*, mouetur ex nuncupato voto, quod non amat; ingenti potiùs dolore percellitur, quòd tàm graue onus imposuerit sibi. *Sextum*. Qui extraneo competenti cum consanguineo sibi charissimo beneficium tribuit, non solùm quia extraneus est dignus; sed etiam *quia consanguineus est indignus*, mouetur ex indignitate consanguinei non amata. *Septimum*. Qui iustam à se ipso vindictam sumit, *quia Deum offendit* mouetur ad affectum vindictæ ex perpetratis offensis; non tamen amat; sed odio habet offendisse Deum. Addet iam innumera, qui voluerit.

6 *Secundò* probatur à paritate odij. Non enim necesse est odisse motiuum obiectiuum, ratione cuiûs odio habetur obiectum materiale: ergo neque amare motiuum obiectiuum, ratione cuius amatur obiectum materiale. Consequentiam negabit nullus. Antecedens probatur. Nam crebrò viri spirituales oderunt committere peccata, propterea quód Deus ipsa prohibet, odioque habet eadem committi. At, nō habent odio prohibitionem, odiumque diuinum: ergo necesse non est odisse motiuum obiectiuum, ratione cuiûs odio habetur obiectum materiale. Confirmatur. Ex virtute charitatis odio habentur peccata ex motiuo bonitatis diuinæ. Et quidem, ipsa diuina bonitas, in se pulcherrima, ratio est, propter quam turpissima sunt peccata, quæ tāta bonitas auersatur. Quin etiam; ipse Deus ex motiuo suæ diuinæ bonitatis concipit odium propriè dictum contra peccata, vt dicebam aduersus Pascualigu. *tract. de Volunt. Dei disp*. 22. *cap*. 6. Recognoscatur etiā *disp*. 19. *num*. 3. At ex charitate erga Deum neque Deus, nec nos odio habemus diuinam bonitatem: ergo idem, quod prius. *Pascual*.

7 *Tertiò* suadebitur à priori nostra sententia, si obseruetur, frequens esse res aliquas tribuere alijs quosdam effectus, vel quasi effectus formales; quos tamen à se ipsis excludunt. Sic necessitas Dei in se ipsá prorsùs necessaria, non reddit necessariam; sed impossibilem carentiam Deitatis. Sic alterius Dei impossibilitas, quæ in se est omninò necessaria, non reddit necessarium; sed impossibilem alium Deum. Sic potestas, vt creaturæ non existant, quæ est in se penitùs necessaria, reddit creaturas contingentes. Sic omnipotentia diuina, quæ est in se summè incausabilis, reddit creaturas causabiles.

Sic

Sic applicatio ignis ad passum, quæ est in se improductiua ignis, reddit ignem productiuum *proximè* alterius ignis. Quid plura? Iam sic arguitur. ¶ Possunt plurimæ res tribuere alijs quosdam effectus formales, effectusque similes à semetipsis excludere: ergo vel quia simplex; vel complexum aliquod claudens intra se duplicem partem poterit alteri tribuere quendam effectum formalem; & tamen à se ipso, ... alia cóparte similem effectum formalem excludere. Cur e... non poterit peccatum commissum, quod à se ipso excludit esse proximè compensatiuum peccati, reddere inadæquatè bona opera proximè compensatiua peccati; quæ tamen, seclusa peccati commissione, ex defectu materiæ compensandæ essent duntaxat remotè compensatiua? Cur pauperis indigentia, quæ excludit à se ipsa esse beneficium temporale inopis, non poterit præstare, quòd exhibitio pecuniarum sit maius beneficium, quâm citra indigentiam esset? At, his datis, non est cur nequeat mouere ad amorem alteriùs, id quod in se ipso non est amabile; sed tamen conducens, vt alterum amabile sit. Ergo.

8 *Quarto* suadebitur opinio nostra, si recolas, quæ ex hoc loco commemorauimus *tract. de Prædest. disp.* 18. *cap.* 2. *à n.* 19. placuitq; doctissimo P. Quiros *in m. s. de bonit. & mal.* nimirum; posse voluntatis affectum intrinsecè respicere terminum aliquem: & sanè respectû satis à nobis perceptibili, & sub experientiam veluti sensibilem cadente, quin sit obiectû, in quod voluntas afficiatur. Sic, si decreto subiectiuè absoluto, & obiectiuè códitionato, decernas acerbissimam tibi pœnam infligere, si peccatum mortale committas, videtur citra dubium, hoc tuum propositum honestissimum intrinsecè respicere prædicto respectû peccatum; quod tamen non amatur. Vide alia loc. cit. *num.* 20. Sic igitur disputo. Potest amor ex modo tendendi sibi intrinseco perceptibili à nobis respicere terminos non amatos tanquam obiectiuas hypotheses, sub quibus alia obiecta amentur: ergo poterit amor ex modo tédendi sibi intrinseco respicere aliquid tanquam non amatum; motiuum tamen obiectiuum amandi aliud. Vt enim stat exercere rationem hypothesis obiectiuæ intrinsecè respectæ ab amore; & tamen non amari: cur non stabit exercere rationem motiui obiectiui intrinsecè respecti ab amore; & tamen non amari? ...

... quod ... restat confirmari aduersariorum armis con-

Quiros.

conuersis contra ipsos. Non obest asserto nostro terminum intrinsecè respici ab amore; & tamen non amari, vt patuit. Deinde, non obest, quod oporteat amari magis id, propter quod amatur aliud, quàm hoc aliud: vt clamare videtur illa parœmia tàm pretiosa aduersarijs * Propter quod vnumquodque tale, & illud magis * Nihil igitur obest. Posterior pars, quæ sola est difficilis, probatur exemplis Eminentissimi de Lugo. Stat Deum amare per amorem amicitiæ hominem iustum, habitâ ipsiûs hominis iustitiâ pro motiuo; & tamen non amari magis amicabilitèr ipsam iustitiam: quia non esse creaturam rationalem, impedit amicabilitèr amari; ne dum amari magis amicabilitèr, quàm hominem. Stat etiam te Regi submittere, habitâ pro motiuo submissionis dignitate regiâ; & tamen non submitti magis dignitati regiæ, quam Regi: submitteris enim tuo Superiori, cuiusmodi non est dignitas regia; sed Rex. Si igitur, quod nequit esse obiectum amoris amicabilis, & quod nequit esse obiectum cultûs ab inferiore exhibiti, potest esse motiuum obiectiuum, vt quid aliud amicabilitèr ametur, & colatur; quid ni possit esse motiuum obiectiuum, vt aliquid ametur, quod non est obiectum amatum? Lugo

CAP. II.

Reijciuntur solutiones.

10. DIces *primò*, exempla, quæ adhibentur *num.* 5. non habere vim. Nam, vt loquamur in exemplo Prælati punientis subditum, quia peccauit (simileque dici poterit in alijs) motiuum obiectiuum non est peccatum subditi; sed bonitas in eo elucens, vt pœnis castigetur, qui peccasse cognoscitur. Huiusmodique bonitas non ex peccato; sed ex eiûs notitia constituitur: cumque Superior puniens, etsi peccatum non amet; benè tamen amet illiûs notitiam, consequens est, amare motiuum puniendi. *Sed contra est.* Tum, quia potest Prælatus ita subditum sibi charissimum punire, quia peccauit, vt summopere vellet ignorare peccatum ad iustè omittendam punitionem. Tunc autem ea notitia nô amabitur: quemadmodum Prælatus, qui summopere vellet non peccasse subditum, non amat subditi peccatum: igitur, etsi demus peccati notitiam esse motiuum puniendi, semper sequitur, amari

amari posse obiectum materiale, citra amorem motiui obiectiui influentis in genere causæ efficientis intentionalis. Tum, quia homo valde vexatus malorum imminétium notitiâ, maximè optans omnem notitiam abijcere, quæ, tam molesta obiecta in memoriam reuocet, erumpere potest in affectum ita ex intrinsecis tendentem * Volo solatium capere, quia nimis vexor imminentium malorum notitiâ * Vel igitur motiuum huiûs affectûs est notitia directa côtristatiua; vel cognitio reflexa huius notitiæ? Quæcumque autem pars eligatur, non amatur motiuum obiectiuum; quæuis enim ex his notitijs reuocat in memoriam imminentia mala, nullaque notitia amatur, quæ id præstet.

11 Tum, quia ad hunc affectum * Volo punire subditum, quia peccauit * mouet sufficiétissimè peccatum, vt cognitum, præscindendo à notitiâ reflexâ eius cognitionis : quod solùm negare possunt, qui datâ operâ nolint suos affectus experiri. Tunc autẽ, motiuum obiectiuum puniendi erit peccatum non amatum; non verò peccati notitia, quæ non cognoscitur; cum tamen prænosci debeat motiuum obiectiuum. Tú, quia peccati odium elicitum ex charitate Theologicâ non habet pro motiuo obiectiuo rem odio habitam: &, quia motiuum obiectiuum est diuina bonitas, quæ non habetur odio : & quia licet motiuum esset notitia bonitatis diuinæ, cum non habeatur odio cognoscere bonitatem Dei, motiuum non esset odio habitum: ergo poterit etiam amor non habere motiuum obiectiuum amatum. Tum, quia, vt ingeniosè pro eo ac solet Eminentiss. de Lugo impugnans in simili similem doctrinam *tomo de Pœnitent. disp. 2. num. 32.* demus aliquem, qui se peccasse ignorat, multa obsequia Deo præstare: deinque veniente notitiâ, quòd peccauerit, hunc affectum concipere. * Gaudeo, quod hæc obsequia Deo præstiterim, non quomodolibet; sed pro occasione, in quâ peccator eram * Iam sic. Affectus iste non habet præcisè pro motiuo obiectiuo obsequia secundùm se. Deinde, motiuum obiectiuum non est exhibuisse obsequia cum notitiâ, quòd peccauerit; videt quippè homo se illa exhibuisse cum ignorantiâ sui peccati. Erit igitur motiuũ obiectiuum gaudendi præstitisse obsequia, ita, vt præextiterit peccatum, vbi iam clauditur præexistentia peccati non amata.

Lugo.

12 *Dices secundò*, id cuiûs meminit Lugo sup. n. 35. népè in

Lugo

In prædicto, similibusque exemplis, motiuū obiectiuū nō esse peccatū nō amatū; sed punitionē, vt amatā per actū voluntatis honestum, & amatum supponentem essentialiter notitiam peccati. O quantus ponitur labor in obscurandâ veritate nostræ sententiæ. Mihi non potest arridere solutio tam salebrosa. *Primò*. Nam ille ipse affectus essentialitèr supponens peccati notitiam, qui ponitur ex parte motiui, est ex parte sui illiûs modi tendendi: *quia peccasti*. Hoc autem est voluntatem inductam esse ad hunc affectum ex peccato cognito: & in hoc stat, quod peccatum exerceat munus motiui obiectiui, nisi velis inanitèr contendere de nomine. *Secundò*, quia, si quis velit attentè considerare; deprehendet facilè, sumpto hoc affectu * Displicet mihi peccare, quia id est odiosum Deo * quàm difficile sit assignari huic actui, insistendo in doctrinâ solutionis, motiuum obiectiuum, quod sit odio habitum adæquatè. Si autem odium potest semel habere motiuum obiectiuum non odio habitum adæquatè, poterit habere amor, vt non semel dixi, motiuum obiectiuū non amatum adæquatè.

13 *Tertiò*. Affectus huius naturæ * Volo Petro succurrere propter specialem conuenientiam, quâ illi congruit opitulatio, quia indigus est; non propter aliam rationem * non habet præcisè pro motiuo obiectiuo donum collatum, secundum se acceptum: tale quippè donum non importat, vt sic, prædictam conuenientiam specialem. Deinde, non habet pro motiuo rationem amati per affectum supponentem essentialitèr notitiam indigentiæ. Nam, hic affectus omnino est extra eam conuenientiam specialem: neque enim donum sumit tale incrementum conuenientiæ propterea quòd ametur affectû prædicto; sed, quia tribuitur in circumstantijs indigentiæ. Superest ergo, motiuū obiectiuū esse maiorē illam conuenientiam, cuius augmentum sumitur formalitèr ex illâ indigentiâ non amatâ, quâ premitur Petrus. ¶ Confirmatur primò. Nam, ex terminis patet, motiuum obiectiuum esse posse, quòd hic, & nunc donum sit adeò opportunum. In tantâ vero opportunitate intrat indigentia, quæ non amatur: ergo ex parte motiui ad amandum datur ratio non amata. *Secundò*. Vt obsequia Deo præstes, quibus redeas ad amicitiam diuinam, non solum est aptum motiuum bonitas amata, quæ est in redeundo ad amicitiam; sed etiam malitia odio habita, quæ est in persistendo in inimicitiâ: ergo,

vt misero succurras, non solùm est idoneum motiuum bonitas amata, quæ in eo est, vt miseriam euadat; sed etiam malitia exosa, quæ in eo est, vt in miseria persistat. Omitto alia.

14 *Dices tertiò*, cum Eminentiss. de Lugo sup. à num. 36. qui vult obsequia præstare Deo propter hanc honestatem * exhibere Deo obsequia post commissum peccatum * amare honestatem coalescentem, non solùm ex obsequijs secundum se; sed etiam ex peccato præterito. Proinde, peccatum ipsum præcedens *aliquomodò amatur*, cùm sit pars illius complexi obiectiui, quod amatur. Verumtamen, prædictus affectus non fertur seorsim ad singulas partes eius complexi; sed indiuisim, & coniunctim; quatenùs componunt coniunctæ prædictum totum: ex quâ coniunctione resultat specialis pulchritudo, & honestas ad speciales affectus allicere potens: cuiusmodi pulchritudo est compensare obsequijs offensam Deo factam. Dictum est, quod peccatum *aliquomodo amatur*, quia solùm amatur per quandam simplicem velleitatem. Sic, qui Petrum amat affectû amicitiæ propter suam sapientiam, Petrum amat amicabilitèr; non verò amicabilitèr; sed affectu alterius generis sapientiam: quia sapientia non est obiectum, *quod* sit amicabilitèr amabile; quamuis sit id *quo* Petrus constituitur amicabilitèr amabilis. Igitur, non absimilitèr, quamuis amore absoluto, & efficaci amentur obsequia propter specialem honestatem petitam ex peccato præterito, quod compensant; tamen peccatum non amabitur, nisi per simplicem affectum: quia non est, *quod* suscipit specialem honestatem compensatiui pro peccato; sed *quo* obsequia constituuntur ita specialitèr honesta.

15 Displicet solutio. *Primò*. Nam, in Deo nullus datur amor, neque simplicis velleitatis circa peccatum: daretur autem, iuxta hanc solutionem talis amor; quoties scilicet Deus vult hominem punire, quia peccauit, & vniuersim quoties aliqua obiecta, vult ex honestate desumpta ex complexo imbibente peccatum: ergo falsa solutio. Maiorem probaui *tract. de Prædest. disp. 11. cap. 6.* vbi etiam solui argumenta, quæ possunt in contrarium fieri. Quæ omnia ibi adduxi ex his, quæ docueram *in manuscript. de Actibus hum.* quæ non oportet repetere. Minor est doctrina solutionis traditæ. *Secundò*. Vel quando Deus odio habet, quod committatur peccatum odij

Dei;

Dei; quando, in quam, Deus tale obiectum odio habet ex hoc motiuo, *quia existit diuina bonitas ab eo peccato auersa*, vel habet odium simplex huiûs motiui; vel non? Si primum: concipit Deus odium simplex contra suam bonitatem: quod quis audeat concedere? Si secundum: ergo motiuum odij potest nullatenûs odio haberi, esseque præcisè id, *quo* aliud specialitèr odibile est: ergo motiuum amoris poterit similitèr nullatenùs amari, esseque præcisè, id *quo* aliud specialitèr amabile est. *Tertiò* impugnare poteris solutionem ex his, quæ diximus *num. 9.*

16 *Dicet aliquis propterea quartò*, motiuum obiectiuum huiûs affectus * Volo Petrum punire quia peccauit * idemque poterit in similibus dici, esse coniunctum indiuisim acceptum ex peccato præterito, & punitione præsente; resultat enim specialis pulchritudo ad affectum alliciens ex coniunctione peccati præteriti cum pœna præsente. Hinc autem non sequitur amari vllatenùs peccatum. Sunt enim plurima prædicata, quæ verificantur de toto indiuisim accepto; non verò de parte diuisim sumptá. Omissis autem innumeris exẽplis cuique obuijs, appositìtius est ad rem præsentem, quod ex pulchritudine materiali sumitur. Sicut enim pulchritudo non verificatur de tali naso diuisim sumpto, nec diuisim de tali fronte, quæ sunt partes aptæ, vt cum alijs, vel alijs adiunctis fœditatem, vel formositatem componant; verificatur tamen pulchritudo de coniuncto partium aptam totius faciei proportionem constituentium; sic etiam placente facie, quia pulchra, verificatur placere totum coniunctum eius simmetriæ, non tamen siue nasum, siue frontem secundùm se.

17 Hæc tamèn solutio suâ pulchritudine fallit. *Primò* itãque (quicquid sit num prædicatum *placentis* possit conuenire composito, nullaque ratione verificari de partibus secundùm se sumptis: id, quod habet suas difficultates, quas modò non placet exagitare) sic disputo. In eo casu decernendi pœnã subditi *quia peccauit*, motiuum obiectiuũ per modũ causæ efficiẽtis intentionalis, vt cõdistinctum à motiuo obiectiuo per modum finis, est peccatum, vt condistinctum à pœna, & à coniũcto ex peccato, & pœna. At, per te, peccatum ita sumptum non amatur: ergo motiuum aliquod obiectiuum, per modum causæ efficientis intentionalis, non amatur; idque nostrum intentum est. Maior, quæ sola est difficilis, probatur. Motiuũ

enim obiectiuum per modum causæ intentionalis, &c. præuidetur tamquam præexistens ante affectum obiecti materialis, & vt sic præexistens prouocat ad eum affectum, atque istud est discrimen illius à motiuo per modũ finis. At, ante decretũ pœnæ, non ipsa pœna; nõ coniunctã ex pœna, & peccato præuidētur, vt præexistētia; præscisseq; peccatũ sic præuidetur: ergo id præscisse acceptum est prædictũ motiuũ. Recole n. 2.

18 *Secundò*. Quia, si res benè consideretur, id ipsum, quod persuadet in exemplis adhibitis *num.* 5. non amari indigentiam, peccatum, iniurias, præceptum, votum, indignitatē consanguinei, & offensam Dei, persuadet paritèr non amari coniuncta, quæ res istas intrinsecè imbibũt. Nam, sicut incredibile est, eum amare pèccatum præteritum (idem dicito in alijs enumeratis) qui totus est in hoc affectu * Heu me miserũ, qui peccaui! Vtinam non peccassem * ita incredibile est affectuosè respicere complexum vbi pars includitur tanti apud ipsum horroris, & doloris. Non ergo amatur cõplexum tale; sed præcisè castigatio, sub hoc modo, si vis, *si quidem peccaui*. Hic autem affectus * *Volo me castigare, si quidem peccaui* * tametsi forsàn respiciat intrinsecè peccatum, vt rationem obiectiuam præsuppositam, ex quâ prouenit castigationi specialis conformitas cum recta ratione; non tamen, vt rationem amatam. Pro quo vide n. 8. *Tertiò*, si benè perpendatur ratio à priori tradita *num.* 7. nulla contradictio est, aliquam rationē nec sibi; neque composito ex ipsâ, & aliâ; sed alij præcisè tribuere amabilitatem: & sic erit obiectiua ratio, vt ametur aliud; nõ tamē ipsa, vel prędictũ cõpositũ. Tandē, contra facit, quod contra sequētem solutionem adducemus secundo loco.

19 *Dices vltimò*, cum P. Quiros sup. & cum alijs doctissimis Salmantic. proximam rationem motiuam amandi obiectum materiale semper amari proculdubiò. Nam, proxima ratio amandi v.g. eleemosynam per actum misericordiæ, non est indigentia; sed bonitas, & honestas relucens in subleuatione illiûs. Similitèr, proxima ratio motiua amãdi subdito pœnam, quia peccauit, est bonitas, & honestas splendens in æqualitate, & conformitate cum iustitiâ vindicatiuâ: & sic in alijs exemplis. Huiusmodi autem bonitates maximè placent. Quiros. Addit P. Quiros, prædictam æqualitatem amari, tametsi denominatio *amati* non cadat supra omnia constitutiua æqualitatis; sed supra pœnam, quæ, vt supponens culpam, constituit

in recto æqualitatem. Sic, quia, iuxta communem opinionem nostrorum DD. constitutiua omnia peccati habitualis sunt, & hunc hominem peccasse, & Deum nolle condonare, fit, denominationem *odio habiti à Deo*, quæ non cadit supra diuinam nolitionem condonandi, non cadere supra omnia constitutiua peccati habitualis; sed supra actum præteritum prauum, qui, prout non condonatus à Deo, constituit in recto malitiā habitualem. Præterea. Sicut absentia boni non est ratio obiectiua alliciens ad desiderandum bonum; sed conditio, quæ importata in obliquo complet bonum in ratione potētis proximè mouere ad desiderandum ipsum propter motiuum bonitatis splendentis in eo, quòd tale bonum acquiratur; sic Petrum peccasse, Petrum esse miserum, non sunt rationes obiectiuæ allicientes ad actum iustitiæ punitiuæ, & misericordiæ; sed conditiones, quæ in obliquo complent eleemosynam, & castigationem in ratione potentium proximè mouere ad exercitium istorum actuum propter bonitates amatas in eo relucentes, quod indigentia subleuetur, & obseruetur æqualitas iustitiæ punitiuæ.

20 Vnum est, quod in hâc solutione placet, nempè quædam amari; non quia denominatio *amati* cadat super omnia constitutiua ipsorum; sed, quia cadit supra illud, quod sunt in recto, vt benè explicatur per exempla adducta, & per alia, quæ suis locis attingemus. Displicet tamen aliud, quod intendunt, atque ad rem præsentem maximè spectat; nimirùm, necesse esse totam rationem obiectiuam amari, quæ ad amorem allicit obiecti materialis, & quæ huiûs æstimabilitatem auget. Displicendi rationes, quæ satis ex dictis constant insinuo breuiter, & confirmo. *Prima*. Nam aliud est obiectiua ratio alliciens ad amorem sui ipsiûs per modum finis, *vt sit*; aliud autem obiectiua ratio per modum causæ efficientis intentionalis alliciens, *quia iam est* non quidem ad amorem sui ipsiûs; sed alteriûs. Obiectiua ratio, quæ mouet primo modo, allicit, vt amata, de quo diximus *n*. 4. At, necesse non est allicere, vt amatam rationem obiectiuam, quæ posteriori modo allicit. Tametsi nanque, in exemplis adhibitis, obiectiua ratio, quæ mouet *vt sit*, non sit aliud, quàm ipsum bonum intentum subleuandi miseriam, & exercendi iustitiam; tamen obiectiua ratio, quæ propterea, quòd iam est prouocat ad intendenda hæc bona, profectò est indigētia commiserationem; & pecca-

tum indignationem excitans. Proinde, quamuis proxima ratio obiectiua mouens per modum finis prædicta bona sint; tamen, ea indigentia, & peccatum sunt proxima ratio obiectiua mouens in genere causæ efficientis intentionalis: quia nihil est, quod in hoc genere proximius moueat. Forsan, quia aduersarij eiusmodi genera non distinxerunt, ansam impugnationis arripuere.

21 *Secunda ratio.* Stat benè rationem aliquam obiectiuam esse *vt quo* illud, *quo* obiectum constituitur amabile; & nō esse amabilem *vt quod*: quemadmodum, benè stat rationem aliquam obiectiuam, ex. g. iustitiam habitualem; esse, *vt quo* id per quod constituitur obiectum amabile amore amicitiæ; & ipsam iustitiam non esse, *vt quod* obiectum amabile amore amicitiæ. Cum igitur id, per quod obiectum constituitur amabile, sit ratio obiectiua amoris, planè fit, posse esse non amatā rationem obiectiuam amandi aliud. Confirmatur. Non implicat contradictionem, quòd aliquis iudicet, saltem per errorem, peccatum præexistens esse totam rationem, quæ reddit honestè amabilem punitionem acerbissimam; & aliunde iudicare, nullatenus esse *vt quod* amabile peccatum. Atqui, stantibus ijs, poterit voluntas sic affici circa talem punitionem, vt velit illam; quia vnicè amabilem ratione peccati; & tunc ea ratio, per quam iudicatur punitio constituta in ratione amabilis, non amabitur, cum ea ratio non appareat, vt bona: ergo non est essentiale amori obiecti materialis ex aliquâ ratione motiuâ, quòd hæc ratio motiua ametur. Hoc autem cōcesso, ruunt omnia, quæ contra nos possunt aduersarij moliri, vt patebit cap. seq. vbi de obiectionibus ipsorum.

22 *Tertia ratio.* Quando amatur obiectum materiale, non præcisè, quia bonum; sed, quia ex alio capite æstimabilius est, quàm esset ex se præcisè, tenet se ex parte rationis obiectiuæ id, per quod redditur æstimabilius: quia ratio obiectiua est bonitas, quatenùs maior. At, illud, per quod redditur æstimabilius obiectum materiale; sæpè est aliquid non amatum. Nam ab indigentiâ, fame, siti, indignitate contracta per peccatum redduntur æstimabiliores eleemosyna, esculenta, poculenta, & beneficia; & tamen ea, quæ recensuimus non amantur: ergo sæpè se tenet ex parte rationis obiectiuæ amādi, illud, quod non amatur. Hinc patet non vrgere exemplum,

Quiros. quod petebat ex desiderio. P. Quiros cit. num. 19. Nam absentia

ſentia boni deſiderati, neque conſtituit bonum in ratione boni; neque in ratione maioris boni. Quid mirum ergo, non ſe tenere ex parte rationis motiuæ allicientis ad deſiderium, quatenùs amor eſt? Dixi, *quatenus amor eſt.* Nam deſiderium eſſe affectum mixtum ex proſecutione, fugâque; & abſentiam eſſe obiectum ipſiùs, quatenûs fugæ, diximus *tract. de Volunt. Dei diſp.* 10. *c.* 2.

23 *Quarta ratio.* Nam odium Theologicum charitatis auerſantis peccata, neceſſe eſt reſpiciat tanquam motiuum obiectiuum, ex ipſo nomine odij Theologici, quidpiam diuinum: nihil autem aliud, quàm bonitatem diuinam peccatis auerſam; minimè quidem odio habitam; ſed vehementer amatam ab his, qui tale odium concipiunt. Si ergo non oportet motiuum odij eſſe odio habitum; nec neceſſe erit motiuum amoris amari, vt toties dixi, maximè cum vtrumque ſuadeant, proindéque neutrum perſuadeant aduerſariorum argumenta, vt videbimus. Confirmatur ex dictis contra Paſcualig. tract. de Volunt. Dei *diſput.* 19. *cap.* & *num.* 3. Vt enim ſæpè in meis ſcriptis ſignificaui cum præſtantiſſimis Theoll. ex P. Vazq. 1. 2. *diſp.* 23. *cap.* 2. ſicut in intellectû confundendi non ſunt actus diſſentiendi obiecto, & actus aſſentiendi carentiæ obiecti: ſunt enim diuerſiſſimi tendendi modi; ſic etiam in voluntate confundendi non ſunt actus fugiendi obiectum; & actus proſequendi carentiam ipſiûs: Vnde (quicquid ſit de æquiualentiâ) reuerà aliud eſt fugere, odiſſeque aliquod obiectum; & aliud proſequi, & amare carentiam ipſiûs. Tunc ſic. Actus fugiendi impedimenta prohibentia finem ſanitatis amatum, prout eſt actus condiſtinctus ab actu proſequendi carentiam talium impedimentorum, non eſt actus amoris; ſed odium. At, habet pro motiuo obiectiuo finem non odio habitum; ſed amatum. Nam, vt finis amatus, nempè ſanitas, eſt motiuum alliciens ad proſequenda media conducentia ad ſanitatem; ita etiam ad fugienda impedimenta remouentia ab illa: ergo motiuum non odio habitum; ſed amatum poteſt eſſe motiuum odij: ergo à contrario motiuum non amatum; ſed odio habitum poteſt eſſe motiuum amoris. *Paſcual.*

CAP. III.

Proponuntur, & soluuntur argumenta.

44 OBijcies primò. Per amorem omnem amatur obiectum materiale, vt bonum. Nam, vt nunc supponitur, omnis amor est essentialitèr prosecutio affectiua boni, vt boni: ergo per omnem amorem amatur id, per quod obiectum materiale constituitur formalitèr in ratione boni: repugnat enim amari rem, vt talem; & non amari constitutiuum formale illius in ratione talis. At, constitutiuum formale obiecti, in ratione boni, est motiuum alliciens ad amandum ipsum, quatenùs bonum: ergo amato obiecto, vt bono, nequit non amari huiusmodi motiuum. Confirmatur. Si quâ ratione posset amari obiectum, quatenus amabile, & bonum; non amato constitutiuo ipsius in ratione boni, & amabilis, ideo esset, quia potest obiectum esse dignum amore, per bonitatem, & amabilitatem non dignam amore. Hoc autem implicat. Nam, si bonitas ipsa, & amabilitas non est amore digna, quomodò amore dignum erit obiectum, quòd per illam afficitur, ex eo quod per illam afficiatur? Quomodo si pulchritudo ipsa sit ingrata poterit faciem ex eo gratam reddere, quòd afficiatur pulchritudine? Cur ipsa fœditas non reddet faciem gratam; si quid displicere, non impedit, quòd reddat aliud placens?

45 *Resp.* Concesso antecedente, nego consequentiam, eiusque probationem. Non enim implicat, amari rem, vt talem; & non amari constitutiuum formale illius in ratione talis: sicut non implicat odisse peccatum, vt inuisum diuinæ bonitati; & non odisse diuinam bonitatem ab eo peccato auersam, quæ peccatum in ratione inuisi diuinæ bonitati constituit. Vnde ly amatur hoc *vt tale*, non reduplicat rationem amatam; sed rationem, secundùm quam, non ipsa; sed aliud redditur amabile: sicut quando dicitur, odio habetur peccatum, *quatenùs* bonitas diuina auersa est ab illo, ly *quatenùs* non reduplicat rationem odio habitam; sed rationem, secundùm quam, non ipsa; sed aliud; nempe peccatum redditur execrabile. Posset hoc amplius illustrari ex *numero* 8. Ad confirmationem. Admissâ maiore negatur minor. Interrogationibus arguentis

toti-

totidem imprimis repono. Si bonitatem diuinam esse peccato auersam non est quid contemptũ dignũ, quomodo reddit peccatum dignum vilipendio? Quomodo si gratissimum sit diuinam bonitatem esse auersam peccato, poterit peccatũ ex hâc ipsa ratione gratissimâ, reddi ingratissimum? Cur ipsa honestas non poterit peccatum reddere turpe, si, quid esse amabile, non prohibet, quod reddat aliud odibile?

26 Deinde respon. Datur hîc vitium confundendi *sæpè* contingentia; & cõtingentia *semper*, quod in scholis cum multarum veritatum dispendio nimiùm serpit. Bonitas, & amabilitas rei sæpissimè est id, quod cum sit amabile propter se, est ratio aliud afficiens, vt hoc aliud reddatur amabile. Similiterque sæpissimè malitia, & odibilitas est id, quod cum sit propter se odibile, est ratio, quæ aliud afficiendo, reddit hoc aliud odibile. Sic studiosa exercitia virtutum, ita sunt propter se amabilia, vt ideo afficiendo subiectum reddant ipsum amabile. Turpia verò exercitia vitiorum, ita sunt propter se odibilia; vt idcirco, afficiendo, vel inficiendo subiectum, reddãt ipsum odio dignum. Cæterum, bonitas, & amabilitas, malitia, & odibilitas, sumptæ præcisè in vi illiûs, *quo* aliud constituitur bonum, & amabile, malum, & odibile, præscindunt ab eo, quòd ipsæ sint amabiles, & odibiles *vt quod*; permittuntque non esse tales, vt illustrari potest exemplis adhibitis *num.* 7. pluribusque alijs per hanc disp. sparsis. Vbi obseruandum est, ipsam bonitatem comparatam cum diuersis subiectis posse sic se habere, vt aliud amabile; & aliud odibile reddat. Sic, diuina bonitas, vt à peccatis auersa, reddit Deũ optimũ, & amabilissimum; at verò reddit peccatũ odibile. Simili proportione in malitiâ. Nam repetita peccata, quæ nos reddũt peiores, & peiores, proindeq; indigniores, & indigniores diuinis beneficijs reddunt ea beneficia meliora, & æstimabiliora. Hinc fit, materialem pulchritudinẽ, & fœditatem, quæ vultum reddũt aspectui gratum, & ingratum; non ideo præcisè non posse sic se habere, vt pulchritudo sit ingrata, & fœditas grata: quia vniuersaliter nihil, quod gerit munus reddendi vnum subiectum bonum, possit, saltem aliud, reddere malum: iam enim constat hui⁹ principij falsitas; sed quia pulchritudo materialis ex speciali suâ naturâ non potest esse visui displicens; neque fœditas placens. Quomodo enim ingrata sit adspectui recta membrorum, & delineamentorum proportio? Quomodo grata turpis improportio?

27 Omis-

27 Omissis alijs, quę nouis solutionibus non indigent, quia nouas vires non adijciunt. Obijcies secundò. Si tota ratio amandi obiectum aliquod est aliqua ratio motiua, maximè debet amari ea ratio motiua. Tum, quia hîc maximè viget illud * Propter quod vnumquodque tale, & illud magis * Tum, quia, si tota ratio cognoscendi obiectum sit aliqua veritas prout relatiua ad terminum, manifestum est cognosci terminum: ergo si obiectum adæquatè ametur propter aliquā rationem motiuā, euidens est eiusmodi rationem amari. Tum, quia inductio perpetua idem monstrat. Sic enim, veritas illa præmissarum, quæ est tota ratio assentiendi conclusioni, sanè nisi sit veritas, cui præbeat intellectus assensum, necessitare nequit ad assentiendum conclusioni. Sic bonitas finis, si non sit efficaciter amata, nequit necessitare ad amorem medij proximi; neque medium proximum non amatum necessitare queit ad amorem medij remoti; neque vtilitas medij ad finem non amata potest esse tota ratio amandi medium. Sic, lux non visa nequit esse obiectiua ratio videndi colorem. Sic demum, prototypon non adoratum nequit esse ratio adorandi imaginem.

28 Hæc omnia, vel ferè omnia satis infirmata sunt ex superioribus. Breuiter tamen percurrenda. Negatur antecedens, cuius contradictorium iam multis ostendimus. Ad primā probationem dicatur, parœmiam illam * Propter quod, &c.* neque obstare, quominus non ametur amicabiliter ratio amādi subiectum amicabiliter; neque, quòd non habeatur odio ratio habendi odio peccatum, vt in superioribus monstratū manet. Quid ni ergo non obstet, quominus interdum non amentur rationes amandi aliud? Proloquium ergo illud eatenus suam habet vim, quatenùs amatis medijs præcisè, *vt exiſtat finis*, magis amatur amore appretiatiuo finis, quàm media, vt dicebam *num* 4. Ad secundam probationem dicatur. Cognoscere veritatem aliquam relatiuam ad terminum: cognoscere, inquam, *non solùm materialiter*; sed *formaliter*, vt relatiuam ad terminum, stat, vt suo loco probabo, in cognoscendi modo comparante, & ferente intellectualiter talem veritatē ad terminum. Hoc tamen est manifestè implicatorium, nullatenus percepto termino. At, amare obiectum propter aliquam rationem obiectiuam, præcisè importat, quòd hæc ratio alliciat ad amandum tale obiectū. Ad hoc autem munus sufficit esse,

&

& apparere tanquam id, *quo* tale obiectum redditur amabile: idque præscindit ab eo, quòd ametur, *vt quod*.

29 *Ad tertiam.* In primis constat, quàm parum habeat perpetuitatis ea inductio, ex multis exemplis pro nobis adductis in hâc disp. *Ad primum exemplum* contra nos dicatur. Tota vis, quæ datur in veritate præmissarum ad necessitandum intellectum, vt præbeat assensum; vel saltem, vt non præbeat dissensum veritati conclusionis, exerceri duntaxat potest medio assensû præstito tali veritati præmissarum. Quia tota illa vis sumitur ex hoc principio * Qui assensum præbet fundamento inseparabili ab aliquâ veritate, prout ab eâ inseparabili, nequit ei veritati dissentiri * At, tota vis obiectiuæ rationis allicientis ad amandum aliud obiectum distinctum, non sumitur ab eo, quòd talis ratio, vel sit amabilis, *vt quod*, vel ametur; sed ab eo, quòd constituat, & constituere appareat tale obiectum in ratione amabilis, vel specialiter amabilis: & in hoc munere constituendi non inuoluitur ipsam esse amabilē, *vt quod*, vel amari, vt probatum est. *Ad secundùm* similiter. Vis alliciendi ad amorem in ratione obiectiuâ non sumitur ex eo, quòd ipsa ametur, vt vidimus. At verò in fine vis necessitandi ad amorem medij proximi; & in hoc ad amorem medij remoti, sumitur ab eo quod amentur. Sumitur enim ab illo principio * Qui amat efficaciter consecutionem alicuius, nequit omittere, quæ in potestate habet, apparentque necessaria ad ipsiûs consecutionem, *

30 *Tertium* exemplum de vtilitate minus vrget. Nam, licet medium amari nequeat, *vt existat* finis, non amato fine; benè tamen amari potest, *quia vtile est* ad consecutionem eiûs finis, non amatâ tali vtilitate; sed eá præcisè se habente, vt ratione amandi. Sic pœnitentia constituitur, saltem inadæquatè, ex peccato præsupposito vtilis ad expellendum in actu secundò peccatum, potestque amari, quia sic vtilis est, non amatâ omni ex parte tali vtilitate, quamuis omni ex parte sit ratio amandi pœnitentiam. *Ad quartum* de luce dicatur, ipsum experimentum ostendere, non posse videri colorem, non visâ luce: proindeque, lux nō est pura ratio, vt ipsâ nō visâ, videatur color; sed, vt hic videatur, ipsâ simul visâ. In re autem nostrâ non probat experimētum, omnem rationem amandi esse simùl amatam; ratioque probat oppositum. *Ad vltimum* de adoratione dicatur, adorationem imaginis esse adorationem prototypi,

typi; quia notitia, quam essentialiter supponit interior adoratio imaginis est notitia, per quam prototypon, non solùm proponitur tanquam ratio, vt aliud constituatur excellens; sed, vt adeò in se ipso excellens, quod sit dignũ, cui non solùm sumpto secundùm se; sed etiam ipsiûs repræsentationi submittamur. Cum igitur, ea notitia directè moueat ad summissionem faciendam exemplari propter se; & imagini propter exemplar, parit affectum, quo indiuisim adoratur vtrumque: siue vtrunque respiciatur in recto; siue alterum in obliquo, de quo suo loco.

DISPVT. DECIMAPRIMA.

Quonam constituatur actus voluntatis dependens actualiter à suo motiuo?

HÆC difficultas solito accuratiùs cœpit exagitari his temporibus à Societate nostræ Recentiorib', quæ profectò est vindice digna.

CAP. I.

Quibusdam prænotatis referuntur sententiæ.

1 PRæmitto primò. Motiuum obiectiuum causat affectum voluntatis quatenùs tale motiuum repræsentatur per intellectum, eâ repræsentatione, quę inclinet voluntatem, vt amet obiectum materiale propter tale motiuũ. Vnde, difficultas de causatione, processione, vel dependentiâ (omnes isti termini in idem recidunt) actûs voluntatis ab intrnseco motiuo deuoluitur ad difficultatem de processione ab eiusmodi repræsentatione. ¶ Præmitto secundò. Duplex est processio affectûs à motiuo intrinseco. Nam alia dicitur radicalis, & quasi in actû primo. Alia proxima, & actualis in exercitio; siue, vt aiunt, in actu secundo. Controuersia nostra non est de priori, quæ in eo stat, vt affectus per sua prædicata intrinseca

feca sit determinatus ad hoc, vt non aliter existat reddendo suum effectum formalem, quam data aliquâ notitiâ motiui, quod talis affectus ex suis intrinsecis respicit. Quare, tota controuersia est de actuali processione, per quam affectus, non solùm est determinatus, vt ab aliquâ notitiâ talis motiui procedat; sed est in actuali exercitio procedens ab eâ numero talis motiui notitiâ, ex quâ fluit. Disputamus igitur, in quo stet hæc processio.

2 Præmitto tertiò. Finis, qui ex proprio genere mouet *vt sit*, duplex est; alius intrinsecus; nempè, quem affectus acceptus ex prædicatis intrinsecis respicit appetendo, vt existat. Sic sanitas est finis intrinsecus affectûs, quo sanitatem ipsam intendimus: nam hæc intentio ex suis intrinsecis expectata respicit sanitatem appetendo ipsiûs existentiam. Alius est finis extrinsecus; nempè ille, ad cuiûs consecutionem ponitur affectus; & tamen ipse affectus intrinsecè spectatus non est volitio eiûs finis. Sic satisfactio pro peccatis est finis extrinsecus actûs charitatis eliciti ad eam satisfactionẽ: nam ex vnâ parte ponitur actus charitatis ad consecutionem eiûs satisfactionis, & aliundè actus charitatis, per quem, v. g. Deum amamus propter ipsiûs bonitatem, præcisè habet ex intrinsecis esse affectionem erga Deum propter suam bonitatem; non verò circa satisfactionem. In præsenti solùm agimus primario, & principaliter de processione affectûs ex suo fine intrinseco, acturi in dispp. proximè seqq. de processione ex fine extrinseco, tametsi, quod præcisè attinet ad processionẽ(abstrahẽdo ab alijs prærequisitis, vt affectus in genere causæ finalis causetur à fine extrinseco)satis facilè inferetur ex dicẽdis hîc.

3 Præmitto quartò. Duplex similiter est illud motiuum commemoratum *disp.* 10. scilicet, quod ex suo genere mouet, non quidem *vt sit*; sed *quia iam est*. Aliud intrinsecum; & aliud extrinsecũ. Intrinsecũ est illud, quod affectus se ipso intrinsecè spectatus respicit, tanquam rationem, ex quâ repræsentatâ, vt iam existente, voluntas allicitur ad talem affectũ. Sic diuina bonitas est motiuum intrinsecum actûs charitatis, per quẽ amamus Deum, non *vt sit bonus*; sed *quia ium optim⁹ est*. Extrinsecum est illud, quod non sic respicitur ab affectu se ipso intrinsecè spectato; eius tamen motiui, vt existentis, repræsentatio inclinat voluntatem ad talem affectum. Sic repræsentatio præcepti, vt iam existentis, & vrgentis ad amorem

rem charitatis Theologicæ, inclinat voluntatem ad talem amorem, qui non habet pro motiuo intrinseco alliciente, *quia iam est*, præceptum; sed præcisè diuinam bonitatem; proindeque præceptum est motiuum purè extrinsecum eiûs actûs.

4 Denique, præmittere placet, motiuum extrinsecum posse bifariam comparari cum affectu, cuius est motiuum. *Primò*, repræsentatione ipsiûs causante remotè talem affectum. *Secundò*, proximè, & immediatè conferente ad illum, saltem vt remouens prohibens. Contingit primum, quādo talis motiui repræsentatio causat eum affectum per alium affectum intermedium intrinsecè respicientem illud motiuum: vt si voluntas per affectum obedientiæ formalis imperet actum charitatis præceptum, qui deinde procedat ab eo affectû obedientiæ. V.g. sic se exerceat voluntas * Decerno elicere charitatis actum, quia præceptus est * Si nanque tunc procedat act. charitatis ex eo decreto, quod reflexum, & imperans dici cōconsueuit, tunc repræsentatio præcepti causat immediatè tale decretum imperans; remotè verò charitatis actum secutum ab eo decreto. Porrò autem, in eo casû præceptum erit motiuum intrinsecum, & immediatum actus imperantis pertinētis elicitiuè, & formaliter ad virtutē obedientiæ: idemq; præceptum erit motiuum extrinsecum, & mediatum actus imperati spectantis elicitiuè, & formaliter ad virtutem charitatis. Præterea, in eodem euentû processio remota actûs charitatis à præcepto, vt motiuo extrinseco stabit in eo, in quo consistat, actum obedientiæ procedere immediatè à notitiâ præcepti; actumque charitatis procedere immediatè ab actû obedientiæ.

5 Secundum autem posse contingere, sic sufficienter suadere videtur. Nam demus superiores, & amicos, quos maximè obseruas, & amas, ita præcipere, consulere, ac precari * Exerce charitatis actum, ita purè propter bonitatem diuinam, vt non imperes illum, quia nos præcipimus, consulimus, & precamur; sed præcisè te determina ad ipsum, quia Deus est bonus * Tunc sic. Notitia huius præcepti, consilij, & precum expedit magis hominem, alioqui affectum ad acquiescēdum præceptis, consilijs, & precibus, vt eliciat actum charitatis. Non enim dubitandū videtur, magis esse proximum, cæteris paribus, positâ hâc notitiâ, quàm eâ notitiâ seclusâ, ad eliciendum actum charitatis. At, non inclinat remotè ad elicien-

ciendum ipsum, medio imperio reflexo, quod ex motiuo præcepti, consiliorum, & precum determinet ad talem actum: quippè tale imperium esset cõtra id præceptum, consilium, & preces: ergo proximè, & immediatè approximat ad talẽ actũ charitatis; qui proinde queit proximè, & immediatè ab ea notitia esse, etsi non tanquam à propriè causante, saltem tanquam à remouente prohibens; quia scilicet, forsan positâ eâ notitiâ sic exercetur actus charitatis, vt eâ absentè non exerceretur.

6. Ceterùm, eam notitiam posse proximè causare in genere motiuo talem actum charitatis, difficilè est. Quia nequit notitia in genere motiuo inclinare ad aliquem actum, nisi proponendo rationem aptam, vt ex illa moueatur voluntas ad talem actum. Non est autem apta ratio ad mouendum ad actũ consultum ea ratio, quæ omnino retrahit ab eo, quod ipsâ mouente ponatur actus, cuiusmodi rationes sunt prædicta præcepta, consilia, & preces. His positis.

7. Prima sententia est, eam processionem consistere in coexistentiâ talis numero notitiæ, talisque affectûs. Cui sententiæ, cum additamentis, quorum postea meminerimus, vel omnino, vel magna ex parte adhæret P. Obiedo *de Anima contrau. 9. pun. 5. §. 6.* Secunda sententia est, in eo stare prædictam processionem, quòd coniungantur talis notitia, & affectus, ita, vt Deus ex præuisione talis notitiæ, vt existentis, decernat concurrere cum nostra voluntate ad talem affectum. Sic nonnulli Recentiores, quorum sententiam sequitur, & ingeniosè illustrat P. Quiros *in manuscr. de Bonit. & malit. disp. 8. sect. 4.* Tertia sententia est, quam tuetur P. Ripalda *tom. 1. de Ente supern. disp. 67. sect. 3.* quam rursus confirmare nititur, & à nostris impugnationibus vindicare *tomo de Fide disp. vltima.* Ea opinio est, processionem affectus à notitia proponente motiuum ipsius, importare duo. *Primum*, est coexistẽtia talis notitiæ cum amore. *Secundum*, est defectus conditionatus amoris, absente tali notitia; vel alia subrogante vices illius. Cui sententiæ præfixit P. Arrub. 1. *p. disp.* 58. *num.* 24. Illustrissimus Ferdinandus de Salazar in opere nunquam satis laudãdo *de Concept. cap.* 24. §. 3. *sect.* 4. Deinde, iam notaui tract. de Volunt. Dei *disp.* 17. *num.* 28. doctrinam hanc placuisse Recentioribus Complutensibus, multumque fauere P P. Vander. VeKen, & Recupit.

Obiedo. Quiros. Ripalda Arrub. Salazar Vander. Recup.

8. Quar-

8 Quarta sententia est, quam doctissimi Recent. tuentur pro se aduocantes P. Molina; talem scilicet processionem stare in actione, per quam physicè efficienter producitur amor à notitia sui motiui. Quinta sententia est, quam tuentur praeclari Recentiores cum P. Puente Hurt. *de Charit. disp.* 133. §. 44. nimirùm, hanc processionem consistere in actione speciali, quamuis non efficienter fluente à praedicta notitia; sed ab alijs principijs actiuis; essentialiter tamen alligata tali numero notitiae. Sexta sententia est, processionē istam actualē consistere in medio quodam vero, & reali medio inter notitiam inclinantem, & affectum, in quem inclinat. Huius autem moduli munus non est producere affectum; sed esse exercitium explēdi inclinationem, qua per talem notitiam inclinatur voluntas, vt talis affectus existat, & à suis actiuis principijs producatur. Sic sentit acutus Lyncaeus in Physica *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 4. *à num.* 18. Cui sententiae vicinum nonnihil est quorundam Thomistarum placitum, quod tuetur Zumel 1. 2. *q.* 114. *art.* 4. *disp.* 2. *in append. concl.* 3. Vbi actus aliarum virtutum fieri imperatiuè à charitate, consistere in eo, ait, quod charitas imprimat ipsis quendam modum physicum, quo dirigantur in Deum, & ab actû charitatis imperatiuè fiant. Quam sententiam commemorans Lorca de Carit. *disput.* 12. *num.* 5. commentitiam appellat.

Molina
Puente-Hurt.
Lynce.
Zum.
Lorca.

CAP. II.

Quid sit negandum.

9 Disputationibus seqq. exagitabimus requisita, vt affectus existat in genere causae finalis ab extrinseco fine: in quâ re, ni fallor, maior est difficultas, vt ibi patebit, quàm in explicandâ processione affectuum in genere inclinatiuo à notitijs, & complacentijs praeuiè impellentibus ad ipsos, & eosdē immediatè causantibus in praedicto genere. Igitur circa processionem istam: *Assero primò.* Haec processio nō consistit praecisè in coexistentiâ affectûs cum notitiâ de se aptâ, vt ipsum immediatè causet in genere inclinatiuo. Ratio est. Nam eiusmodi coexistentia praecisè sumpta potest existere sinè hâc processione. Nulla quippè repugnantia est, voluntati amanti Deum in hoc instanti ex vi notitiae *A.* dari in hoc instanti in

pae-

præmium eius amoris notitiam *B.* repræsentantem longè expreſsiùs bonitatem Dei. In hoc autem euentû coexiſtent in eodem inſtanti amor circa Deum, & notitia B. diuinam bonitatem exprimens, ac de ſe idonea, vt in genere inclinatiuo cauſet eum amorē; & tamen hic amor non procedit ex B. ſed ex A. *Obiedo.*

10 Propterea P. Obiedo, coexiſtentiam conſtituentē eiuſmodi proceſsionem non vult adeò nudè ſumi. Quocirca addit, vltra hanc coexiſtentiam requiri, ad hoc, vt notitia A. v.g. cauſet amorem; talem notitiam de ſe eſſe proximè potentem cauſare talem amorem. Quod ſi petas. Quid ſit eſſe proximè ſic potentem in actû primò? Reſpondebit, non eſſe aliud, quàm exiſtere talem notitiam adeò independenter ab amore, vt ſit prorſus incauſata ab illo. Sed contra hanc ſolutionem obijcio duo. ***Primum.*** Nam, vt Deus potuit in hoc inſtāti ponere notitiam B. pro ſigno poſteriori ad amorem procedentē à notitia A. quin obſtet huic poſterioritati notitia B, tametſi de ſe apta, vt in genere inclinatiuo cauſet eum amorē; ita poterit Deus omninò concomitanter; imò, & eādē actione producere talem amorem, & notitiam B. quin natura huius notitiæ pugnet cum eâ concomitantiâ. At, tunc coexiſtent amor, & notitia B. omnino incauſata ab amore; & tamen amor non procedit ab eâ notitiâ: ergo tuum adminiculū inſufficiens eſt.

11 Confirmatur. Cauſa de ſe productiua in genere efficientis calorem B. v. g. calor A. poteſt tripliciter coexiſtere cum calore B. nēpè, cauſans illum, vel cauſatus ab illo, vel neque illum cauſans; neque ab illo cauſatus: ergo cauſa de ſe cauſatiua affectûs in genere motiuo ſimiliter poterit trib⁹ cōſimilibus modis coexiſtere cum affectû. Et hinc. *Secundum* argumentum ſit. Ad dominium Dei ſpectat præſtare, vt cauſæ efficientes creatæ, quatenus eſt ex ſe proximè potentes cauſare effectum indifferentem, vt ab ipſis, & ab alijs cauſis fluat, coniungantur cum eo effectu; quem tamen in actu ſecundo nō cauſent: vt ſic magis ſplendeat ſubordinatio cauſarum creatarum ad Deū, quoad *eſſe*; & quoad *operari*. Saltem dominium Dei eſſet mancum, ſi non poſſet producere cauſas creatas effectiuas tàm plenè ſibi ſubditas quoad operari: ergo poſsibiles ſunt cauſæ, quatenus eſt ex ſe proximè potentes influere in affectum in genere motiuo, quæ cum affectû coniungantur; qui tamen in eo genere nō procedat ab illis in actu ſecūdo. Proinde, aliud eſt procedere in eo genere ab eis cauſis; & aliud cum

illis coexistere, vt proximè, quatenùs est ex se potentibus influere in tali genere. Et hæc contra primam sententiam ex *n*. 7.

12 *Assero secundò* contra secundam sententiam *ex n*. 7. Hæc processio actualis non stat in eo, quòd ita coniungantur hæc notitia, & affectus, vt Deus concurrere decernat ad hunc affectum ex præuisione talis notitiæ, vt existentis. *Primò* suadetur. Quia, iuxta hunc modum ratiocinandi, notitia proponens voluntati creatę motiuum amandi, moueret potius voluntatem diuinam, quam voluntatem creatam, quod ex ipsis terminis apparet absurdum. Sequela probatur. Nam, sicut causa actiua potius efficit terminum, quem immediatè producit, quàm terminũ, quem producit mediatè; ita causa inclinatiua potius mouet ad terminum, quem immediatè pręstat motiuè, quàm pręstitum mediatè. At, notitia proponens voluntati creatæ motiuum amandi mouet immediatiùs Deum ad decretum concurrendi; mediatius autem voluntatem creatã ad suum affectũ; quippè non aliter in actu secundo mouet ad illũ, nisi quatenus inducit decretum concurrendi, ex quo talis affectus sequitur. Ergo, &c. *Dices* cum P. Quiros *sup*. prædictã notitiam mouere immediaté nostram voluntatem ad affectum. Quia decretum concurrendi non mediat, *vt quod*; sed *vt quo*, & de obliquo: quemadmodùm meritũ causat immediatè præmium, etsi meritum non aliter causet, quam mediâ sui præuisione, & complacentiâ: istæ nanque mediant *vt quo*.

Quiros.

13 *Sed contra est*. Nã seclusis vocibus, reque ipsâ spectatâ, duo hîc sunt necessariò fatenda. Primũ est, quod in præsenti mediat inter notitiã, & affectũ (maximè loquẽdo de affectũ libero) non esse præcisè causalitatẽ, per quam notitia causat actualiter in exercitio affectum. Quod enim mediat est decretum diuinũ concurrendi, indifferens vt in actu secundo existat, & non existat affectus. *Secundum est*: postquã iam prædicta notitia, vt præuisa, Deum allexit ad eam præparationẽ indifferentem concursus, nihil restat, quod in actu secundo agat circa affectum; sed hoc veniente, talis notitia nullũ aliud munus in actu secundo habet, quàm se coniungere cum eo affectu. At, his concessis, potiori ratione talis notitia mouet diuinam voluntatem, vt decernat concurrere, quàm creatam voluntatem, vt amet. Similia enim præstat, vt sincerè meditanti patebit, quòd notitia de voluntate motus progressiui, potius moueat voluntatem, vt decernat motum; quàm facultatem progressiuam

fiuam, vt exequatur: necnon, vt merita potius moueant diuinã voluntatẽ, vt remunerationẽ decernat, quã omnipotentiã diuinã, vt efficiat: quicquid sit, an merita dicẽda sint causæ immediatę, vel mediatę pręmij. Manet igitur argumẽtũ in sua vi.

114 *Secundò* suadetur assertio. Nam, ipsum decretũ indifferenter oblatiuũ cõcursûs præcedit, iuxta aduersarios, ad affectum nostræ voluntatis, vt conditio præuiè requisita ad eius existẽtiam. At, processio actualis affectûs ab hoc decreto non consistit in eo, quòd ex hoc decreto, vt præuiso, moueatur Deus ad aliud decretũ cõcurrendi, vt patet: ergo similiter necesse nõ erit, processionẽ actualẽ huiûs affectûs ab hâc numero notitiâ alliciẽte cõsistere in eo, quòd ex hâc notitiâ, vt præuisâ, moueatur Deus ad decretum cõcurrendi. Quemadmodũ enim actualis processio ab hoc decreto explicanda est, vel per actionem illi alligatã; vel per id, quod ipsum decretũ, vel noster affectus sint conditionata processio effectûs à decreto, nempè sub ea cõditione, quod talis affectus, & decretũ coexistãt, vel alijs modis; sic actualis processio affectus ab hâc notitia, poterit alijs modis, infra exponendis, declarari independenter à pręparatione concursus, ex pręuisa notitia, vt existẽte. ¶ *Tertiò* suadetur. Quia decretũ ipsum præparatoriũ concursus procedit ex præuisione notitiæ allicientis ad nostrũ affectũ. At, hæc processio non explicatur per id, quod ex ea præuisione reflexè pręuisa moueatur Deus ad aliud decretum causatiuum, vel quasi causatiuum decreti præparantis concursum, vt ex se patet: ergo, vt hoc decretum diuinum constituitur procedens ab ea præuisione, vel per virtualem productionem essentialiter alligatam tali præuisioni; vel modo, quem tibi eligere placeat; simili modo poterit explicari processio nostri affectûs à notitia alliciente.

115 Resp. P. Quiros, Deũ moueri ex præuisione talis cogitationis ad decretũ cõcurrendi, vel quia vult in actû signato sic moueri attingendo intrinsecè talem cogitationem, & præuisionem hoc modo * Volo, quia existit talis cogitatio in Petro alioqui à me præuisa decernere illi cõcursum ad talem affectum * vel quia vult, quod tale decretum procedat per virtualem productionem à præuisione tali talis cogitationis, quippè nihil accidit Deo inuoluntariè circa existentiã suorum decretorum. At, nostræ volitiones nõ sunt ita reflexiuę in actu signato, vt decernant inter duas cogitationes numericè distinctas

volendo sui processionem ab alia præ alia. Proinde, recurrendum est ad determinationem diuinam, vt contingit in determinatione quoad indiuiduationē. ¶ Omissis alijs, quæ propter nimietatē reflexionū cōsiderationi potiùs relinquēda sunt, quàm scriptis tradenda, duo sunt, quæ mihi non satis gratam reddunt hanc solutionē. *Primò*. Quia licet omnia, quæ diuinis decretis accidunt sint Deo expressissimè voluntaria; tamē objecta volita non sunt explicanda per id præcisè, quòd volita sint, nisi placeat omnia inuoluere reflexionum tenebris: ergo ly *moueri Deum ex hac præuisione*, non est explicandum per hoc præcisè, quòd De⁹ id velit; sed per aliud ab eâ reflexione præscindens: ergo simili modo poterit explicari *moueri* nostrā voluntatē ad suum affectum ex tali notitiâ, quamuis non possimus reflexiuè discernere notitias numericè distinctas. Proinde, non benè assignatur discrimen ex hâc nostrâ impotentiâ discernēdi. *Secundò*, quia, vt ipse respondens insinuat satis, recursus ad determinationem diuinam faciendus duntaxat est necessitate cogente. At, non datur in præsenti talis necessitas. Nam, vt constabit ex nostrâ sententiâ, componuntur omnia sine incommodis, iam per modos absolutè, iam per facientes conditionatè dependentes affectus à tali principio inclinatiuo: ergo, &c.

16 *Quartò* suadetur. Talis affectus, & talis numero notitia possunt existere diuisim, & cōiunctim, quin talis affect⁹ procedat in genere inclinatiuo ab hâc numero notitiâ: ergo processio actualis huius affect⁹ ab hac notitia stat in modo intermedio, cuius munus sit reddere affectū ita procedētē. Antecedens ex aduersarijs, & ex verâ doctrinâ est. Conseq. prob. Tū, quia simili ratione in vniuersū probatur, in modo intermedio stare *taliter se habere* extrema, quoties diuisim, & cōiūctim existere valēt, quin taliter se habeat. Tū, quia idcirco stat in causalitate intermediâ generis effectiui talē effectū in genere effectiuo procedere à tali causâ, quia talis effectus, & talis causa possunt existere diuisim, & cōiūctim, quin talis effectus procedat effectiuè à tali causâ: ergo, si talis affect⁹, taleq; principiū inclinans existere queunt diuisim, & cōiunctim, quin is affectus in genere inclinatiuo procedat ab hoc principio, ea processio cōsistet in causalitate intermediâ generis inclinatiui. ¶ Resp.

Quiros. tamen P. Quiros manifestum esse discrimen. Nam, ipsum decretum præparans causæ effectiuæ concursum indicat actionem distinctam, quam respiciat, vt obiectū; & cū quâ cōcurrat

cum

dum causa creata effectiua; solùmque ratione huius actionis distinctæ ignis A. habet ius exigendi ignem B. sibi non necessarium, neque vt sit; neque vt benè sit. At, notitia voluntatem alliciens ad amorem ius habet exigendi existentiam amoris, quatenus complet facultatem volitiuam, quæ per cognitionē applicata petit exercere suam virtutem efficiendo amare.

17 Omissis, quæ miscentur hîc de iuribus, vel exigentijs causarum ad operationem: quæ sanè iura non constituuntur per influxum in actû secundo; sed eum anteuertunt: sicut illud quale quale ius notitiæ allicientis non constituitur per processionem actualē amoris ab ea notitia; sed eam processionem præit. Solutio mihi non probatur propter id, quod rectè notatū inuenio apud P. Linceum *sup. n.* 16. quod sic efformo, sumpto cōplexo ex volūtate applicata ad affectū per notitiam A, & ex ipso affectû. Tunc sic. Huiusmodi cōplexū est indifferens; per te, tum, vt affectus procedat effectiuè à volūtate; tū, vt procedat inclinatiuè ab ea notitia. At, prior indifferētia determinari nō potest ad productionē effectûs in genere efficientis per decretū, quod ex præuisione eius cōplexi decernat modum superadditū pertinētē ad genus inclinādi; sed addi debet modus productionis pertinens ad genus effectiuū: ergo neque posterior indifferentia determinari valet per decretū, quod ex præuisione eius cōplexi decernat modū superadditū pertinentem ad genus efficiēdi; sed opportet addi modū motionis pertinentem ad genus inclinandi. ¶ Prætermitto, hunc modum explicandi influxum in genere motiuo non esse vniuersalem: quia, si semel benè explicatur per id, quod ex præuisione notitiæ repræsentantis, v.g. bonitatē diuinā præparet Deus cōcursum ad amorē Dei, poterit similiter explicari disiunctiuè, per id, quòd ex eâ præuisione, vel præparet talē cōcursum, vel infundat, aut conseruet charitatis habitū, vel aliud principiū, ex quo amor sit oriundus effectiuè, vt expendenti fiet notum. *Linceus*

18 *Assero tertiò* contra tertiā opinionē. Hæc actualis processio affectûs in genere motiuo ab hâc numero notitiâ nō cōsistit in coexistentia affectûs cum hâc numero notitia, additâ illa veritate conditionatâ * Deesset hic affectus, si deesset hæc notitia * *Primò*. Quia sol, v.g. non causat in genere effectiuo lucem, ex eo præcisè, quòd existat cum luce nō extiturâ, si deficeret sol: ergo notitia obiecti non causat in genere inclinatiuo amorē, ex eo præcisè, quòd existat cum amore, nō extitu-

ro, si deesset hæc notitia. Cōfirmatur. Aliud est in sole se habere in ordine ad lucē tanquā remouens prohibens; aliud tanquā efficiens: & quamuis ad prius munus præcisè acceptū sufficiat, quòd absente sole abesset lux; tamen, id nō sufficit ad posterius munus; sed requiritur alius modus exercendi vim actiuā: ergo similiter, aliud erit in hac notitià se habere in ordine ad amorē tanquā remouens prohibens; aliud tanquā mouens in actu secundo: & licet ad prius sufficiat existere cum amore non extituro, si hæc notitia deesset; id tamen non sufficiet ad posterius; sed requiretur alius modus exercendi vim motiuam.

19. *Secundò* sumamus duos actus, quorū quilibet sortiatur vim inclinatiuā in actû primo ad aliū. V.g. actū religionis, quo exoptes præstare Deo cuncta obsequia tibi possibilia, & actū charitatis, quo desideres facere quicquid gratū Deo sit. Tunc sic. Manifestū apparet, posse Deū decernere, neutrū istorū existere, nisi existat vterque. At, in hoc euētū, tales actus nō se causabunt mutuo in genere inclinatiuo; & aliundè se mutuo causabunt in eo genere: ergo cogitur hæc opinio ad cōtradictionē. Prior pars minoris patet. Tum, quia mutua causalitas in eodē genere, quoad primā existentiā, repugnans est. Tū, quia duo se mutuo efficere physicè, quoad primā existentiā repugnat: ergo & se mutuò efficere moraliter, & allicitiuè. Nulla nāq; ratio efficax assignari potest ad alterū, quod ad alterū nō valeat. Posterior pars eiusdē minoris etiā patet. Quia, iuxta eā opinionē, cōstitutiuū integrū causalitatis in genere inclinatiuo stat in coexistētia principij inclinatiui cum eo, ad quē inclinat termino defuturo, deficiēte tali principio inclinatiuo. Patet autē cōsideranti euentū positū, totū id reperiri in altero illorū actuū respectiuè ad alterū, & è cōtra. Plura dabimus argumēta disp. seq. cōtra hanc sententiā, quatenùs per has veritates conditionatas explicat motionē liberā voluntatis ex fine extrinseco in genere causę finalis. Deinde, videri poterit *tract. de Vol. Dei disp. 17. n. 29.* Vide plura *disp. 12. à cap. 2.*

CAP. III.

Concluditur materia præcedentis.

20. ASsero *quartò* contra quartā, & quintā sententiā. Hæc actualis processio non consistit, si vniuersaliter loquamur, in actione productiuā amoris essentialiter alligatā huic nu-

numero notitiæ, per quã talis notitia siue physicè, & eliciti uè; siue solú moraliter, & allicitiuè faciat talẽ amorẽ. Dixi, *si vniuersaliter loquamur*: nam quandoque cõsistere talẽ processionem in eis actionibus non inficiabitur opinio nostra. Probatur assertio. Nam actiones exteriores materiales pendẽtes ab imperio supernaturali religionis, v.g. genuflexio, pectorisq; tunsio, vel alligantur essentialiter ei imperio, vel non? Si secundũ; poterit similiter procedere ab hac notitiâ inclinatiuè actio amandi, quin essentialiter alligetur huic notitiæ. Si primum: tales actiones materiales, & exteriores erunt intrinsecè supernaturales; quippè, tales sunt, quæ ex suis prædicatis requirunt essentialiter supernaturale principium, iuxta communissimam opinionem, cuius contrariæ, quamuis nuper defensæ à P. Quiros 1. tom. in 1. p. *tract.* 1. *disp.* 5. non videntur alligãdæ processiones in genere motiuo. Hinc, ad plura contra communem mentem cogitur opinio nostræ assertionis contradicens. Nã. *Primò* prædictæ actiones specificè, imo, & genericè different ab alijs similibus ortis ab imperio naturali religionis: sic enim differunt actiones intrinsecè supernaturales à naturalib⁹. *Quiros.*

21 *Secundò*, si subsistẽtia sit conditio immediatè præuia ad operationes suppositi, vt opinio cõmunissima fert, omnes operationes Christi D. vtpotè essentialiter alligatæ subsistentiæ Verbi vnitæ humanitati Christi, erunt intrinsecè supernaturales, vel saltem plusquam specificè dissidentes ab omnibus nostris operationibus. *Tertiò*. Si non solũm actiones volendi; sed etiam liberæ volitiones acceptæ per modũ termini sint intrinsecè liberæ, fiet, actiones externas mediatè liberas esse essentialiter liberas mediatè, quia tales sunt, quatenus dependent ab affectû libero. At, per te, essentialiter dependent ab hoc numericè affectû essentialiter libero, illique essentialiter alligantur. Vnde. *Quartò*, tales actiones exteriores specificè differẽt ab alijs similibus, quę per inaduertentiã fiant necessario. Inde. *Quintò*, cũ, iuxta plures assertores istarũ actionũ specialium, actus moraliter bonus, & actus moraliter malus sint essentialiter tales; cõsequens erit, actiones exteriores procedẽtes, vel ex imperio moraliter bono; vel ex moraliter malo, quippè quæ procedunt essentialiter ex huiusmodi imperijs, suntque bonę, vel malæ ratione talis processionis, esse bonas moraliter, vel prauas essentialiter. Proinde, exteriores actiones percutiendi pectus, adorandi Euchariſtiam, &c. procedentes ex imperio

moraliter prauo habebunt ex essentiâ suâ non posse purè honestè exerceri; proindeque, valdè dissidere essentialiter à similibus alijs percussionibus, & adorationibus externis, quæ ex imperio honesto procedunt.

22 *Sextò* fiet, actione intrinsecè supernaturali, quâ producatur iudiciū intellectuale, determinari intellectū ad iudiciū falsū; imò falsū necessariò, & essentialiter. Demus nãq; Petrū corã Ioanne pio, & iusto testari Deū nō esse trinū, & vnū, idque probare motiuis ad speciẽ nō infirmis. Tunc Ioãnes iudicans obsequiū se præstare Deo, si tali obiecto præbeat assẽsum, potest imperio supernaturali, quo Deo gratū facere intẽdit, imperare talem assensū. Tunc sic. Actio productiua huius assensûs est essẽtialiter supernaturalis; quippè, quæ ligatur essentialiter imperio supernaturali. At, eâ actione determinatur intellectus ad errandū; & sanè per errorẽ necessariò, & essentialiter falsū: ergo, &c. ¶ Dices, nō dari in eis casib⁹ actū supernaturalẽ falsū; sed assẽsū naturalẽ falsū: productū tamẽ actione intrinsecè supernaturali. Sed cōtra primò. Quid si assensus identificet secū, vel includat, vt nō pauci probabiliter volunt, ipsã actionẽ vitalẽ, quâ producitur immanẽter? Et quidẽ, nullus deseret, vt arbitror, opinionẽ adstruẽtẽ, quod in intellectione imbibitur actiò physica potẽtiæ vitalis, ex timore sequelæ assensuū supernaturalium, qui sint essentialiter falsi. *Secundò*. Si excellẽtia supernaturalitatis præstat, quòd in assensū supernaturalẽ nequat in facto esse, vt aiunt, cadere falsitas; quomodò nō præstat, quòd supernaturale *fieri* nequeat esse *fieri* assensûs falsi; & essentialiter falsi? *Tertiò*. Quia multò magis determinatur intellectus ad errandū, posito modo essentialiter inferente iudiciū essentialiter falsū; quã posito iudicio hîc, & nūc vero; indifferẽte tamen de se ad falsitatẽ, & veritatem. At, nequit supernaturalitas cadere in eiusmodi iudiciū, nisi falcẽ ex natura rei sit affixus veritati, vt fatentur omnes; etiam illi, qui magis dubitarunt, an actibus supernaturalibus veritas sit essentialis? Ergo multo minus cadere poterit supernaturalitas super illum modum essentialiter inferentem assensum essentialiter falsum.

23 Hinc sequitur primò contra sextam sententiam P. Lincei, septimumque placitum quorundam Thomistarum, nō posse prædictam processionem actualẽ, si vniuersaliter loquamur, consistere in illis modis superadditis affixis essentialiter

Lincæus
Thomist.

tali

tali numero principio mouenti, quo determinetur actus procedens ad procedendum ex illo in genere motiuo. Inde nanque sequeretur in casu posito num. 22. talem modum esse supernaturalem intrinsecè ex vna parte; & aliundè essentialiter inferre assensum essentialiter falsum. Si dicas insistendo Thomistarum placito relato *num.8.fine*, actum mouentem imprimere, tãquam in subiectum, in actum, in quem mouet, modum illum constituentem talem actum procedentem ex alio, vt mouente; atque ideo, talem modum præsupponere talem actum, vt existentem; non verò determinare ipsum ad hoc, vt existat. Id mihi sane imperceptibile est. Tum, quia percipi nequit processionem termini, ab aliquo principio efficientèr physicè, talem esse, vt suapte natura supponat terminum iam existentem: ergo neque percipi valet processionem termini ab aliquo principio efficienter moralitèr talem esse, vt ex sua natura supponat terminum iam existentem. Vt enim vis actiua se exercet in agendo terminum ad hoc, vt existat; non autem, vt post existentiam aliquid aliud recipiat; ita vis inclinans ad exhibendam termino existentiam se exercet in mouendo in actu secundo ad terminum ad hoc, vt existat; non autem, vt post existentiam; &c. Tum, quia quis apprehendat, post iam factum religionis actum, postque iam constructum syllogismum philosophicum, charitatem, & dialecticam præstare, vt alter ex directione charitatis; & alter ex directione Dialecticæ sit factus? Quis non videat hoc esse post bellum auxilium?

24 Sequitur secundò, non benè prædictam actualem processionem explicari, vniuersalitèr loquendo, per id, quod forsan alicui placeret ad euitanda nonnulla ex prædictis incommodis; nempè, quando naturales operationes oriuntur ex imperio supernaturali determinante potẽtiã executiuã ad illas, nõ idẽtificari cũ illis processionẽ actualẽ ab eo imperio; idẽtificari tamẽ cũ eo imperio; adeò, vt ipsi sit essẽtiale, & intrinsecũ causare motiuè in actu secũdo tales operationes; his verò accidẽtale, & extrinsecũ causari motiuè in actu secundo ab eo imperio. Hoc, in quã, vniuersim loquendo nõ sufficit. Primò nãq; ponamus Petrum expeditum ad exteriorem actionem misericordiæ; Paulum autem impeditum. In hoc euẽtu sequeretur, Paulum non posse elicere affectum ab intrinseco tam efficacẽ, quàm affectum Pauli ad actionem exteriorem misericordiæ.

Nam

Nam, potest Petrus elicere affectum tam efficacem ad eam operationem, vt talis affectus identificetur cum actuali causatione talis operationis; Paulus autem impeditus ad eam operationem nequit elicere affectum tam infrustrabilis ab intrinseco efficaciæ. Sequeretur secundò, ex solo impedimento facultatum exteriorum limitari potentiam merendi, etiam per affectus internos. Sicut enim, cæteris paribus, affectus internus supernaturalis censetur magis meritorius, quàm affectus naturalis; cur non censebitur magis meritorius, inter ipsos supernaturales affectus ille, qui ab intrinseco sit essentialiter cõnexus cum obsequio externo, quàm non adeò connexus? Atqui, non superest libertas ad affectum prioris conditionis, impedita facultate exteriori: ergo ex hoc impedimento limitatur libertas ad merendum, etiam per affectus internos.

25 Ad hæc. Nam, vt probabilissime defendunt nonnulli cũ P. Vazquez 1.2. *disp.* 68. *cap.* 1. potest ex intentione moraliter honesta procedere electio moraliter turpis, vt si quis sine respectu ad medium prauum velit eleemosynam ad subleuãdam miseriam pauperis amicissimi (& ponamus hanc volitionem esse intrinsecè supernaturalem) Deinde, videns optimum esse medium ad eam subleuationem furari, eligit furtum ad consecutionem eius finis. Tunc sic. Actualiter procedere prauam hanc electionem ab eâ intentione supernaturali, & honestâ, est quid moraliter prauum; ac proinde, non est aliquid supra quod cadat excellentia supernaturalitatis. At, eiusmodi excellentia cadit supra prædictam intentionem; necnon supra omnes actiones; & modos alligatos essentialiter tali intentioni numericè: ergo in nullo istorum consistit ea processio. Vt igitur, hîc potest explicari independentèr ab his omnibus; cur non similitèr in casû processionis prædictarum actionum exteriorum ab imperio supernaturali? Demum, quia processio actualis actûs essentialitèr falsi ab imperio supernaturali, cũ nequeat esse supernaturalis, vt ex dictis constat, nequit poterio identificari cum eo imperio. Poterit ergo in alijs casibus explicari processio, sicut hîc.

26 Opponis. Quando nobis proponitur, motiuis ad speciem sufficientibus, Deum non esse Trinum, & vnum, & aliunde putamus Deo esse gratum id credere, etiam possumus in nostrâ sententiâ eam fidem essentialitèr falsam imperare efficacitèr per imperium efficax supernaturale. At, tũc eiusmodi im-

imperium, tametsi supernaturale, erit determinatio mentis ad assensum essentialiter falsum: ergo talis determinatio non repugnat affectui supernaturali. Respondeo. Talis determinatio proueniens ab aliquo extrinseco non petito ab affectû supernaturali; sed per accidens illi adiuncto, non repugnat affectui supernaturali; repugnat tamen illi, quòd per sua intrinseca prædicata determinet ad assensum essentialiter falsum: quia hoc posteriori modo ipsi secundùm se tribuetur causalitas erroris, quod pugnat cum ipsiûs excellentiâ. At, priori modo causalitas erroris tribuetur consortio, quasi casuali ipsius cũ principijs infimioris generis, quod non pugnat cum eiûs excellentiâ. Porrò, in euentibus à nobis impugnatis, affectus supernaturalis per sua intrinseca præcisè spectata, determinat ad assensum essentialitèr erroneum. At, verò in casu nobis obiecto, determinatio prouenit ex eo, quòd affectus supernaturalis coniungatur, citra exigentiam ipsiûs, cum principijs fallacitèr suadentibus Deum non esse trinum, & vnum.

27. Erit forsan, qui contendat nostris argumentis occurrere ex doctrina singulari præstantium Theologorum Ripalda, & Herice putantium, cum affectu supernaturali circa aliquod obiectum coniungi perpetuò affectum aliùm naturalem eiusdem obiecti materialis, & formalis, similisque modi tendendi. Proinde, confluentibus in euentu nuper proposito duplici affectu circa assensum falsum, alio supernaturali, & alio naturali, non procedet assensus falsus ab illo imperio supernaturali; sed ab hoc naturali, processione cõsistente, vel in actione speciali, vel in modo speciali alligatis essentialiter affectui naturali. Sed contra primò. Quia doctrina, in qua solutio nititur difficilis est. Nam, vt alia omittam. Sicut virtus naturæ sine eleuatione se occupat quantum potest in vno actu naturali circa tale obiectum materiale, & formale; ac proinde, tali actui naturali non adiungit simul aliùm similiter tendentem circa idem obiectum; ita eadem virtus naturæ supernaturali auxilio eleuata se totam occupabit circa tale obiectum in actu supernaturali; ac proinde, non adiunget illi naturalem aliũ circa idem obiectum, similisque modi tendendi. ¶ *Secundò.* Si Deus in casu posito nollet concurrere ad affectum naturalem, sed ad supernaturalem duntaxàt, non posset intellectus assentiri tali obiecto falso, quod sufficienter proponitur, vt credibili, quia talis assensus, neque procedere posset ex affe-

ctione

ctione naturali, quæ non existit; neque ex supernaturali, cui repugnat influxus in talem assensum. Hæc autem impossibilitas ponenda non est, vbi sine incommodis explicari potest, vt patebit cap. seq. influxus actus supernaturalis in assensum erroneum. *Tertiò*. Talis assensus, qui Deo gratus proponitur non poterit esse, neque denominatiuè meritorius supernaturalitèr: nam hoc meritum denominatiuum in eo consistit, quòd talis assensus existat procedens ab affectû supernaturali meritorio.

CAP. IIII.

Vera sententia, & consectaria ex illa.

28 Nostra sententia complectitur has propositiones. *Prima sit*. Hæc processio actualis, per quam affectus procedit in exercitio ab hâc numero notitia in genere principij inclinantis, potest interdum consistere in actione, qua producitur affectus à suis principijs efficientibus; quæ actio sit essentialitèr alligata talibus principijs, necnon tali numero notitiæ; ita, vt duplex exerceat munus, aliud effectionis actualis, per quod principia effectiua constituat in actu secundo efficientia; aliud motionis actualis, per quod principia inclinatiua constituat in actu secundo mouentia ad affectum. Ratio propositionis est: quia licet nonnunquàm dentur incommoda, quæ prohibeant, quominus actualis motio stet in actione, vel modo essentialitèr alligatis tali principio mouenti; nunquam tamen probabitur ea incommoda dari semper. Aliunde, non repugnat ea munera coniungi in eodem indiuisibili modo actionis: qua ratione, iuxta communem opinionem, in eâdem indiuisâ actione eductiua confluunt munus actionis, per quod actiuum constituitur agens; & munus, per quod passiuum constituitur patiens. Nihil ergo prohibet; quominus interdum actualis processio, de qua loquimur, consistat in modo eiùs duplicis muneris.

29 *Secunda sit*. Potest accidere, vt prædicta duo munera exerceantur per duos modos inter se distinctos. Tum, quia nulla repugnantia in eo assignabitur, sicut nonnulli volunt possibilem esse actionem eductiuam formæ ex subiecto, non identificatam; connexam tamen cum passione, per quam subiectum sustentet in se talem formam. Tum, quia mihi probabilissi-

bilissimum est, posse Deum in animo non cognoscente bonum, producere, & vnire affectum eius boni non tribuentem animo suum effectum formalem, donec adueniat cognitio boni, quæ suum munus mouendi exerceat per actuale exercitium mouendi. Tunc autem exercitium producendi competens principijs efficientibus, & exercitium mouendi competens repræsentationi boni distinguentur. Vbi rectè notante P. Linceo sup. *num.* 19. hic modus motionis in actu secundo optimè potest citra processum in infinitum produci per actionem distinctam. Quamuis enim hic processus in infinitum arguatur ex eo, quod vniûs generis actio terminet alteram eiusdem generis, quia de hâc secundâ eadem esset ratio, vt terminaret tertiam; non tamen arguitur ex eo, quòd actio, vel quasi actio vniûs generis terminet alteram alteriûs generis. Nam amor, qui est actio intentionalis circa obiectum, vel, vt aiunt, actio grammaticalis, terminat physicam actionem, per quam producitur physicè. Vide alia exempla apud eum Autorem. Vnde, modus motionis, qui est causalitas, & quasi actio in genere motiuo, terminare poterit, citra processum in infinitum, causalitatem aliam, quæ sit actio in genere physicè effectiuo. *Linceo*

30 *Tertia sit.* In casibus, vbi non est incongruens talem processionem affectûs ab hâc numero notitiâ cõsistere in modo essentialitèr alligato tali notitiæ, verosimilius est, ordinariè loquendo, talem modum constitutiuum motionis actualis huiûs notitiæ identificari realitèr cum productione, per quam affectus producitur efficientèr à suis principijs effectiuis. Tũ, quia, iuxta commune placitum Philosophiæ, quæ possunt cõgruentèr fieri per vnicam entitatem, non sunt censenda fieri per duplicem. In casibus autem nostræ propositionis non assignabitur incongruitas, quominus modus actionis, & modus motionis identificentur, ordinariè loquendo. Tum, quia tanta est connexio, plerumque loquendo, inter producere affectum immanenter, & moueri ex notitiâ obiecti, in quod tendit affectus, quanta est inter produci eductiuè formam ab agente, & sustentari in passo. At, plerumque saltem, identificantur actio eductiua, & passio: ergo similitèr exercitiũ, quo voluntas producit affectum, & notitia mouet. Tum, quia interuenientibus duabus, vel pluribus causis efficientibus, quæ coniunctim producunt eundem effectum, non solent correspondere singu-

læ actiones distinctæ singulis causis; sed omnibus vnica, per quam omnes indiuisim, iuxta suam naturam, concurrant: alia, vt causa prima; alia, vt secunda: alia, vt principium vitale; alia, vt non vitale: ergo interuenientibus duplici causâ, actiuâ aliâ; & alia inclinatiua, non est cur singulis singulæ causalitates distinctæ realitèr correspondeant; sed vtrique vnica, quæ constituat alteram in actu secundo agentem; & alteram mouentem. Facile esset alia adijcere: sed hæc sufficiant pro congruitatibus ad factum.

31 *Quarta sit.* Vbi sit inconueniens actualem processionem vnius ab alio in genere inclinatiuo consistere in actione, vel modo essentialiter alligato principio inclinanti(vt in casibus perpensis cap.4.) hæc processio poni poterit in modo, cuius munus sit reddere terminum procedentem conditionatè ab hoc principio inclinatiuo, si hoc v.g. existat, v.g. à notitiâ A si ipsa existat. Quamobrem, hunc terminum procedere *absolutè* à notitiâ A. importabit duo: nempe, & talem modũ, qui dici potest dependentia conditionata; & existere absolutè talem notitiam A. Ratio est: quia ex vnâ parte sic omnia benè componuntur, vt ex consectarijs patebit; & aliunde, formalis effectus *procedentis absolutè à tali principio inclinatiuè* non est cur nequeat coalescere ex pluribus, quorum aliquod imò, & id quod præcipuè importatur in recto, sit separabile ab alio; sicut in alijs effectibus formalibus accidit. Sic in igne virtus ipsi intrinseca est combustiua proximè huiûs passi sub conditione applicationis, per quam completur in ratione proximè, & absolutè combustiuæ. Sic peccatum antea commissum constituit conditionatè peccatorem; non solum antea, sed nunc, sub conditione scilicet, quod non condonetur à Deo. Sic in sententia P. Vazquez ipsa volitio necessaria Dei est cõstitutiuum conditionatum Dei in ratione decernentis libere, nempè sub conditione talis, vel talis connotati exterioris, per quod Deus vltimò, & absolutè completur in tali ratione. Cuius alia innumera sunt exempla, viderique nonnulla possunt *tract. de Volunt. Dei disp.* 16. Cur ergo non poterit aliquando poni processio actualis termini à tali numero principio inclinatiuo, in quodam modo à tali principio separabili, cuiûs munus sit talem terminum reddere procedentem motiuè à tali principio sub hypothesi, quod tale principium existat?

Vazq.

32 Ex hâc doctrinâ sequitur primo, simili modo, ac exposita

posita est actualis processio in genere motiuo amoris ab hac numero cognitione, posse explicari processionem affectûs absoluti à simplici complacentia electionis mediorum ab intentione finis, affectûs interni imperati ab affectu imperãte, actus fidei ab affectione piâ, actuum exteriorum à decreto executiuo ipsorum: nimirùm, vel per modum processionis absolute, & essentialiter alligatum principio influxiuo; vel separabilem ab eo principio; constituentem tamen terminum ab eo principio dependentem sub conditione existentiæ talis principij.

¶ Vbi notandum est, apparere verosimile, Autorem naturæ instituisse has dependentias conditionatas in supplementũ dependentiarum; quæ se ipsis sint processiones absolutæ huiûs termini ab hoc principio. Nam; quandò his locum datur sine incommodis, non videtur recurrendum ad conditionatas. Quo fit, in casibus vbi absolutæ non incongruunt, credendum est, hoc negotium peragi interuentû illarum, sollumque recurrendum esse ad conditionatas, vbi absolutæ sint incommodis obnoxiæ.

33 Sequitur secundo, si actus falsus, & præsertim essentialiter falsus, nequit procedere ab imperio supernaturali per actionem, vel modum essentialiter connexum cum eo imperio supernaturali, adhuc superesse viam, vt ab illo procedat, scilicet, per modum ab eo imperio separabilem, cuius natura sit reddere talem actum procedentem ab eo imperio sub conditione, quod existat, vel sub conditione, quòd taliter existat. Hoc vltimum addiderim; quia, sicut potest esse modus talis naturæ, quo terminus procedat à tali principio sub præcisâ conditione existentiæ talis principij; ita etiam non repugnat modus, talis naturæ, vt non sub hac pura conditione; sed coniunctim cum alia reddat terminum dependentem à tali principio: v.g, sub conditione, quòd existat tale principium; & nõ aliud magis proportionatum ad causandum talem terminum in genere motiuo. ¶ Sequitur tertiò, posse dari terminum coexistentem cum principio, quatenus est ex se apto ad causandum talem terminum in genere motiuo; & tamen in eo genere non causari: sicut terminus potest coexistere cum causa de se effectiua eius termini: & tamen non effici ab illa. Quia scilicet, potest talis terminus coexistere cũ tali principio; eo tamen modo non affici, qui reddat ipsum, vel absolute depen-

den-

dentem ab eo principio, vel dependentem, sub ea præcise cōditione, quod tale principium existat.

34 Sequitur quartò, non implicare terminum, qui, si semel coexistat cum tali principio motiuo, eo ipso dependeat ab illo. Nam, vt in genere effectiuo non repugnant effectus, qui secum identificēt, vel actiones, quibus constituantur absolutè procedentes à talibus principijs in genere effectiuo; vel actiones, quibus reddantur dependentes à talibus principijs, sub conditione, quòd talia principia existant; proindéque tales termini, vel eo ipso quòd existant; vel saltem eo ipso, quòd cōexistant cum talibus principijs, dependebunt necessariò ab ipsis in genere effectiuo; ita in genere motiuo possumus eâdem proportionali ratione discurrere. Ex quibus quintò constat, quænam sit diuersitas, quando terminus coexistit cum principio motiuo; non tamen ab eo dependet; & quando coexistit, ac dependet. Nam, in primo casu nullus interuenit modus, vel absolutè constituens terminum dependentem à tali principio, vel constituens illum dependentem ab eo principio, sub conditionibus iam purificatis; oppositum autem euenit in posteriori casu.

35 Tandem ex dictis internoscendus est influxus conditionum, quæ præcedunt ad effectum, vt condistinctus ab influxu causarum. Arbitror distinguendum esse duplex genus conditionum. Alias voco conditiones in certo genere. Alias conditiones simpliciter. Priores sunt, quæ in certo genere requiruntur quidem ad causandum; nō tamen in eo genere causant, quamuis causent in alio. Sic materia est conditio in genere efficientis, vt agens producat in ipsa eductiue formam: quia materia non producit eam formam; requiritur tamen vt agens producat ipsam; non tamen est pura conditio ad talem formam, quia iuxta communem opinionem (de quâ non disputo nunc) vere in genere passiuo causat formam sustentando illam. Sic etiam cognitio repræsentans bonitatem obiecti amabilis, in opinione asserentium non concurrere effectiuè ad amorem, est in genere efficientis conditio requisita, vt voluntas efficiat amorem; non tamen causa efficiens; at verò in genere motiuo est causa, nimirum, inclinatiua ad amorem. Posteriores conditiones sunt, quæ licet ad causationem effectus requirantur; eum tamen nullatenus causant; neque suapte natura destinantur, vt illum in aliquo genere causent. Sic forsàn se habet

habet applicatio ignis ad hoc passum: ea enim applicatio non videtur positiuè iuuare ad hoc, vt existat calor, qui producitur; neque positiuum conatum adhibere, vt calor existat; sed præcisè illam distantiam aufert in quâ ignis vsque ad tam dissitum passum suam actionem porrigere non valet, & in eo loco constituit, ex quo possit actionem emittere. Sic etiam est simplicitèr pura cõditio, vt hoc agens calidum producat calorem vt octo, defectus alteriûs agentis, quod ad impediendam eam productionem sit fortius, quàm calidum ad eam exercendam; carentia tamen illiûs fortioris impeditiui, in nullo genere est causa positiuè conatum adhibens, vt talis calor existat.

36 Iam ergo, quod attinet ad conditiones, quæ in nullo genere sunt causæ effectus producti, censeo non alitèr præcedere in actu secundo ad effectum, quàm ex coniunctione cum effectû talitèr, vt ex præuisione ipsarum Deus, vel cum alijs causis decernat concurrere ad effectum, vel alias causas effectum causantes exhibeat: cum enim istæ conditiones reuera non habeant propriè influxum in effectum, sufficit ipsis concedere hanc prioritatem remotam, vel quasi remotam, quæ influxus quidam improprius est; neque alius influxus est ipsis tribuendus, nè ex puris conditionibus ad causas in aliquo genere proprias assurgant. Aliæ verò conditiones, quæ in vno genere sunt conditiones; & in alio causæ, sunt in duplici differentiâ. Nam aliæ sunt causæ, quæ dici solent morales, & intentionales, quia physicum *esse* ipsarum, non per se ipsum; sed per sui præuisionem, vel complacentiam; vel per vtranque, causant effectum. Sic merita causant præmium: quia ipsorum præuisio causat, vel quasi causat præmij decretum, ex quo præmium sequitur: & eiusmodi causæ habent influxum instar purarum conditionum; à quibus tamen eatenùs distinguuntur, quatenùs habent certam quandam cum effectu proportionem, ratione cuiûs sibi ipsis quodammodo reddunt debitum effectũ; non autem alijs præcisè causis; secus autem est in conditionibus puris, quæ, vt summùm, alijs causis reddũt debitum quodammodo effectum; non sibi ipsis. Id, quod clarius, quàm alibi cernitur in carentiâ agentis impeditiui caloris. Ei enim carentiæ non debetur caloris productio; sed ea carentia prestat, vt agenti calido debeatur. Si quæ autem contra sunt diluuntur in physicis. ¶ Aliæ verò conditiones, quæ sunt conditio-

nes in vno genere; & in alio causæ physicæ immediatæ, influit in effectum per modos iam satis explicatos, quibus effectus in tali genere reddantur, vel absolutè, vel conditionatè dependentes ab illis, prout natura rerum exposcant.

CAP. V.

Diluuntur obiectiones aliquæ.

37 SVperest, vt argumenta diluamus earum opinionum, quas retulimus n. 7. quatenus nobis possint obesse. *Primò* igitur obijcies pro prima sententiâ, quæ prædictam processionem actualem ponit in coexistentiâ principij mouentis cum termino, ad quem mouet, in eâ, inquam, coexistentiâ, saltem cum adminiculis supra insinuatis. Etenim, eo præcisè, quòd notitia, & amor ita coexistant, vt notitia præcedat natura ad amorem, & amor succedat, iam amor dependet à notitia, cum prioritas, & posterioritas naturæ consistat in dependentia vnius ab alio. At, eo præcisè, quod notitia, & amor ita coexistant, vt notitia sit omninò incausata ab amore, notitia præcedit natura ad amorem, & amor succedit: ergo ex eo præcisè amor dependet à notitiâ. Probatur minor. Quia, si notitia obiecti amabilis est omnino incausata ab amore, datur in signo apto, vt Deus ex præuisione illiûs decernat voluntati cócursum ad eliciendum amorem. Si autem notitia non præcedat ad amorem, nō est in signo apto, vt Deus ex præuisione ipsius decernat concursum ad amorem: ergo si talis notitia est omnino incausata ab amore præcedit ad amorem: proindéque amor succedit ad notitiam: cum impossibile sit vnum præcedere ad aliud, quin hoc succedat ad ipsum. In primis, tota prioritas, quam probat hoc argumentum, vt vt illa sit, non potest esse prioritas dependentiæ actualis. Quia tota hæc prioritas sumitur ex eo quòd notitia incausata ab amore apta sit, vt Deus ex præuisione talis notitiæ decernat concursum ad amorem. Hæc autem aptitudo stat, quin existat amor; ac proinde, quin dependeat actualiter à notitia. Deinde, si res attentè consideretur, eodem argumento probari posset, productionem effectus à causa efficiente nihil addere supra coexistentiam effectus cum causa incausata ab effectu, quod tamen inficiantur Autores sententiæ, in cuius fauorem arguitur.

38 Tan-

38 Tandem resp. Negatur minor. Ad probationē concessa maiori, distinguenda est minor. Stat enim dupliciter notitiam incausatam ab amore *non præcedere* ad amorem. Primò *exclusiuè*. Secundò *præcisiuè*. Primum est excludere præcedentiā. Secundum est sumi secundùm se, neque excludentem ; neque dicentem actualem præcedentiam; sed præcisè quatenùs est indifferens, vt antecedat, vel comitetur amorem. Dico ergo: si notitia sumatur, vt exclusiuè non præcedens ad amorem, nō est apta; sed inepta ad præcedentiam : vt enim est cum præcedentia incompatibilis, est inepta ad illam. Si autem sumatur, vt præcisiue nō præcedens ad amorem, apta est, vt præcedat: apta enim est ad præcedentiam, prout est indifferens ad præcedentiam, & non præcedentiam. Et nego consequentiam. Nā ex eo, quòd sumpta tali notitia, vt incausata omnino ab amore, possit Deus ex præuisione ipsius decernere concursum ad amorem, infertur, vt summum, eam notitiam, vt ab amore incausatam, esse aptam, vt præcedat ad amorem: & in hoc sensu in signo esse apto, vt ipsi adueniat præcedentia; non tamen infertur, eam notitiam præcise, vt incausatam ab amore, iam habere præcedentiam in actu secūdo, casualitatemque actualem respectu amoris.

39 At vrgebis, & obijcies secundò. Ponamus dari duplicē notitiam obiecti amabilis, nempe A. & B. demusque A. influere motiue in amorem; secus autem B. Tunc sic. Notitia A. existit pro priori ad amorem potiùs, quàm notitia B. præscindendo ab omni influxū in actu secundo ad amorem. Vt enim constat ex physicis, signum prioritatis causarum præscindit ab influxu actuali in effectū. At, hæc prioritas in actu primo, quæ datur in notitia A. potiùs, quàm B. præscinditq; ab actuali influxu, non est aliud, in quo stare possit, nisi notitiam A. existere apte, vt Deus moueatur ex præuisione ipsius ad exhibēdum concursum in amorem; & non ita existere notitiam B. ergo ea prioritas in actu primo notitiæ A. in ordine ad amorem consistit in eo, quod prædicto modo existat ea notitia. Inde vltra. Sed eo præcise quòd amor existat, data notitia A. prius in actu primo, quàm amor, iam amor, præciso quolibet alio, est posterior tali notitia: ergo non est alio opus ad hanc posterioritatem in actu secundo, quàm coexistentia amoris cum ea notitia prædicto modo existente.

40 In primis, hoc argumentum, quod acuminis præfert

speciem: potest infringi multipliciter. Sufficiant nunc duæ instantiæ. *Prima*. Nam, eâdem argumenti formâ poterit contra arguentes ostendi, calorem, præciso modo interiecto, procedere efficientèr ab igne A. potiùs, quàm B. eo præcisè, quòd calor coexistat cum igne A. caloris effectiuo, & aptè existente præ B: vt Deus ex præuisione ipsiûs decernat existere calorē. Vel alijs terminis, eo præcisè, quòd coexistat cum igne A. qui detur potiùs, quàm B. in signo prioritatis in actû primo virtutis effectiuæ caloris. *Secunda*. Nam, in casû argumenti videt Deus existentem notitiam A. etiamque notitiam B. decernitque concursum ad amorem ex visione notitiæ A. non autē ex visione notitiæ B. Iam peto. An vtraque visio existat pro priori in actû primo ad decretum concurrendi? Teneris quidem nagare. Nam, alioquin iuxta tuum modum arguendi decretū concurrendi procederet ex vtrâque visione; cum tamen nō sit ita; sed præcisè procedat ex visione notitiæ A. Ergo potius visio huiûs notitiæ, quā visio notitiæ B. existit pro priori in actu primo ad prædictū decretum. At, iam vlterius interrogo, per quid ea visio cōstituatur præcedens in actu primo ad decretū concurrendi. Neque enim dicere potes, ita constitui per ipsū decretum, cum velis eam prioritatem constitui præscindendo ab omni exercitio posteriori. Profectò, nihil aliud, vt arbitror, dicendum restat, quàm visionem notitiæ A. seipsā esse priorē in actu primo; non quidèm ad omne decretum cōcurrendi ad amorem; sed ad hoc speciale, vel secundùm se, vel vt existens per talem egressionem, quia vel illo, vel isto modo non potest tale decretū existere, saltèm sub cōditione, quod existat visio notitiæ A. quin ab ipsa visione motiuè fluat.

41 Sed hinc etiam fluit nostra responsio. Ea est, non potiùs notitiam A, quàm notitiam B. esse in actu primo priorē amore. Quia notitia A. est in actû primo prior amore, vt ponibili per modū ipsi notitiæ A. correspondentem, qui sit dependētia vel absoluta; vel conditionata amoris, vt explicatum est, à notitiâ A. & similiter notitia B. est in actu primo prior amore, vt ponibili per similem modū correspondentem notitiæ B. Hinc, notitiæ istæ non cōstituuntur in actû primo amore priores in genere principij inclinatiui immediati ad amorē per id, quod ita existāt; vt aptæ sint ad hoc, vt Deus pro suo libito ex præuisione ipsarum moueatur ad cōcurrendū quouis cōcursu ad amorem: id enim satis impugnatum est supra: sed quælibet

libet earum notitiarum per se ipsam, dum existit, est prior in actu primo ad amorem, vt possibilem per dependentiæ modos ipsis notitijs correspondentes. Vnde infertur duntaxàt id, quod verissimum est; nempè, existente tali notitiâ; positoque amore per dependentiæ modum correspondentem tali notitiæ, iam amorem esse in actu secundo posteriorem eâ notitiâ; ab eaque procedentem. Et hac ratione arbitror, explicandas in simili esse ab aduersarijs prioritates in actu primo effectiuo causarum efficientium, in ordine ad effectus, qui procedunt efficientèr ab ipsis.

42 Obijcies tertiò pro secundâ sententiâ rationem petitam ex formæ expulsione, quæ prouenit ex introductione alterius formæ. V. g. ex expulsione frigoris proueniente ab introductione caloris. Nam carentia frigoris pendet à priori ab introductione caloris. At, non per dependentiam essentialem: quia carentia frigoris non specificatur à calore petens ipsum essentialitèr; non per influxum, quo calor influat in eam carentiam, neque per modum afficientem carentiam. Nihil enim ex his potest in puram carentiam cadere: neque per defectum conditionatum, vi cuiûs deficeret carentia frigoris, si non existeret calor. Nã, licet Deus decerneret frigus expellere etiam in absentiâ caloris, posset hîc, & nunc frigus à calore expelli. Sicut staret, lucem hîc, & nunc dependere à Sole, quãuis Deus conseruaturus esset lucem in absentiâ Solis. Nõ igitur aliud superest, in quo stet carentiam frigoris dependere à priori à calore, nisi Deum moueri intuitû caloris ad expellendum frigus, maximè, cum non dependeret carentia frigoris à calore, si Deus ad calorem non attenderet, vt expelleretur frigus. Ergo similiter, dependentia amoris ab hâc numero notitiâ proponente obiectum amabile stare poterit in eo, vt amor coexistat cum tali notitia, decernente Deo ex præuisione talis notitiæ concursum ad amorem.

43 *Respond.* ex dictis *disput.* 4. *cap.* 1. nunc recolendo. Carentia, vt condistincta ab omni positiuo, non dependet à priori ab aliquo de rigore sermonis. Nam de rigore sermonis, id dependet à priori ab aliquo, cuius *esse* fluit ab illo, vt à principio. Dicere autem de carentijs, quòd ipsarum *esse* fluat, &c. est falsa suppositione laborare. Quocirca, maior propositio affirmans, carentiam frigoris dependere à priori à calore, si loquatur de carentiâ frigoris; vt condistincta ab omni positiuo,

est falsa. Si autem loquatur de decreto Dei nolentis existere frigus, quod decretum est saltem radicaliter logicè carentia frigoris, quia ineuitabilitèr infert ipsam per bonam consecutionem logicam: tunc dicendum erit, hoc decretum existere à priori quodammodo in genere obiecti à calore: quia quodammodo tale decretum procedit in genere principij inclinatiui ad ipsum à visione Dei intuentis calorem: idemque est procedere quodammodò à priori in genere obiecti à calore, ac procedere quodammodo in genere principij motiui à visione caloris. Cæterùm, cum ea processio decreti in genere principij motiui ab intuitû caloris consistat in tali modo proueniendi ab eo intuitu, vt ratione illiûs modi constituatur decretum, vel absolutè, vel conditionatè procedens à tali intuitû sub hypothesi, quòd talis intuitus existat; nihil inde contra nos; sed potius pro nobis, vt per similes modos explicetur processio amoris in genere motiuo à tali numero notitiâ.

44 Vt alijs occurras, obserua primò, quæ diximus loco cit. Secundò, loquendo de carentijs, vt distinctis ab omni positiuo, consequentiæ istæ, non sunt à priori positiuè * Existit calor: ergo deficit frigus. Existit odium, & assensus: ergo deest amor, ac dissensus * non enim antecedens est principium tribuens *esse* consequenti, prout oporter ad consequentiam positiuè à priori. Verumtamen, prædictæ consequentiæ sunt à priori negatiuè: quia, licèt antecedens non sit principium tribuens *esse* consequenti; at neque est effectus accipiens esse ab illo; proindè non sunt consequentiæ à posteriori; & hoc est esse à priori negatiuè. Quia vero concipimus carentias frigoris, amoris, ac dissensûs instar entium positiuorum fluentium à calore, odio, & assensû, ea est radix deceptionis, per quam primo considerationis impetu, nondum adueniente reflexione, quæ sinistros modos concipiendi dirigat, existimari solet eas consequentias esse strictè à priori. Ne autem aduersarij contra nos plus iusto insultent, quasi contra communes apprehensiones pugnemus (quarum tamen fallaciam iam satis deteximus) sic liceat argumentari. Hæc consequentia non est strictè à priori * Deus decernit hoc decreto A. deesse frigus: ergo frigus deest: nihil ergo mirum priores illas consequentias non esse à priori: cum nonmagis in illis antecedens sit causa consequentis, quàm in nuper assignatâ. Probatur antecedens: quia nihil esse, in quo cōsistere possit dependentia à priori carentia

tiæ frigoris ab hoc decreto A, probo sic vtens fere eisdem arguentis verbis.

45 Ea enim dependentia non est essentialis ei carentiæ. Non enim illa specificatur ab hoc decreto petens ipsum essentialitèr: posset enim dari per alterum. Non in aliquo influxu decreti in carentiam: quia carentiæ sunt ineptæ, vt à principijs fluant. Non in modo ipsas afficiente, quia nihil nihilo potest affici. Non in veritate conditionatâ de defectu futuro talis carentiæ, deficiente tali decreto. Nam, licet Deus decerneret, quòd daretur ea carentia in absentia huius decreti A. posset hîc, & nunc dari per decretum A. Sicut lux fluit hîc, & nunc à Sole, quamuis decerneret Deus, quòd daretur etiam in absentiâ Solis. Nô in ipsô decreto essentialitèr cônexo cum eâ carêtiâ, quia secluso omni influxu nô depêdet aliquid à priori ab alio, ex eo, quòd hoc aliud connectatur cum illo. Si nanque Deus Christo impeccabili præciperet, vt neque actum religionis A. eliceret sine actu B. misericordiæ; neque è conuerso, tunc in casu libertatis ad vtrunque actum, notitiæ præcepti, & existentiæ vnius ex illis actibus, essent mutuò connexi; non tamen mutuò dependentes à priori. Non in eo, quòd ex præuisione decreti A. decernat Deus per aliud decretum carentiam frigoris. Nam de hoc decreto redit eadem quæstio, & in infinitum abibimus. Nihil ergo apparet in quo stet hæc dependentia à priori.

46 At vrgebis, negari non potest plures consequentias, vbi consequens est purè negatiuum distinctum à positiuis, esse à priori potiùs, quàm alias; & alias esse à posteriori potiùs, quàm alias. Si enim ex vnâ parte sumamus istas, & similes * Deus decernit non esse lucem: ergo non est lux. Petrus toto pectore Deum amat, & assentitur Trinitati: ergo non habet odium circa Deum, neque dissentitur Trinitati * Si deinde sumamus istas * Deus videt non esse lucem: ergo non est lux. Petrus cognitione experimentali certissimâ videt se neque habere odium circa Deum; neque dissensum circa Trinitatem: ergo neque tale odium, neque talem dissensum habet * Si, inquam, sumamus has omnes consecutiones; & priores comparemus cum posterioribus, & si in omnibus consequens sit purè negatiuum, videtur citra dubium, priores potiùs, quàm posteriores procedere à priori: & è conuerso posteriores potius, quam priores procedere à

posteriori, quia Deum, & nos experimentaliter veluti tangere carentias est effectus, vel quasi effectus illarum. At, hoc non stat, si vera sunt, quæ diximus. Nam, sicut carentiæ non accipiunt *esse* ab altero, proindeque non est locus, vt ab altero ad ipsas procedamus à priori; ita nō tribuunt *esse* alteri; ideoque non poterimus ab hoc altero ad ipsas procedere à posteriori: falsa igitur sunt, quæ diximus.

47 Resp. Si præcisè sistamus in carentijs (quas formales vocant) nullatenus identificatis cum rebus positiuis, loquamurque de sermonis rigore innitente obiectis, vt verè sunt; non verò locutione impropriâ innitente obiectis, vt malè concipiuntur, neganda est maior argumenti. Nam, vt benè dicitur in fine ipsiûs obiectionis, cum carentiæ, si propriè loquamur, neque alteri tribuant *esse*; neque ab altero suscipiant; planè fit, in eâ proprietate pugnare cum verâ prioritate, & posterioritate causalitatis, in quâ fundatur consecutiones esse verè, & propriè à priori; vel à posteriori. Cæterùm, in sensû minus proprio consecutiones aliquæ de consequente negatiuo dicuntur à priori, vel quia non tàm attenditur ad negatiuum formale identificatum nullatenus cum positiuis, quàm ad fundamentale cum positiuo identificatum, vt in hâc * Deus videt in hoc lignum antea præfrigidum introductum esse calorem incompossibilem cum tantâ frigiditate: ergo Deus se gerens, vt Autor naturæ expellet aliquem gradum eius frigiditatis * Si enim, ea diuina visio non tàm attendatur, vt inferens carentiam formalem eius frigiditatis, quàm, vt inferens decretum Dei destruentis eam frigiditatem; sanè, cum hoc decretum egrediatur motiuè, saltem egressione virtuali, à prædictâ visione, consecutio erit à priori prioritate virtuali. Vel etiam dicitur à priori consecutio de consequente negatiuo, loquendo ex modo nostro concipiendi, vt in hâc, & similibus * Decernit Deus non esse lucem: ergo non est lux * quia potiùs concipimus *non-esse* lucis instar alicuiûs fluentis ab eo decreto; quam decretum instar fluentis ab eo *non-esse*, occasione ex eo desumptâ quòd potius soleant obiecta decretorum à decretis procedere; quàm decreta ab obiectis. Similique proportione consecutiones aliæ de cōsequente negatiuo dicuntur à posteriori: quia vel sumitur consequens negatiuum fundamētalitèr, quâ

ratione,

ratione, cum sit ens positiuum, potest ab illo dependere causaliter antecedens eius illationis, vel, si sumitur tale negatiuum formaliter est prius, quam antecedens ex solo nostro imperfecto modo concipiendi. Porrò autem, si ea, quæ proposuimus, nimis difficilia videantur, eligi poterit opinio, quæ mihi gratior fuit in metaph. nempè repugnantes esse carentias non identificatas cum rebus positiuis incompatibilibus essentialiter cum alijs.

CAP. VI.

Argumenta, pro sententia P. Ripalda.

Ripalda.

48 OBijcies quartò cum P. Ripalda pro tertia sententiâ constituente processionem actualem in genere motiuo per defectum conditionatum, vi cuiùs actus, qui procedit deficeret, si abesset actus, ex quo procedit. Nam. *Primò.* Pura omissio liberâ procedit ex alicuiùs motiui notitiâ inclinante ad ipsam: quippè de ratione exercitij libertatis est, quòd voluntas se determinet ad ipsum ex notitiâ alliciente. At, pura omissio incapax est, vt ponatur in rerum naturâ, siue per actionem positiuam; siue per quidpiam aliud positiuum: ergo non consistit in his positiuis processio motiua talis omissionis ab eá notitiá alliciente: ergo in eo, quod ita coexistat cum ea notitia, vt ipsa omissio deesset, si talis notitia deficeret. V. g. pura omissio libera odij terminati circa Deum, eatenùs, formaliter loquendo, procedit in genere motiuo á notitia, repræsentante Deũ, vt dignissimum, qui non habeatur odio, quatenus ita coexistit ea omissio cum ea notitia, vt, si hæc notitia deficeret, illa etiam deficeret omissio. *Secundò.* Si Petrus cõsulat Ioannem, vt furetur, Ioannesque, præuiso tali consilio, sic se determinet ad furandum, vt non se determinaret, si tale consilium non præuideret: iam, ex hoc præcisè determinatio Ioannis ad furandum procedit ex consilio Petri, vt præuiso. Nam, ex hoc præcisè Petro consulenti tribuitur, vt causæ morali furtum Ioannis; ideòque, Ioanne non restituente tenetur Petrus ad restitutionem: ergo processio in genere motiuo rectè traditur per prædictam coexistentiam, addito prædicto defectû conditionato.

49 *Tertiò.* Nam scientia, error, vel dolus, metus mali, concupiscentia boni, repræsentatio præceptorum, consilio-

rum,

rum, & precum, eatenus sunt principia, ex quibus actualiter dependent in genere motiuo actiones humanæ, quatenùs cum illis ita coniunguntur, vt ad illas non se habeant purè concomitanter; sed antecedenter prioritate causalitatis. Atqui, non se habere purè cócomitanter; sed prædicta antecedétia stat in eo, quòd eis deficientibus tales actiones humanæ deficerent, & hinc descendunt plures effectus morales, qui desiderant ea principia se habere præuiè ad tales actiones, vt obligatio restituendi in consulente, quando eiùs consilium præuiè causaliter se habet ad actionem nociuam: nullitas, vel rescindibilitas contractuum, qui ex metû, dolo, nimisque importunis precibus celebrantur: quæ quidem constantissima sunt Theologis scholasticis, & moralibus, necnon Iureconsultis, quos erudite congerit P. Ripalda *disp.40.de Charit. à num.*87. Ergo id, quod prius. ¶ *Quartò*. Nam auxilia gratiæ actualis indifferentis ad consensum, & dissensum, sunt efficacia, iuxta principia nostræ Societatis, eo præcisè, quòd existant, sitque vera conditionalis ista * Si existant, voluntas respondebit * Ergo hæc numero cogitatio intelligetur satis efficax ad consensum, eo præcisè, quod voluntas, eâ positâ sic consentiat, vt verificetur * Si talis abesset cogitatio, voluntas non consentiret * At, eo ipso, quòd coniungatur cum consensû, ita, vt efficax sit ad ipsum, iam consensus procedit ex ipsa: quia hæc processio ab hac numero cogitatione, & huius efficacia ad consensum in idem recidunt: ergo idem, quod prius. Omitto alia, quia partim cuique constabit ex dictis, & dicendis cótra nos non vrgere; partimque diluentur *disp.14.*

50 *Ad primum* ex propositis resp. negando maiorem. Nam, iuxta sententiã mihi verissimum, repugnans est pura omissio libera procedens ex allicientia notitiæ inclinantis voluntatem ad ipsam. Non enim stat omissionem ex tali alliciẽtia procedere, citra affectum, qui, habito respectû intrinseco ad bonum propositum, decernat ipsam omissionem propter tale bonum, vt videbimus in seqq. dispp. Eo autem ipso, quòd sic decernatur omissio, iam non est pura; sed determinata per actum positiuum. Quamobrem, vnum ex duobus dicendũ est (quodnam autem eligendum non decernimus modo) nimirũ, vel nó requiri ad hoc, vt detur pura omissio libera, quòd procedat ex allicientia notitię inclinãtis ad ipsam; satisque esse, vt existat, non necessitata volútate ad oppositum; vel repugnare

puram

puram omissionem liberam. ¶ *Ad secundum* dicatur. Dupliciter potest intelligi, quòd Ioannes non se determinaret ad furandum, si non præuideret consilium Petri. *Primò*, quatenus ita se determinet ad furandum, vt cum ea determinatione per accidens coniungatur ea veritas: & sic, consilium, vt præuisum non est verè causa motiua talis determinationis; sed ad hanc præcisè se habet, vt remouens prohibens. *Secundò*, quatenus ex vi affectûs præsentis non se determinaret Ioannes ad furtũ, non præuiso consilio Petri; quia scilicet Ioannes se determinat ad furtum affectû, qui ex intrinsecis habet pro ratione inductiua consilium Petri; & sic consilium, vt præuisum, est verè causa motiua talis determinationis. In hoc secundo casû tenetur Petrus *per se* ad restitutionem, non restituente Ioanne. Nõ sic in secundo casû præcisè sumpto; nisi forsan per accidens, quia Petrus habeat sibi persuasum mouisse medio suo consilio Ioannem ad furtum.

51 Hinc iam dilutum est, *tertium* quantum attinet ad metum, concupiscentiam, repræsentationem præceptorum, consiliorum, & precum. Hæc enim omnia dicendum est præcisè se habere tanquam remouentia prohibens; non tanquam veras causas motiuas actionum humanarum, quando cum eis actionibus coniunguntur, additâ per accidens veritate conditionatâ de defectu futuro illarum, si prædicta deessent; quę tamen in genere motiuo causant, si tales actiones humanæ fiant ex determinatione affectûs decernentis ipsas, habentisque ex intrinsecis pro ratione inductiuâ declinare mala terrentia, cõsequi bonum concupitum, acquiescere præceptis, consilijs, & precibus, vt amplius cõstabit ex disp. 13. Vnde, quãdo Theologi antecessionem motiuam prædictarum rationum explicant per id, quod tales actiones deficerent, si tales rationes deessent, intelligendi sunt, eam antecessionem explicare per id, quod res sic se haberet ex vi affectûs præsentis, ex quo deriuantur tales actiones: cum enim præsens affectus ex intrinsecis moueatur ex eis rationibus, talis est, vt deesset eis absentibus. Neque id Theologi silentio inuoluerunt, cum frequenter se explicet illis verbis *Ita animus est dispositus* (vbi significatur præsens affectus) vt tales actiones non exercerentur, si tales rationes abessent. ¶ Vbi, ne patiaris æquiuocationem, obserua. Aliud est, talem actionem humanam dependere motiuè à consilio, vt ratione obiectiuâ; aliud dependere medio

dio tali numero decreto statuente ipsam propter consilium intrinsecè respectum. Primum, est dependere à decreto (præscindendo ab eo, quod sit hoc, vel illud) statuente ipsam propter consilium intrinsecè respectum. Secundum, est dependere à tali numero decreto. Similiter, in ipso affectû intrinsecè respiciente consilium pro ratione inductiuâ, & est dependere à consilio vt præuiso; quod quidem ab eo affectû est inseparabile: & est dependere à consilio, vt præuiso tali numero præuisione: & hoc est ab eo affectû separabile. Consistitque primum in eo quòd affectûs fiat modo, quo nō posit non procedere à cōsilio præuiso; secundundum in eo quòd fiat modo, quo nō possit non procedere à consilio præuiso tali numero præuisione.

52 Quantum autem attinet ad ignorantiam, dolum, & errorem antecedentem, dicendum similiter est: non constitui antecedentes ad actiones humanas, quoad inducendum in ipsas inuoluntarium, nullitatem, aut rescindibilitatem, per id præcisè, quòd per accidens coniungantur cum eis actionibus nō faciēdis, si abesset ignorātia; error, vel dolus. Nō enim magis inuolūtariæ reddūtur positā, quā ablata hâc veritate cōditionatâ, si præscindamus ab affectû volūtatis resistētis, vt ostēdi disp. 9. cap. 1. Sed constituuntur in ratione antecedentiū (siue talis antecedentia sit, vel non sit propria iuxta metaphysicum rigorem) per id, quod non obstante affectû voluntatis repugnantis, quo minus sub tali, vel tali circumstantia exerceantur, viam parant occultando eam circumstantiam, vt quamuis ea reipsa detur, executioni mandentur. Vnde patet, Patri Ripalda nihil eorum fauere, quæ studiosè congessit.

Ripal. ¶ *Quartum* minoris momenti est, vel ingenuè fateor illiûs vires à me non percipi. Nam auxilia gratiæ, iuxta principia Societatis, duplicem habent efficaciam; aliam, quam vocamus infallibilitatis, & connexionis cum cōsensû ante consensum absolutum; aliam, quam vocamus actualis causationis, & efficientiæ in actû secundo. Hæc secunda sumitur, ex eo quòd auxilium efficiat in genere motiuo consensum, in quocunque demùm ea efficientia stet. In præsentique controuertimus, in quo consistat affectum voluntatis causari ad tali numero auxilio; cum tamen possit causari ab alio: contendimusque, id non esse explicandum per defectum conditionatum, vt vult Ripal. Prior efficacia consistat, de quo non disputo; in eo, vt auxilium detur, sitque verum, voluntatem consensuram, si detur.

tur. Ex hoc sanè vnum inferri potest, nimirum, sicut tale auxilium habet ex prædictis infallibilitatem ad consensum; ita carentiam talis, vel talis auxilij, ex eo quòd ea carentia detur, sitque verum defuturum consensum, si ea detur, habere infallibilitatem ad defectum consensûs. Non tamen video, quibus ingenij neruis hæc trahi possint ad inferendum processionem affectûs in genere motiuo à tali numero auxilio constituendam esse per prædictum defectum conditionatum, siue importatum in recto, siue importatum in obliquo. ¶ Quod si argumentum ad id præcisè dirigatur (quod non crediderim ex modo, quo proponitur ab ipsiûs Autore) vt ostendat posse affectum constitui procedentem *absolutè* à tali auxilio, saltem inadæquatè, & in obliquo per aliquid conditionatum, sicut inadæquatè, & in obliquo per aliquid conditionatum constituitur auxilium *absolutè* efficax. Transeat hoc, si aliud non obstaret, quam absolutam denominatiom venire inadequatè ab aliquo conditionato. Nos autem, non ideò deserimus cõstitutionem eiûs processionis per prædictos defectus conditionatos; sed partim propter iam data *cap. 2.* pluraque alia tradenda *disput. 12.*

CAP. VII.

Concluditur argumentorum solutio.

53 SVperest breuiter diluere argumenta, quæ nobis opponi possunt, tum quatenus asseruimus, processionem affectûs ab hoc numero principio in genere motiuo consistere interdũ in actionibus essentialiter alligatis tali numero principio; vel in modis similiter alligatis; tum etiam, quatenus asseruimus, consistere interdum in dependentijs illis conditionatis, quas supra explicuimus. Prius tamen, obseruare placet, non posse nobis obijci; actiones naturales factas ex imperijs supernaturalibus, fore supernaturales propter alligationem essentialem ad ea imperia. Nam, in his casibus non identificamus cum eis ipsis actionibus processionem illarum à prædictis imperijs; sed eam processionem absolutam, & actualem ponimus, vel in alio modo superaddito essentialiter alligato talibus imperijs, quando talis modus possit esse supernaturalis; vel, quando hoc est impossibile, ponimus talem processionem absolutam, & actualem, partim, & quidem in recto, in eis

eis actionibus separabilibus ab eis imperijs; & partim de obliquo in existentiâ talium imperiorum.

54 *Secundò*, nequit nobis opponi, actiones, quas Deus suo decreto executiuo ponit propter vnum finem, non posse non poni propter illum, vtpotè essentialiter alligatas tali decreto. Etenim, iuxta nostram sententiam, possibiles Deo sunt plures actiones circa terminum A. v.g. Aliæ sunt essentialiter alligatę huic numero decreto statuenti ipsas propter talem finem: & has fateor non posse egredi à Deo, quin egrediantur propter talem finem, in quo nihil absurdi est. Aliæ possunt procedere ab hoc numero decreto, & ab alijs respicientibus alios fines, & istæ possunt egredi à Deo, quin egrediantur propter hunc finem A. Quando autem egrediuntur ab hoc decreto, consistet actualis egressio, vel in alio modo superaddito; vel in ipsis coniunctis cum eo numericè decreto, quatenùs sint dependentiæ conditionatę ab illo ex hypothesi, quod existat, potentes absolutè non egredi ab illo, sed eo deficiente ab alio.

¶ Tertiò, nequit nobis obijci, quod ingeniosè opponit P. Quiros contra explicationem harum processionum per speciales actiones alligatas principio mouenti. Cum enim materia prima, vt disposita ad hoc vt informetur per animam rationalem, sit principium mouens ad creationem animæ, sequeretur eam creationem esse alligatā essentialiter materiæ, vt ita dispositę; cum tamen actio creatiua nequeat essentialiter dependere à materiâ.

Quiros.

55 Id, inquam, opponi nobis nō potest. Tum quia materia, vt sic disposita tantùm mouet per modum obiecti præuisi ad hoc, vt Deus decernat creationem animæ; non verò per modum principij immediatè inclinantis ad existentiam creationis. Quamobrem, iuxta dicta *num.* 36. sufficit, quòd decretum hîc, & nunc executiuum creationis de se potentis non dependere ab hoc decreto, sed ab alijs; egrediatur ab hâc præuisione materiæ, vt dispositæ, egressione consistente in his, quę sæpè diximus. Tum, quia dato, quòd materia, vt sic disposita, conferret ad creationem animæ rationalis per modum principij immediatè inclinantis ad eam creationem, dicendum esset, iuxta nostram sententiam, ne talis creatio poneretur essentialiter pendens á materiâ, vel talem creationem alio modo superaddito reddi procedētem à materia, vt sic dispositâ; vel ipsam creationem esse processionem cōditionatam sui in genere motiuo

tiuo à materiâ, vt sic disposita ex hypothesi, quòd materia sic disposita sit. Tum, quia potest haud improbabiliter dici, materiam, vt ita dispositam, non esse principium inclinatiuum ad creationem animæ sumptam secundùm se; sed ad hunc terminum * Animam vniri materiæ * Vnde, ad summum, consequens est, sic animam vniri fieri per actionem essentialiter alligatam materiæ, vt sic dispositæ. Iam ergo ab his expediti, ne quis inaduertenter existimet contra nos esse, quæ contra nos non militant: Veniamus ad alia.

56. Obijcies primò cum Mag. Linceo sup. num. 17. *Lincæ.* Actio productiua amoris, v. g. non solùm alligatur essentialiter notitiæ obiecti mouētis ad amorē; sed etiam causæ efficiēti, & materiali eius actionis. At, neutra istarum causarum influit motiuè in amorem; sed altera physicè actiuè, & altera physicè passiuè: ergo alligatio essentialis cum prædictâ notitia non sufficit constituere influxum motiuum ipsius. Distinguo consequens. Alligatio essentialis, cuius munus, formaliter loquendo, præcisè sit alligari essentialiter tali notitiæ, concedo consequentiam. Nam etiam actio, per quam notitia producit speciem sui alligatur essentialiter tali notitiæ; non tamen eam constituit exercentem munus mouēdi; sed agendi. Cuius munus sit exercere virtutem inclinatiuam, formaliter loquendo, talis notitiæ ad amorem per modum actualis acquietionis respectû talis inclinationis, nego consequentiam. Itaque, vt eadē actio eductiua essentialiter alligata actiuo, & passiuo, constituit illud agens; & hoc recipiens, alligata similiter notitiæ rationis motiuæ constituit illam mouentem actualiter.

57. Obijcies secundò cum eodem Mag. Nam, iuxta plures, consistunt actus intellectûs, & voluntatis in ipsis actionibus: ergo tales actiones non habent ex prædicato essentiali fieri ex tali fine. Nam alioqui nunquam possent fieri ex fine, ex quo aliquando non fiunt. Vndè, fieret primò, non posse Deum actus intellectus, & voluntatis iam ad vnum finem referre; iam non ad istum; sed ad alium. Secundò fieret, plures aliarum scientiarum diffinitiones, diuisiones, & argumentationes, & in summâ omnes intellectiones semel non factas ex directione Dialecticæ, nunquam posse ex eâ directione fieri: quia sic fieri est prædicatum essentiale, iuxta hunc modum opinandi, intellectionum; id est actionum intelligendi, quæ ex tali directione fiunt, quod autem prædicatum essentiale semel in re nō

est,

est, nunquam est, vt patet. ¶ Qui actus intellectus, & voluntatis identificēt cum actionibus productiuis ipsorum, num hæc omnia deuoranda sint? Viderint ipsi. Horum tamen cura non est cur nos solicitet distinguentes eos actus à prædictis actionibus. Profectò, si cum actionibus identificarentur, mihi satius videretur ad modos alios superadditos, vel dependentias conditionatas, quarum sæpè meminimus recurrere.

58 At, contra hos modos superadditos obijcies tertiò, nunquam posse tutò defendi. Nam, cum isti modi sint de genere accidentis, oportet, vt in aliquo subiecto passiuè sustētetur. Nullum autem apparet. Non enim sustentari possunt siue in actibus; siue in actionibus constitutis per tales modos in ratione depēdentium motiuè à principijs inclinatiuis. Nam cum subiectum sustentationis præsupponatur existens ante formam, quam sustentat, prius existeret amor, v.g. quàm existeret motiuè à cognitione, quod imperceptibile duximus num. 22. Deinde non est aliud subiectum, in quo sustētentur. Tum quia non assignabitur. Tum quia alteri non præstant suum effectum formalem. Ergo &c. ¶ Resp. Diuersimodè mihi videtur ratiocinandū, quando id, quod procedit in genere motiuo sustentatur in subiecto passiuo, & quando non sustentatur. Hoc secundum euenit, quando Deus creationem aliquorum, v. g. Angelorum, & animarum rationalium dirigit ad aliquem finē, & in hoc euentū, sicut ipsa creatio, etsi sit de genere accidentis, non sustentatur in subiecto præsupposito; sed præcisè vnitur ipsi termino creato, vel ordine naturæ subsequente, vel cōcomitante modum creationis; sic etiam dici potest, modum directiuum creationis ad talem finem, cum ipsâ creatione cōcreari, illique creationi, vel ad ipsum modum subsequenti, vel concomitanti vniri. Contingit primum, quando actus intellectus, & voluntatis v.g. qui passiuè sustentantur in creaturâ rationali, vel quando res aliæ, quæ alijs subiectis sustentationis insunt, diriguntur ad finem. Tunc autem modi directiui poterunt existere tanquam in subiecto sustentationis in eo subiecto, in quo existunt termini, qui per ipsos modos cōstituuntur formaliter existentes ex tali fine. Et sicut actio, v.g. sustentata in passo, iuxta communem opinionem, neque reddit passo denominationem agentis; neque producti; sed hos formales effectus præstat agēti, & termino; sic, prædictus modus directiuus passiuè sustentatus in animâ rationali, v.g. constituit quidem pro-

procedentes ex tali fine actus intellectus, & voluntatis; non sic animam rationalē; cui tamen simul cū talibus actibus exhibet effectum intelligendi, & volendi intellectione, & volitione procedente ex tali fine.

59 Restat vnum, vel alterum diluere contra dependentias conditionatas, quæ partim constituantur in ratione absolutarum per ipsam existentiā principij mouentis. Etenim, actualis dependentia amoris ab hâc facultate volitiuâ, in genere causæ efficientis, non est quædam actio conditionata; de se quidem indifferens, vt amor dependeat, & non dependeat effectiuè ab hac voluntate; ita, vt talis actio per ipsam voluntatis existentiam determinetur ad reddendum amorem effectiuè dependentem ab hâc voluntate: ergo actualis dependentia amoris ab hac notitia, in genere causæ dirigentis, non est quædam cōditionata processio indifferēs, vt amor pendeat, & nō pēdeat, directiuè ab hâc notitiâ; ita, vt talis processio per existentiam ipsius notitiæ determinetur ad reddendum amorem directiuè dependentem ab hâc notitiâ. ¶ Omissis, quæ dicebam olim, mihi videtur eodemmodo ratiocinandum esse vtrobique; scilicet, possibile esse amorem fieri dependentem à principijs effectiuis per dependentiam conditionatam (de qua argumentū) pertinentem ad genus effectiuum, sicut simile possibile est in genere directiuo. In neutro enim istorum inuenietur implicatio contradictionis. Rursus, loquendo defacto, vtrobique res peragetur per dependentias absolutas, quando nullum incommodum cogat substituere conditionatas loco absolutarum. Vbiuis autem hoc incommodum vrgeat, siue in genere effectiuo, siue directiuo, talis substitutio locum obtinebit. Vide *num.* 32.

60 Verumtamen, præclarus ex nostris Theologus Salmantinus præstantissimi sui ingenij neruos contendit, vt in vtroque genere tales dependentias conditionatas ostendat esse implicatorias. Arguit sic. Non est prius naturâ amorem existere, quàm fluere efficienter à voluntate, & directiuè à notitiâ: ergo neutra istarum processionum consistere queit in cōplexo ex existentiâ amoris conditionatè dependentis ab his principijs, & ex istorū principiorū existentiâ. Antecedens videtur per se notum. Consequentia probatur. Quoties partes, quæ singillatim acceptæ sunt indifferentes ad constituendum, & non constituendnm aliquod totum, illud constituunt, ideo

Y exi-

existit totũ, quia existunt partes; & non contra. Proinde, quia relatio similitudinis adæquatè conflatur ex duabus albedinibus simul existentibus, quarũ quælibet seorsim est indifferens, vt ea relatio cõsurgat, nõ ideo quæuis albedo existit, quia refertur ad aliã; sed potius refertur, quia existit, priusque est illã absolutè existere in se ipsa, quàm referri. At, in casû obiectionis cõplexũ istud * *Processio absoluta amoris ab hâc notitiâ* * est totum constitutũ ex partibus enumeratis in cõsequenti singillatim indifferentibus ad constitutionẽ eius totius: & illarũ altera est existentia amoris conditionatè dependentis ab hâc notitiâ: ergo, si ea processio absoluta stet in eo cõplexo, prius naturâ erit existere amorem, quàm absolutè procedere à suis principijs.

61 Pulchra ratio; sed non conuincens. In primis, hic Theologus videtur subodoratus argumenti retorsionẽ, ideoque posuisse restrictionẽ illam de partibus, quarũ quælibet sit indifferens, &c. Cæterum, cum prioritas partium ad totum, in eo nitatur, quod sint causæ intrinsecę totius, nempè cõponentes illud, & intra ipsum manentes, aliundeque pars determinata ad cõpositionem totius (v.g. modus determinatus ad cõstitutionem cõpositi resultantis ex subiecto, & modo) non minus sit causa intrinseca totius, videtur adiecta gratis ea limitatio. Quo posito, sumpto hoc toto * *Terminus productus* * eâdem formâ poterit ostendi prius naturâ esse terminũ existere, quam existere productus, quanuis productio sit simplicissimus modus alligatus essentialiter causę producẽti, & effectui. ¶ Deinde respondeo. Non potest existentia amoris esse prior naturâ, quâm id, quod *in recto* est causatio absoluta talis existentiæ; benè tamen potest esse prior naturâ, quàm totum, per modum totius sumptum, constitutum ex ipsa causatione absoluta, & ex aliquo alio, per quod inadæquatè, ac *de obliquo* cõstituitur in ratione causationis absolutæ. Hoc vltimum sequitur summùm ex nostra doctrina, non primum.

62 Firmatur solutio. Id, quod in recto est causatio absoluta amoris, cum sit ratio tribuendi absolutè existentiam amori, non potest venire posterius natura, quàm ea existentia. At verò, id, de quo non verificatur esse siue causam amoris, siue causationem amoris, benè potest esse posterius natura, quàm existentia amoris, si aliud nõ obstet. Iam verò in pręsenti, claritatis ergo tria distinguenda sunt. *Primum*: existentia amoris, iden-

dentificata, si placet, cum dependentia conditionata sui ab hâc numero notitiâ. *Secundũ*: hæc numero notitia, ex qua dependet amor. *Tertium*. Complexum ex hâc vtraque parte per modum totius sumptum. Existentia amoris non est prior natura seipsa, vt patet. Deinde, non est prior natura, quàm ea notitia: quia non est causa; sed effectus eius. Est tamen prior natura, quàm tale cõplexum: quia est causa intrinseca ipsiûs. Non tamen hinc fit esse priorem naturâ, quàm processionem absolutam sui ab hac numero notitia: quia non verificatur de prædicto complexo, per modum totiûs collectim sumpto, esse processionem absolutam amoris ab hac numero notitiâ: cum hoc totum sic sumptum sit post existentiam amoris seorsim acceptam; solùmque verificatur esse processionem absolutam de ipsa processione conditionatà (quę non est post existentiã amoris) quanuis verum sit, quod ad hanc verificationem requiratur *de obliquo* existentiam amoris cum sua processione conditionata coniungi cum hac numero notitiâ; proindeque, requiritur tale complexum ad eiusmodi verificationem. Quemadmodum actus, quo Deus nolit condonare peccatum præteritum non reddit hominem odibilem; requiritur tamen in obliquo, vt homo per peccatum præteritum reddatur nunc odibilis. Hoc amplius firmabitur in opere Philosophico, vbi de prioritatibus naturæ.

DISPVT. DVODECIMA.

De Fine extrinseco humanorum actuum.

DIsseruimus de processione aliorũ actuũ ex alijs. Nũc disserere placet de requisitis ex parte affectuum, vt actus humani ex fine extrinseco, vt fine, procedant. In quo mihi specialis est difficultas contra Theologos nostri temporis. Egi olim de hâc re in manuscriptis de Actib' humanis, nostramque doctrinã Sapiẽtissimus P. Ripalda *disp. vltima de charit.* discutere, corrigereque dignatus fuit. Vtinã post tanti viri correctionem disputationes nostræ emendatiores euadant. Resecabimus, quę soli videantur inutili cõtentioni deseruire, prolatis in medium illis duntaxat, quæ ad plenã veritatis intelligentiam conducant.

CAP. I.

Proposito statu controuersiæ reijciuntur nonnulla.

1 VIdimus *disp.* 11. *n.* 2. finem extrinsecum actûs humani esse illum, quem talis actus intrinsecè sumptus nõ respicit; & tamen talis actus ponitur ad consecutionem eiûs finis. Sit exemplum actus charitatis, qui cum ex se intrinsecè nõ respiciat, vt finem, satisfacere pro peccatis; sed Deo propter ipsiûs bonitatem placere; tamen hic, & nunc ponatur ad eam satisfactionem faciendam. Dubium ergo est, quid requiratur, vt hic actus ponatur à voluntate relatè ad talem finem? Vt autem clarius res ipsa percipiatur; ponamus Petrũ habere notitiam, quâ sciat, vtilissimum esse charitatis actum ad satisfactionem pro peccatis: habere quoque simplicem complacentiam circa bonum satisfactionis, ac demum ijs instructum, exercere charitatis actum. Inquirimus. Sufficiunt ne ista, vt verificetur actum charitatis exerceri relatè ad finem satisfactionis? Si autem non sufficiunt, quid amplius requiritur?

2 Ante omnia præmittere placet, esse in nostrâ potestate ordinarie loquendo, quòd actus humanus exerceatur diuisim ab ordinatione in finẽ extrinsecum, quamuis alioqui dentur prædicta notitia, & complacentia. Non me latet perdoctos Recentiores dissentiri. Sed immeritò, vt iam constabit. Nostrũ præmissum suadetur. Crebro nanque omnia recensita coniunguntur; & tamen actus humanus exercetur diuisim ab ordinatione in finem extrinsecũ: ergo ideo est, quia, cõmuniter loquendo, id situm est in nostrâ potestate. Consequentia patet. Nã, si ex vnâ parte quatenùs ex nobis est, necessariũ est quòd prædicta non diuidantur ab eâ ordinatione; sanè, cum aliunde Deus Autor naturæ præsto semper sit, quantũ ex se est, vt nostras exerceamus actiones propter eos fines, ex quib⁹ eas possumus, quantum est ex parte nostri exercere, planè consequitur, quod intendimus. Antecedens probatur primò ex durissimis absurdis, quæ alioquin consectaria forent. Nam.

3 *Primò*. Demus fœminam, cui per simplicem affectũ necessarium placeat luxuria, cognoscereque suam confessionem de obscœnis peccatis vtilem esse, vt confessarius ipsam pro-

prouocet ad actus turpes, & obinde vtilem aliquô modo, vt tales actus dentur. Quis non videat durum esse dicere, non posse fœminam ex hâc hypothesi confiteri purè propter recōciliationem cum Deo; sed necessè ipsi esse, vt si confiteatur, ordinet confessionem ad luxuriam? Secundò, demus adolescentem versus Madritum equitantem vehementissimè tentari ad luxuriam, habereque simplicem cōplacentiam circa subsecutionem pollutionis (non procuratę ab ipso) vt tentationū impetus elangueat; tandemque cognoscere stimulationē acriorē equi vtilem esse, & ad metam attingendam, & ad pollutionē. Sanè, in hoc euentû dicere, iuuenē istum, non posse acrius equū agitare ex solo fine perueniendi ad terminum optatum: quin simul agitet ad subsecutionē pollutionis, durus est sermo. Maximè, quia nescio, an quis ausit dicere, neque materialem esse malitiam in hoc obiecto * Aliquid agere propter finem pollutionis * Quòd si reperitur hic materialis malitia mollitiei, non poterit non hic iuuenis illam formaliter contrahere nisi excusset ignorantia, si concitet acrius equum. Res sanè mihi parum credibilis.

4 *Tertiò*, demus filium valde pium habere simplicem affectum circa hæreditatem paternam, necnon circa mortem Patris iam ærumnis, ac senio adeo confecti, vt mori sit optabilius, quam diutiûs viuere. Exerceat Filius operationes honestas, & præceptas; parenti tamen adeò ingratas, quòd appareāt vtiles, vt citius intereat. An ne his datis non poterit filius explere præcepta, quin sit verum * Explet eo fine, vt moriatur parens * Credat, qui possit. Ego sanè nequeo. Timore molestiæ plurima alia exempla missa facio, quanuis inutilia non forent, maximè pro argumento suasorio ab absurdis.

¶ Deinde suadetur secundò idem antecedens. Nam, in casû illiûs fœminæ proposito *num.* 3. potest ea fœmina in sensû composito confitendi habere propositum absolutum, & efficax non fornicandi deinceps: ergo potest diuidere confessionem ab ordinatione in finē fornicandi: posito enim eo proposito in consortio confessionis, diuiditur confessio ab hâc ordinatione: quippè nō apparet perceptibile, quòd simul cohæreāt decernere absolutè, & efficaciter non fornicari; cōfiterique ad fornicandum.

5 Suadetur tertiò. Nam, vt sapienter obseruat P. Ripalda *disp.* 50. *de Ente supern. sect.* 4. necnon *tomo de Fide disput.* *Ripal.*

put. 40 sect. 10. n. 107. duo prudenter monent Ecclesiæ Patres. Primum, vt quamuis inanis gloriæ motibus pulsemus, agnoscamusque vtiles virtutum actus ad eam gloriolam captandam, non ob id eos omittamus; curemus tamen, ne inanis ille finis clanculùm obrepens ad eos actus moueat. Quis autem non videat hanc fore monitionem inanem, si datis illis motibus, & notitiâ, subiectũ non esset nostræ potestati virtutũ actus exercere citra ordinationem ad eum finem subuentaneum? ¶ Tandem quartò. Vt simplex complacentia citra finem satisfactionis, v.g. moueat ad actum charitatis, opus est notitiâ, per quã hic actus appareat vtilis ad consecutionem eius finis. At, percipitur ægrè, quomodo requiratur ea notitiâ, si totum negotium eius motionis peragi queit sine affectũ suapte naturâ requirente talem vtilitatem cognosci: ergo sine tali affectũ peragi nequit totum hoc negotium. Cum igitur neque simplex complacentia circa bonum satisfaciendi; neque actus charitatis sint affectus, qui vel seorsim, vel coniunctim requirant huiusmodi notitiam; consequens est, eam motionem peragi nõ posse eis duntaxat affectibus superuenientibus. Ergo vlterius requiritur poni electionem actus charitatis propter finem satisfaciendi, vt videbimus disp. 13. quæ electio suapte natura requirat prædictam notitiam: ac demum; cum in nostra sit potestate ex suppositione illiûs cõplacẽtiæ circa satisfactionẽ, huiusque notitiæ de vtilitate actus charitatis ad satisfaciendum, exercere charitatis actum citra prædictam electionem; conficitur tandem, in nostra potestate esse diuidere hæc omnia ab ordinatione charitatis ad satisfactionem. Ex his.

6 Infertur primò, non sufficere ad ordinationem actus in finem extrinsecum coexistentiam affectûs simplicis circa finem, necnon notitiæ, per quam talis actus cognoscatur vtilis ad eum finem; coexistentiam, inquam, istorum cum eo actũ. Tum, quia in exemplis adhibitis eo num. 3. datur ea coexistẽtia; non tamen prædicta ordinatio. Tum, quia situm est in nostrâ potestate talem coexistentiam ab eâ ordinatione separare. ¶ Infertur secundò. Id, quod addit ea ordinatio supra talem coexistentiam non est Deum præparare cõcursum ad actũ ex præuisione illiûs simplicis affectûs circa finem, & notitiæ, per quam cognoscatur vtilitas actus ad finem. Nam, quod addit ea ordinatio est aliquid, quod in nostra potestate est quoad existentiam, & non existentiam: Deum autem sic, vel sic præpara-

parare concursum non est opus nostræ libertatis; sed exercitiū diuinæ. ¶ Infertur tertiò. Id, quod addit ea ordinatio supra talem coexistentiam non est, quòd actus, qui ordinatur ad fine extrinsecum efficiatur potius tali actione physica speciali, quā aliâ; vel afficiatur potius tali modo physico, quam alio. Nam, in potestate nostrâ est talem actum ita existere, vt coniungatur cum ordinatione ad finem extrinsecum; vel ab eâ diuidatur. Non est autem in nostrâ potestate, vel talem actum effici tali actione speciali physicâ præ aliâ; vel tali modo physico affici præ alio, cum inter has, & illas actiones physicas, inter hos, & illos physicos modos intellectus non discernat. Quamobrem, sicut voluntas nequit se determinare ad hunc actum indiuidualiter præ alio, quia intellectus non discernit vnum ab alio: ita voluntas propter eandem rationem nequibit se determinare ad hanc physicam actionem, vel modificationem præ aliâ. Quid igitur addit hæc ordinatio supra eam coexistentiam.

7 Erit forsan, qui dicat hanc ordinationē addere, quòd voluntas potens permittere, & resistere motioni finis extrinseci non resistat; sed permittat. Dupliciter autem potest intelligi voluntatem resistere tali motioni. *Primò*, detestando efficaciter existentiam finis. Qui enim efficaciter detestatur existentiam finis, nihil adhibet ad hoc, vt existat finis. *Secundò*, non quidem efficaciter reijciens existentiam finis; sed reijciēs efficaciter, quòd talis actus, v.g. charitatis ponatur propter finem extrinsecum, v.g. satisfactionis. Qui enim efficaciter reijcit ponere illum propter talem finem, non ponit eum propter talem finem, præsertim liberè. Quamobrem, iuxta primū modum, consistit actum charitatis fieri propter finem extrinsecū satisfaciendi, in eo, quòd actus charitatis coexistat cum simplici complacentiâ circa bonum satisfactionis, & cum notitiâ vtilitatis, quam habet actus charitatis ad assecutionem talis boni, addendo insuper, voluntatē non detestari assecutionem eiûs boni. Consistit autem, iuxta posteriorem modum, in eâdē coexistentiâ, addendo insuper voluntatem non detestari, quòd fiat actus charitatis ad satisfaciendum.

8 Sed hæc doctrina siue priori, siue posteriori modo intellecta, probanda non est. Priori modo intellecta improbatur. *Primò*, quia iam sumus in verâ sententiâ, quæ liberam, & peccaminosam iudicat motionem voluntatis ex fine prauo ex-

trinseco. At, nimis rigidū, & scrupulosum est, in eo ponere peccatum hoc, in quo modus iste ponit hanc motionem: ergo modus iste non est admittendus. Pro luce minoris expendatur isti casus. *Primus*, in quo Filius militiā adeat magnos inde honores sibi, propriæque familiæ obuenturos putans; qui tamē suspicatur suam absentiam occasionem futuram Patri, iam seni propè confecto, celerioris interitûs; quem quidem interitū ipse filius non auersatur; sed potius simplicē velleitatē circa illū habet, vt iam iam Pater tot, ac tantas ærumnas euadat. *Secūdus*, in quo Petrus, nullatenus detestatus inimici debitoris mala, pecunias debitas exigat, vt eas recuperet, tametsi non ignoret id non exiguā molestiam inimico illaturum. *Tertius*, in quo debitor, vel propter æquitatem iustitiæ, vel vt creditoris importunā oppresionē euadat, debitum soluat, quamuis suspicetur, eam solutionem fore creditori occasionē, vt mulierculam, quam deperit ad inhonestos actus prouocet. Sanè, spectatis his casibus, nimis rigidū, & scrupulosum apparet damnare filium, quasi militiā adierit ex eo fine, vt Pater moriatur: Petrum, quasi debitum exegerit, vt creditori sit molestus: debitorem, quasi ex eo fine soluerit, vt creditor cum illa fœmina turpiter commisceatur. Quis non videat, durū esse in ijs, & similibus imponere hominibus onus, vt solicitè inuigilent detestari positiuè, & efficaciter hos euentus, quos futuros suspicatur, vel alioqui peccatis enumeratis commaculandos?

9 *Secundò* improbatur, prius obseruando, dari obiecta, quæ ex honesto fine possunt appeti desiderio simplici; & tamen neque licitè procurantur; neque licitè adhibentur media ex eo fine *vt existāt*. Sic potest quis affectû simplici ferri in pollutionem ex fine, vt molestissimæ tentationes restinguantur, modò neque sit finis delectatio venerea; neque periculum adsit, vt circa talem delectationem consensum exprimas. De quo videri possunt PP. Vazq. 1. 2. *disp.* 115. *cap.* 3. Salas 2. *tom. in* 1. 2. *q.* 74, *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 32. *n.* 217. Granado *controu.* 6, *de peccatis tract.* 4. *disput.* 6. *num.* 6. Demus ergo, Petrum prædicto desiderio simplici circa pollutionem versari; vt tamen iter valde sibi necessarium peragat citius, calcaribus admotis equum stimulat, inde conijciens pollutionem fore, quam non detestatur; sed circa ipsam ex honesto fine fertur affectû simplici. Tunc sic: In isto casû nimis esset rigidum, facere Petrum, per se loquendo reum

Vazq.
Salas.
Granad.

pec-

peccati mollitie: ergo non verificatur hoc *Equum stimulat, vt sequatur pollutio * Atqui dantur omnia, quæ requiruntur ad eam verificationem, iuxta cogitationem, quam improbamus: ergo merito reijcitur. *Tertiò* improbatur, si demus casũ, in quo Petrus simplici velleitate affectus circa plausum humanum videat eum futurum si ipse concionetur, idque quamuis ipse omni ope recuset. Negari non potest, Petrum in hoc euentû posse purè concionari propter gloriam Dei, & proximorum salutem euitando concionis ordinationem ad humanos plausus aucupandos. Iam verò, iuxta propositam cogitationem non posse Petrum in eo casû concionari separando talem ordinationem à concione; probatur sic:

10 Non potest facere eam separationem coniungendo cũ concione detestationem inefficacem plausus. Non coniungendo cum concione detestationem efficacem plausûs: ergo nullo modo. Prior pars patet. Quia detestari inefficacitèr finem nõ impedit media ordinare ad cõsecutionem ipsiùs. Proinde, potest Prætor zelo iustitiæ diligentiam adhibere, vt Ioannes plectatur pœnâ suspendij, & tamen propter beneficia, quæ accepit â Ioanne, detestari inefficacitèr eandem pœnam. Patet etiam posterior pars. Quia nequit Petrus detestari efficacitèr existentiam rei, aliundéque ponere id, ex quo scit eiusdem rei existentiam futuram, quin ipse possit eam impedire. At, in casu posito, scit Petrus, ita plausum humanum ex ipsius concione prouenturum, vt ipse Petrus nequeat eum impedire: ergo in dicto casu nequit Petrus cum actione concionandi componere detestationem efficacem plausus humani.

11 Tandem, doctrina tradita num. 7. etiamsi posteriori modo accipiatur, probanda non est. *Primo.* Nam, etiam hoc modo imponitur hominibus onus, quod hactenùs neque docti, neque indocti impositum sibi senserunt. Vt enim in casibus recensitis à *n.* 8. & in alijs consimilibus declinent peccatum exercendi eas actiones propter fines turpes extraneos, satis esse cõcipiunt, nõ eligere eas actiones in ordine ad subsecutionem eorum finium; neque curant de reflexâ detestatione, per quam signatè reijciant ipsam ordinationem talium actionum ad eos fines. Id, quod satis commendat veram sententiam solidè, ni fallor, confirmandam *disp.* 13. Secundò, improbatur ratione, quam olim proposuimus, & postea, nostris scriptis visis, suo firmabit suffragio P. Ripald. *disp.* 40. *de Charit.* vbi eadem

eâdem vtitur. Si nanque motio actualis ex fine extrinseco vltra coexistentiam sæpè assignatam imbibit intrinsecè carentiã affectûs detestantis ipsam motionem, consequens erit, detestationem efficacem eiùs motionis non esse aliud, quàm detestationem carentiæ ipsam detestationem excludentis. Nam, ea detestatio talis motionis non detestatur, per te, prædictam coexistentiam: ergo aliquid aliud in motione imbibitum. At, non imbibitur aliud in motione, quàm carentia detestandi ipsam motionem: ergo aliud non est detestatio motionis quàm detestatio carentiæ ipsius detestationis. Cui ergo iam placeat, motionem finis extrinsecì explicare, vel potius implicare per carentias, & detestationes, vt intricatas, & imperceptibiles detestandas. Tandem, haud inefficaciter omnia, quæ in præsenti cap. improbata manent, reijcientur iterum probationibus nostræ sententiæ.

CAP. II.

Defectus conditionati rem non explicant.

Ripald. 12 Mirum est quanto studio P. Ripalda diluere tentet *disp. cit. de Charit.* quæ olim opposuimus ipsius opinioni, quæ in eo stat, vt eatenùs actus charitatis fiat propter finem extrinsecum satisfaciendi, quatenùs supra simplicem complacentiam circa bonum satisfactionis, & supra notitiam vtilitatis, quam habet actus charitatis ad tale bonum, addatur euentus quidam conditionatus in eo stans, vt deficientibus tali complacentia, & notitia deficeret actus charitatis. Quod si addatur opposita veritas, non fiet actus charitatis ex tali fine extraneo. Hanc opinionem impugnaui disp. 11. quatenùs per eiusmodi defectus conditionatos explicat vniuersim influxum vnius actus in alium in genere inclinatiuo. Nunc probandum suscipio, non benè in prædictis præcisè sumptis constitui motionem ex fine extrinseco. Plurima sunt, quæ tum ex alijs, tum ex nobis opposuit sibi P. Ripalda *disput. cit.* At quamuis maiori ex parte solutiones huius Autoris mihi sint difficiles: non tamen omnes expendam; neque omnia proferã argumenta, quæ fieri possunt contra hanc doctrinam. Tum, quia id longissimum, ac permolestum esset. Tum, quia cum minimè sit necessarium ad aperiendum sufficientissimè veritatem,

tem, non tam pro ista dimicare videremur, quàm ad contentionem fouendam.

13 Improbatur igitur primo. Demus voluntatem duobus finibus extrinsecis allici in actu primo ad aliquem actum humanum, alio vehementissimi ponderis admouendum; alio debilioris ponderis. Tunc sic. Hæc duo sunt coniungibilia. Primum, voluntatem hîc, & nunc moueri ex fine graui; non vero ex alio leuiori. *Secundum*, mouendam esse ex leuiori; si grauior ille nô alliceret in actu primo. Quis enim non videat, solenne esse hominibus in præsentia rationum magni ponderis contemnere alias minus ponderosas, quæ, si proponerentur solæ, non contemnerentur. At, si vera esset tua sententia, non essent ea duo coniungibilia: ergo falsa est. Minor probatur: quia in casu proposito ea duo inuoluunt veritates conditionatas contradictoriè oppositas. Primum enim importat hanc veritatem conditionatam * Si deficeret allicientia finis grauis, & reliqua manerent, vt nunc; talis actus humanus non exerceretur * Secundum autem importat hanc * Talis actus humanus exerceretur, quamuis deficeret allicientia finis grauis, & reliqua manerent, vt nunc * maneret enim finis leuis alliciens sine graui, & tunc non contemneretur: sed voluntas moueretur ex illo. Confirmatur, vt tacitè præcludamus solutionem P. Rip. Sumamus (in prædicto casu voluntatis pulsatæ in actu primo duobus illis finibus) collectionem omnium, quæ ex parte actus primi iuuant, vt moueat finis grauis, siue illa præcise iuuent non debilitando vires motiuas finis leuis; siue iuuent debilitando illas. Tunc sic. Coniungibilia sunt, quòd in præsentia talis collectionis non moueat finis leuis, qui propositus est; &, quod moueret sine alia variatione, quàm abesse talem collectionem. At, ea inconiungibilia essent in doctrina, quàm impugnamus, vt ad eam doctrinam; & ad argumentum in hoc: num: factum attendenti planum est: ergo cogeris inconiungibilia dicere, quæ coniungibilia sunt.

14 Improbatur secundo. Demus nanque casum, cuius possibilitatem non inficiatur P. Ripalda, possibilem scilicet esse voluntatem tàm pronæ ad miserendum indolis, vt videat Deus, quòd in omni casu, in quo tribueretur ipsi proxima facultas ad miserendum, exerceret actum misericordiæ. Sanè, in sententia, quam impugnamus, non esset possibile huic voluntati ordinare actum misericordiæ in finem extrinsecum chari-

tatis erga Deum. Ad hanc enim ordinationem requiritur, quod, non alliciente fine illo charitatis, non exerceret actum misericordiæ, quamuis exercere posset. Hoc autem in hypothesi data repugnans est. Quamobrem, ea volūtas, ex eo quòd tam pia gauderet indole, deterioris esset conditionis, quàm alia voluntas minus pia, quantum ad potestatem referendi act. misericordiæ ad præstantissimum finem charitatis. ¶ Respondet P. Ripalda, quòd ea voluntas posset suos actus misericordiæ ordinare ad finem charitatis; eamque ordinationem in eo consistere, quòd, alliciente motiuo charitatis, voluntas eliceret actum misericordiæ, quamuis aliæ motiones ad actum misericordiæ seorsim sumptæ essent inefficaces, non elicitura ipsum in casu talium motionum inefficacium, si alliciētia motiui charitatis non adiungeretur.

15 Difficilis solutio. Nam, si quo defectu conditionato explicandum esset causam hîc, & nunc influere actualiter in effectum, sanè ex eo, quòd, rebus vt nunc; non verò rebus, vt aliàs, absque alia variatione, quàm defectu causæ, deficeret effectus. At, in præsenti, non competit hic defectus conditionatus actui misericordiæ comparatus cum motiuo charitatis: ergo non competit defectus conditionatus aptus constituere prædictum influxum. Maior videtur ex se patens, & satis clarè manifestatur exemplis. Sufficiat exemplum consilij. Si enim meum consilium influere hîc, & nunc in tuam cōfessionem petendum sit ex aliquo defectu conditionato; non sanè ex eo, quòd in alio casu, in quo parum affectus esses ad cōfessionem omitteres illam, si meum consiliū non superueniret; sed ex eo, quod rebus, vt nunc, non alia variatione facta, quàm absentia mei consilij, confessionem omitteres. Minor probatur. Quia modus, quo in casu argumenti res se habent hîc, & nunc est, omnes vocationes ad actum misericordiæ esse efficaces; tametsi non adiungatur diuinæ charitatis impulsus. At, rebus vt sic, non deficeret actus misericordiæ absente eo impulsu; sed solùm in absentia illiûs impulsus deficeret actus misericordiæ, rebus, vt in alio casû: nempe casû, quo vocaretur inefficacitèr ea voluntas ad actum misericordiæ: ergo, &c. Parco alijs, ne sim molestus.

16 Tertiò improbatur. Ea nanque sententia confundit rationem conferentem ad actum humanum finalizando, & mouendo; rationemque conferentem præcisè remouendo prohibens,

bens, vt superiori quoque disp. notabam. Rem declaro. Videt Franciscus suum debitorem Petrum inimicitias immortales cum ipso gerere. Videt etiam, valde illi molestam fore solutionem. Iam sic. Potest Franciscus in præsenti casû debiti solutionem exigere à Petro, non exacturus, si inimicus nō esset. At, cum hoc stat, inimicitiam non esse motiuum exigendi debitum; sed puram circumstantiam remouentē, quod eam exactionem prohiberet; quatenus Franciscus nollet eam iustam molestiam inferre Petro, si inimicus non esset: ergo Franciscū debitum exigere, non exacturum idem debitum, si abesset inimicitia, non infert hanc esse rationem mouentem; sed remouētem prohibens. Minor probatur. Nam præsentibus duobus debitoribus Petro inimico, & Paulo amico, potest Franciscus exigere debitum à Petro potius, quàm à Paulo, quia æquius est iustam molestiam inimicis, quam amicis inferre; potestque aliunde, ne vitium inimicitiæ foueat, debitum exigere ex solo fine iustè subleuandi propriam indigētiam; secluso motiuo inimicitiæ. His autem omnibus pensatis, exigitur debitū à Petro non exigendum, si inimicitia abesset; & non exigitur ex motiuo inimicitiæ.

17 Respondet P. Ripal. In casû quidem posito exigitur debitum à Petro inimico, non exigendum, si inimicus non esset; non tamen exigitur inimicitiâ mouente: quia prædicta veritas conditionata non est ea, quæ cōstituit motionem actualem inimicitiæ; sed eam motionem constituit hęc alia * Non exigeretur solutio à Petro, nisi appareret ipsi molesta * Hæc autem veritas abest; quia solutionem exigens non intendit alienam incommoditatem; sed commoditatem propriam. Talis autem veritas est, quæ requiritur ad motionem actualem inimicitiæ, cuiûs proprium opus est inferre inimico malum, quia malum ipsi est; conueniens autem, & bonum inimicitiæ, vindictæque. ¶ Addit. In eo casu exigeretur debiti solutio, existente inimicitiæ notitia, quæ deseruit, vt rationabilius appareat ab hoc potius, quàm ab illo debitum exigere: eaque notitiâ præsente debitum exigeretur, quanuis abesset affectio auersiua creditoris à debitore: idque signum est, inimicitiam non se habere, vt motiuum, ex cuius allicientia debitum exigitur; sed, vt circumstātiam, quæ reddit rationabilius ab hoc inimico debitore, quàm ab illo amico debitum exigere.

18 Plura hic occurrebant discussione digna. Sufficiant ta-

tamen ad rem nostram, quæ sequuntur. Non enim sufficiens est principalis solutio; neque iuuat additamentum. *Primum* probatur. Per te, non exigitur debitum in præsenti casu ex finē faciendi Petro molestiam. Atqui, datur veritas illa cōditionata, per quam constituis, quòd ex eo fine exigatur; nempè * Non exigeretur solutio à Petro, nisi appareret ipsi molesta * ergo solutio insufficiens. Minor probatur. Exigitur solutio à Petro inimico potiùs, quàm ab amico Paulo, *quia* vtrique apparet molesta, æquiusque est inimicorum, quàm amicorum molestiā permittere. At, ex tuis principijs ly *quia apparet*, denotat, quòd ea solutio non exigeretur nisi sic appareret: ergo nō exigeretur solutio à Petro, nisi appareret ipsi molesta. Explico. Loquamur in casu vbi, si talis solutio non proponeretur molesta Petro, & Paulo, neutri proponeretur molesta; quia scilicet, ex eisdem fundamentis apparet vtrique molesta. Nūc sic. Si talis solutio neutri appareret molesta, non appareret molesta Petro inimico. At, si neutri appareret molesta non exigeretur ab inimico Petro; sed potius ab amico Paulo, cui in primis molesta non esset; ac de cœtero libentius, & promptius ab eodem impetraretur: ergo si non appareret Petro molesta non exigeretur ab ipso.

19 *Secundum* probatur, nempè additamentum positū in fine *num.* 17. non iuuare. *Primò*. Nam primam affectionem auersiuam concepisti, citra præuiam aliam affectionem auersiuam, ex sola notitia malorum, quæ in te congessit Petrus: ergo similitèr ex hac notitiâ, seclusâ affectione auersiuâ præuiâ, poteris primitùs exigere solutionem à Petro, quia ipsi incommodam: ergo non benè hoc excluditur per id, quod ad exigēdum debitum non præcedat affectio auersiua. *Secundò*. Sicut in præsenti casû non exigeretur debitum à Petro, nisi proposita circumstantia inimicitiæ; ita posset contingere, quòd non exigeretur debitum, nisi exigens se experiretur rationabilitèr auersum à Petro. Neque id vitiosum esset. Quia sicut æquius est; cœteris paribus, exigere debitum ab inimico, quàm ab amico, quando vtrique solutio est incommoda; sic in eodem casu, cœteris paribus, æquius est exigere debitum ab illo, cōtra quem habes rationabilem auersionem; quàm ab illo, quem amas propter ipsius bonitatem. Tunc sic: Non exigeres debitum à Petro nisi in te experireris, & consequentèr nisi haberes, rationabilem auersionem contra Petrum. At, in hoc nō

esset

esset vitium, vt vidimus; proindéque in hoc non esset motio ad exigendum debitum ex fine inimicitiæ, & vindictæ: ergo aliud est hæc motio: & aliud ita exigere debitum, vt illud non exigeres, nisi affectionem auersiuam haberes contra Petrum.

CAP. III.

Concluditur impugnatio eiusdem placiti.

20. IMprobabitur quartò eadem doctrina, si demus claritatis gratiâ Petrum affici circa luxuriã simplici quodam affectû naturali; quem à se repellere nequit; ac deinde opportunitatem esse succurrendi speciosæ fœminæ summè indigenti, eamque operationem præuideri vtilem ad finem luxuriæ. Sic igitur argumentor. Quanuis in hoc euentu prohibitũ non sit misericordiæ operationem exercere; sed potius præceptum propter summam fœminæ illius indigentiam; prohibitum tamen est eam exercere ad finem luxuriæ. At, non est prohibitum eam exercere in his circumstantijs cum veritate conditionatâ, de defectu eius operationis futuro, si non daretur talis notitia, & affectus simplex circa luxuriam: ergo non stat in prædictis eam operationem exerceri ad finem luxuriæ. Minor probatur: Id solùm prohibitum est, quod est exercitiũ nostræ libertatis potens; per se loquendo, cadere sub nostrum experimentum certum. Nam alioquin esset peccatum, quod, non solum per accidens; sed per se; & ex naturâ rei non posset ex conscientiâ certâ subijci clauibus Ecclesiæ. At, exercere in eo euentu misericordiæ operationem; cum ea veritate conditionatâ, habet per se loquendo, non posse cadere sub nostrum experimẽtum certum: ergo non est prohibitum. Minor; in quâ consistit tota difficultas patet. Nam futurum illud conditionatum * Non elicerem actum misericordiæ, nisi luxuria pulsaret * non possumus experiri immediatè in se ipso. Futura nãque libera tam abscondita sunt in se ipsis, vt solùm diuinum lumen possit ea in se ipsis certò attingere. Neque possumus illud certò experiri mediatè, nempè in his, quæ de presenti existentia experimur. Nam, omnia; quæ in nobis de præsenti existunt; scilicet, simplex affectus circa luxuriam, notitia, per quã ad illam vtilis apparet actus misericordiæ; necnon ipse actus misericordiæ, indifferentia sunt ad illud futurum; & eius carentiam, vt patet. Ergo, &c.

Con-

21 Confirmatur. Nullum affectum potest exercere voluntas, in quo certò noscat prædictum futurum conditionatum: ergo neq; potest illud immediatè in se ipso cognoscere certò, vt certissimum est; neque mediatè in suis affectibus. Antecedens probatur. Si enim aliquis affectus noster esset medium infallibile cognoscendi prædictum futurum; maximè affectus huius naturæ * Non exercerem operationem misericordiæ, nisi luxuriâ pulsarer * At, iste non: ergo nullus. Minor probatur. Nam, si res attentè consideretur componibilis est illius modi affectus: vt nunc existens quando luxuriâ pulsaris, cum eo, quod postea luxuriâ non pulsatus, opposito modo te gereres, ac nunc te gerere statuis. Sic, voluntas nunc vehementissimè vocata ad amorem Dei, potest ea esse, quæ non amaret Deum, si segnius vocaretur, quantumuis nunc ardentissimè decernat * Amarem Deum, etsi segnius vocarer *. Sic voluntas nunc tentata leuitèr ad consensum turpem, potest ea esse, quæ caderet, si grauissimè tentaretur; quanuis nunc strenuissimè definiat * Non exprimerem consensum, quantumlibet tentatio ingrauesceret * Adeò enim voluntas nostra versatilis est, vt possit postea illius oppositum præstare, quod nunc decreuit. Quocirca, D. Petrus Matth. 26. 35. constanti animo statuebat sic. *Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo.* Postmodum autem, quando mortis timor inuasit, negauit Christum.

22 Improbatur quintò eadem opinio ab speciali absurdo Theologico. Sequeretur enim, posse Sacerdotem consecrare hostiam sine vllâ intentione áctuali, & formali consecrandi, siue tunc existente, quando conficitur consecratio; siue prius existente, posteaque perseuerante virtualitèr. Consequens est contra bonam Theologiam, vt patet. Ergo. Probatur sequela. Nam, ex communi fidelium conceptione, sufficit ad consecrationem, quòd legitimus Sacerdos proferat verba consecrationis supra panem propter finem consecrandi. Iam, hoc totum stare in eâ sententiâ, citra prædictam intentionem actualem probatur. Eo enim ipso, quòd Sacerdos habet hîc, & nunc simplicem complacentiam circa consecrationem panis, notitiam quoque de vtilitate verborum ad consecrandum; sitque aliundè quidam conditionatus defectus; nempè, verba nō fore proferenda, si ea complacentia, notitiaque deessent, iam proferuntur verba, iuxta eam opinionem, ad finē consecrandi. At, in eâ rerum complexione nulla imbibitur actualis, & formalis

malis intentio consecrandi, siue præterita, siue præsens. Ergo, &c. Hoc idem absurdum facili negotio potest vrgeri contra reliquas sententias, si nostram excipias, vt perpendenti patebit: idque non parum commendat veritatem nostræ opinionis tradendæ *disp.* 13.

23 Vt clarius efformemus vltimam impugnationem huius placiti, quæ nequit facilè breui propositione satis clarè concludi, præmittimus libentèr nonnulla, quæ doctrinam afferunt scitû dignam. *Noto primò*. In casû nunc recolendo, quem posuimus *num.* 20. *initio*, nequit homo exercendo misericordiæ operationem diuidere illam ab ordinatione in finem luxuriæ, siue excludendo simplicem affectum circa luxuriam, quia ponimus eum affectum necessario insurgere; siue excludẽdo notitiam vtilitatis, quam habet operatio misericordiæ ad finem luxuriæ, quia ponimus hanc notitiam tam pertinaciter inhærere menti, vt eam abijcere non possimus, quantumcunque nitamur. Et, vt casus vrgentior sit, loquamur instãte præcepto misericordiæ pro sui adimpletione statim præstandâ, hominemque non posse in tàm breui morâ siue simplicem illum affectum, siue notitiam illam excutere. ¶ Hinc *noto secundò*. In eo casû non aliter potest homo exercere misericordiæ operationem diuisim ab ordinatione in finem luxuriæ, quàm excludendo euentum illum conditionatum * Non ponerem hanc operationem, nisi luxuriâ pulsarer *. Ratio est: quia nequit homo exercere eam operationem diuisim ab eâ ordinatione, nisi possit operationem ponendo excludere simul aliquod constitutiuum eius ordinationis. At, operationem ponendo, nequit cum eâ coniungere eiûs exclusionem, vt patet. Deinde, nequit excludere siue simplicem illum affectum, siue illam notitiam, vt vidimus: ergo nequit aliter exercere prædictam operationem diuisim ab eâ ordinatione, quàm excludẽdo euentum illum conditionatum: quia constitutiuum eius ordinationis, præter ipsam operationem, simplicem illum affectum, & notitiam, non aliud importat, quàm illiusmodi conditionatum euentum, in sententiâ, in qua sermo est.

24 *Noto tertiò*. In nobis quidem est potestas (vt dicebam tract. de Scientia Dei) ad euitanda futura libera conditionata; si tamen purificetur conditio constituens in manû nostrâ absolutè ponere, & omittere actum. V.g. datur nobis libertas A. quæ ponit in manu nostra consentire, & omittere consensũ.

Profectò, cū mediā eā libertate possimus omittere consensum, & aliùndè omittere cōsēsū cū hâc libertate sit impedimētū obstās, quominus verū sit *nos cōsensuros, si ponatur ea libertas*, cōsequēs est, posse nos ea libertate posita prædictā veritatē euitare. Cęterū, nondū existente cōditione, non est in manu nostra euitare futurum contingens conditionatum. Patet id, tum à posteriori; tum etiam à priori. A posteriori quidèm, nam propterea, quòd nunc non existit tentatio ad peccatum, quâ forsitàn cras prouocabimur; idcirco non possumus hodiè; poterimus tamen cras euitare, quòd sit verum nos peccaturos, si cras tentemur. A priori mihi est ratio. Nam id, cuiûs euitatio sita est in nostrâ libertate, nullâ ratione poterimus melius euitare, quàm si toto pectore, quantum in nobis est, euitare velimus. At, hoc modo non possumus euitare futurum contingens conditionatum, quando conditio non existit: ergo nullo modo. Minor suadetur. Nam, vt probatum manet *num.21*. quantumuis nunc, certis conditionibus absentibus, decernat voluntas non consentire positis illis; cum hoc decreto, vt nunc existente, componi potest, & mutari hoc decretum, præsentibus eis conditionibus; & tunc voluntatem consentire: ergo nullo modo, quando conditio non existit, euitare possumus futurum contingens conditionatum.

25 His prænotatis, ita demùm ea sententia improbatur: reuocato in memoriam eo casû, vbi præceptum vrgeat succurrendi protinùs fœminæ speciosæ extremè indigenti, Petrus succurrere potens simplici tenetur affectû circa luxuriā, neque deest notitia, quòd multùm prodesse potest ad potiundum fœminâ succurrere illi, ac demum Petrus nequit adeò citò siue talem affectum; siue talem notitiam abijcere; cum tamen præceptum iam iam instet sine morâ. Arguo sic. Ad duo tenetur Petrus in isto casû, scilicet, ad exercendam operationem subueniendi fœminæ, & ad diuidendam eam operationem ab ordinatione in finem luxuriæ. At, iuxta sententiam, quam improbamus, impossibile est ea duo simul sumpta præstare: ergo tenetur homo ad impossibile, quod hæreticum est, & nuper vt hæreticum declaratum à SS. Innoc. X. in bulla contra Iansenium Episcopum Iprensem. Maior est certa, & à P. Ripalda non negatur: Minor patet ex prænotatis. Nam, iuxta primam, & secundam notationem, nequit aliter homo in eo casû exercere operationem illam diuisim ab ordinatione in

finem

finem luxuriæ, quàm excludendo euentum illum conditionatum * Si luxuriâ non pulsarer non exercerem hanc operationem. Deinde, vt constat ex notatione tertiâ, non est in manû illiûs hominis in prædicto casu excludere talem euentum conditionatum · ergo impossibile ipsi est talem operationem exercere diuisim ab ordinatione in finem luxuriæ.

26 Proposui in meis codicibus hoc argumentum sincerè significando haud prorsùs inefficax mihi videri. Suauitèr tamen P. Ripalda me corripuit *disput. cit. de charitate num.* 137. & 139. quasi mihi gratulatus commendauerim nimis eius efficaciam. Eam tamen commendationem, & gratulationem in meis scriptis non reperio. Quare, licet correctionem libenter admittam; culpam tamen non satis agnosco, maximè, cum nihil mihi antiquius, quàm odisse homines sibi blandientes, qui plerunque sola sua inanitate sunt pleni. Sed ad rē veniamus. Igitur P. Ripalda sui ingenij fœcunditate miranda plurima tentat, quæ cursim attingemus. Tum, quia nonnulla ex ipso modo proponendi argumentum reiecta sunt. Tum, quia alia continere videntur latētem quendam à propria sententia discessum, & in alias cogitationes relapsum. præsertim in eas, quas proposuimus, & repulimus à *num* 7. ¶ *Primò* igitur ait, inter dum hominem non aliter posse pro sua libertate impedire ordinationem operationis ad prauum finem, quā impediendo ipsam operationem. At, quicquid de hoc sit, casus noster est, in quo teneatur homo ad operationem, & ad coniungendam ipsam cum diuisione ab ordinatione in prauum finem; in quo euentu, necesse est aliter posse hominem ordinationem tollere, quàm operationem tollendo, ne ad obseruandum vnum præceptum, necesse sit transgredi aliud. Ripald.

27 Ait *secundò*, posse hominem in consortio talis operationis omittere liberè ordinationem illiûs in prauum finem. Sed quomodo? Multiplicitèr. *Primò* Decernendo vnico actû operationem misericordiæ, & eodem affectu excludendo finem extrinsecum luxuriæ. Sed contra. Tum, quia vidimus à *num.* 8. obligationes, quas fideles concipiunt ad excludendam ordinationem operationis in finem extrinsecum prauum ex suppositione exercendi eandem operationem, non esse obligationem siue ad detestandam ipsam existentiam

stentiam finis, siue ad detestandam signatè ipsam motionem finis; sed ad omittendum affectum relatiuum operationis in eum finem. Tum, quia iuxta eam solutionem, poterit quidem homo in sensû composito operationis reijcere *affectiuè* ordinationem illiûs in finem extrinsecum; non verò, *quoad effectum*: quia non assignatur, quodnam constitutiuum eius ordinationis, quoad effectum acceptæ, excludatur. Manetque argumentum in suâ vi probans, nullum in præsenti casû posse ab homine excludi. Quamobrem, inepta erit obligatio, stando præcisè huic solutioni, quæ ad hoc tendat, vt coniunctim cum operatione omittatur reipsa, & quoad effectum ordinatio illiûs in finem luxuriæ.

28 *Secundùs* modus, quem idem Ripalda assignat, est dicere, posse hominem coniunctim cum exercitio talis operationis diuertere intellectum à cogitatione finis extrinseci. Hoc tamen non aptatur casui nostri argumenti: ac deinde obligatio est, vt homo exerceat talem operationem misericordiæ, & quamuis cogitet de fine luxuriæ cognoscendo ejûs operationis vtilitatem ad ipsum; non tamen ad eam ordinet talem operationem. *Tertius* modus, quem assignat, est dicere, posse voluntatem decernere, quòd existat operatio misericordiæ, tametsi deficeret pulsatio luxuriæ. Hoc tamen ferè coincidit cum primo modo, eisdemque rationibus repellitur. *Vltimus* modus est, quia potest voluntas eneruare motionem affectûs simplicis circa luxuriam, iam vehementèr proponendo turpitudinem ipsiûs, iam accendendo, & roborando affectionem simplicem circa honestam operationem misericordiæ, propositis nouis rationibus, quibus persuadeatur voluntas ad exercendam eam operationem independentèr à fine luxuriæ. ¶ Sed, neque hoc satisfacit. Tum, quia nostri casus angustiæ difficultèr prædictis aditum præbent. Tum, quia, vt nuper dicebam in simili, obligatio est, vt etiam si affectus simplex circa luxuriam maneat cum viribus motiuis sufficientibus ad mouendum, exerceatur opus misericordiæ; omittatur tamen ipsius ordinatio ad luxuriam. Quid tunc voluntas, vt hanc obligationem adimpleat? Tum, quia vel positâ totâ illa eneruatione vnius partis, & roboratione alterius, manet affectus luxuriæ, cum viribus ad mouendum; vel,

vel illarum expers? Si hoc vltimum, non videtur è re nostri casus, qui est de obligatione operis misericordiæ, & omittendi ordinationem illius ad luxuriam, etiam coniunctim cum potestate ad eam ordinationem. Si primum: ergo voluntas id præstans, non satis excludit ordinationem ad luxuriam. Quid ergo faciet, vt excludat? Redit igitur argumentum. ¶ Denium, eandem sententiam improbant, quæ iam dicimus pro nostrâ.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

Quid requiratur ex parte voluntatis nostræ, vt operatio humana fiat propter finem extrinsecum.

DEseruimus asperas vias. Eligamus iam eam, quæ nobis est planior.

CAP. I.

Statuitur nostra sententia.

EA est, quam olim tradidimus, & in eadem quotidie persistimus firmius: scilicèt in ordinatione actûs interioris ad finem extrinsecum philosophandum esse similitèr, ac in ordinatione actûs exterioris. Quamobrem, sicut, vt actus exterior, v. g. dandi eleemosynam, fit absolutè, & simplicitèr propter finem charitatis erga Deum, requiritur ex parte voluntatis, quòd voluntas decernat ipsum efficacitèr per decretum, quod ex suis intrinsecis referat actum exteriorem ad finem charitatis, cuius decreti natura sic exprimitur * Volo ad faciendum gratum Deo exercere actum exteriorem dandi eleemosynam * ita similitèr, vt actus interior religionis v. g. existat absolutè, & simplicitèr propter finem charitatis erga Deum, requiritur, vt voluntas decernat ipsum efficaciter per decretum intrinsece relatiuum eius actus ad finem charitatis. Hanc existimo communem mentem Theologorum, à qua no-

nouiores forsan recesserunt, vt singulares opiniones de merito puræ omissionis, & id genus alia protegerent.

2 Et in primis, mihi satis probabile est, D. Thomam haud obscurè expressisse sententiam nostram. Nam exponens, quomodo actus intrinsece bonus reddatur extrinsece malus, sic ait *quæst. 2 de malo art. 4. ad 2. Contingit actui secundùm se bono, adiungi aliquem alium actum malum secundùm aliquem ordinem. Et secundùm illum actum malum bonus aliquando dicitur malesicari, non quòd in se ipso sit malus. Sicut dare eleemosynam pauperi, vel diligere Deum est actus secundùm se bonus; sed referre actum huiusmodi ad finem aliquem inordinatum scilicet cupiditatis, aut inanis gloriæ est quidam ALIVS ACTVS malus; qui tamen duo actus quodam ordine in vnum rediguntur.* Ex quibus verbis tripliciter suadeo Præcept. Ang. mihi fauere. *Primò*. Relatio actus boni in finem extrinsecum malum stat in alio actu malo voluntatis, iuxta D. Thom. At, non in actu, quo voluntas maneat indifferens, vt actus bonus prodeat relatus, vel non relatus in malum finem, vt ex se constat: ergo in actu, quo voluntas quantum est ex se maneat determinata, vt actus bonus prodeat relatus in prauum finem. At, solo actu efficaciter decernente actum bonum, & ex intrinsecis dirigente talem actum ad prauum finem, manet voluntas ita determinata: siquidem ipsis aduersarijs fatentibus, omnes affectus simplices, & inefficaces circa finem prauum relinquunt voluntatem indifferentem, vt actus bonus postea secutus fiat relatus, vel non relatus in prauum finem. Ergo talis relatio stat in eo decreto efficaci.

3 *Secundò*, Indiscriminatim, eodemque modo D. Th. exponit relationem in finem prauum extrinsecus aduenientem actui interno dilectionis Dei; atque aduenientem actui externo dandi eleemosynam. At, relatio huius actus exterioris in prauum finem, stat in decreto efficaci intrinsecè dirigente actum ad prauum finem, necnon determinatiuo facultatis exterioris ad exercitium eius actus. Ergo relatio actus interioris in prauum finem stabit in decreto efficaci talis actus interioris, quod decretum, & sit intrinsece dirigens actum interiorem in talem finem, & voluntatem determinans ad exercitium illius. *Tertiò*. Actus ordinans alium in finem extrinsecum, & actus ita ordinatus, *in vnum rediguntur quodam ordine*. Atqui, nihil communius, quàm duos actus reputare vnum,

mo-

moraliter, quando in eadem libertate ita communicant, vt posito præcedente non possit non poni subsequens: ergo redigi in vnum quodam ordine; nempe, prioritatis, & posterioritatis, actum ordinantem, & actum ordinatum sumitur ex eo, quòd posito ordinante non possit non subsequi ordinatus; & consequenter oportet illum esse efficacem ad istum.

4 Suadetur deinde rationibus nostra conclusio. Demus Petrum, & Ioannem esse pares in affectu simplici circa salutem æternam, necnon in eo, quòd vterque exerceant actum religionis; dispares tamen propterea quòd Petrus talem actum exercet relatè ad consecutionem salutis æternæ; secus autem Ioannes. Sic igitur argumentor: Qui medium aliquod præstat in ordine ad consecutionem finis superat in affectu circa finem eum hominem, qui nihil præstat in ordine ad consecutionem finis: ergo in casu posito Petrus superat Ioannem in affectu circa salutem. At, excessus non est penes affectus simplices circa illam: ergo penes id, quod affectus, per quem Petrus determinat medium, est affectus intrinsecè referens medium ad finem salutis. Non enim excessus iste potest aliunde peti, vt facile patebit consideranti. Antecedens, quod solum est difficile, tametsi mihi satis notum appareat, potest multipliciter suaderi. *Primò*. Quia medium exhibens pro consecutione finis non se gerit præcisè circa finem vti gerere se posset, si reputaret impossibilem. Nam ly *exhibere media propter consecutionem finis* exigit manifestè non iudicari finem impossibilem. At, licet finem impossibilem reputaret, posset exprimere simplicem complacentiam erga ipsum: ergo non tendit circa finẽ, prçcisè sicut circa obiectũ, vt cũque placens, qui præstat medium, vt finem consequatur; sed maiori quodam affectu, nempe procuratiuo finis. Quid autem aliud est procuratio finis, vt distincta à simplici complacentiâ, quàm determinare media in ordine ad illius consecutionem?

5 *Secundo*. Qui supra simplicem velleitatem circa finem adijcit exhibere media pro consecutione ipsiûs adijcit supra habitudinem voluntatis ad bonum, vt bonum, aliam habitudinem voluntatis maioris efficaciæ, ad bonum, vt bonum cõsequibile imbibitam in ly *exhibere medium pro cõsecutione finis*: ergo supra simplicem velleitatem adijcit nouum affectum finis determinatiuum medij ad cõsecutionem finis. Sicut enim habitudo volũtatis ad finem, vt bonum, est affectus circa finẽ;

ita noua habitudo voluntatis ad finem, vt bonum consequibile, est nouus affectus efficacior circa finem. Et quidem, affectus circa finem efficacior, quàm simplex velleitas imbibitus in ly *exhibere medium pro consecutione finis*, nescio quid aliud esse possit, quam affectus determinans medium ad consecutionem finis. *Tertiò*. Si supra vnam habitudinem voluntatis circa finem vt bonum apparens, aduenit alia habitudo volũtatis circa illum, vt bonum consequibile apparens, per quam voluntas magis, quàm per primam habitudinem distat à detestatione existentiæ finis, manifestum apparet supra priorem affectum aduenire alium. Atqui, adueniente supra simplicem complacētiam circa finem ly *exhibere medium pro consecutione finis*, aduenit supra habitudinem ad finem, vt bonum apparens, habitudo alia ad ipsum, vt bonum consequibile, per quam volũtas magis, quàm per primam habitudinem distat à detestatione existentiæ finis: ergo aduenit nouus affectus.

6 Confirmatur. Qui non solùm habet apprehensionem inclinantem ad assensum huiûs mysterij * Deus est Trinus, & vnus * Sed etiam aliam habitudinem intellectualem ad hoc obiectum, per quam magis, quàm per simplices apprehensiones recedit à dissensu, iam habet assensum circa illud mysterium. Nam alioquin, quomodo probabis, credentem mysteria fidei, habere alium intellectûs actum, quo mysterijs adhæreat, præter simplices apprehensiones ipsis hæreticis communes? Ergo similiter, qui non solùm habet simplicem velleitatem circa finem, quæ ad finem procurandum inclinat; sed aliã habitudinem voluntatis ad finem, per quam voluntas magis, quàm per simplicem velleitatem recedit ab odio finis, habebit præter simplicem velleitatem, alium affectum circa finem, qui sit affectus perfectior in genere volendi. At, in ly *exhibere medium propter finem* imbibitur habitudo voluntatis circa finem remouens magis, quam simplex velleitas ab odio existentiæ finis. Ergo imbibitur ibi nouus affectus perfectior in genere volendi, quàm velleitas simplex, quia scilicet imbibitur affectus determinans medium ad consequendum finem.

7 P. Ripalda *disput. vlt. de Charit.* respondet distinguendo nouum affectum virtualem, & nouum affectum formalem finis. *Formalis*, est inclinatio elicita à voluntate respiciens intrinsecè finem. Virtualis est noua efficacia, seu operatio conducens in talem finem, tametsi per talem operationem non respe-

respectum affectiuè. Huiusmodi autem efficacia, seu operatio æquiualet nouo affectui formali talis finis: quia eâ operatione magis pugnat volũtas cum efficaci detestatione finis, quã per merum affectum simplicem. Nequit enim cum eâ operatione componi omnis illa detestatio, quæ cum affectû simplici componibilis est: quia cũ affectû simplici cõponi potest nullo modo, aut medio promouere finis existentiam, idque est incomponibile cum eâ operatione. Quamobrem (ait Theologus iste subtilissimus) cum simplex affectus finis non referat actualiter alium actum in finem, nisi efficaciter coniungantur cum operatione in finem conducente, cuiusmodi operatio est ille ipse actus, qui refertur in finem, consequens est, huiusmodi actualem relationem semper esse coniunctam, non solùm cum simplici affectû finis; sed etiam cum affectu maiori, non formaliter; sed æquiualenter. Et hoc duntaxat probant argumenta nostra; non verò nouum affectum formalem.

8 In hâc solutióne tanti viri vnum mihi verissimũ est, aliud satis difficile. Verissimum est, voluntatem, quæ fertur in finem affectû simplici posse diuersimodè, citra nouum affectum formalem finis recedere ab efficaci detestatione finis. *Primò* liberè omittendo talem detestationem. *Secundò*, adhibendo medium, ex quo futuram præuidet subsecutionem. *Tertiò*, adhibendo medium, etiam absque tali præuisione: cum ea enim exhibitione non componitur, vt optimè ait P. Ripalda, tanta finis detestatio, quæ excludat omnem oppositionem medij cõferentis ad existentiam. Difficilè tamen est, in essentiali ratione exhibendi medium *propter* finem non imbibi nouum affectũ finis formalem, simpliciq; ue complacentiâ maiorem. Qui enim attentè perpenderit argumenta nostra, deprehendet ea probarè non inefficaciter hanc nouitatem, & excessum affectûs formalis. In cuius specimen, ne molestiam pariam, duo breuiter propono. ¶ *Primum*. Quia solutionem non habere locũ constabit, si consideretur nos comparasse Petrum, & Ioannem parès in affectû simplici circa salutem æternam: pares quoque in eliciendo religionis actum cum notitiâ vtilitatis, quam ille actus habet ad salutem æternam. In eo tamen præcisè dispares; quòd Petrus elicit eum actum *propter* consecutionem salutis æternæ. At verò Ioannes non refert eum actum ad salutis consecutionem.

9 Nunc sic. Petrus in isto casû excedit Ioannem in affe-

affectû finis, siue formali, siue virtuali. At, non in solo virtuali. Ergo in formali. Maiorem neque negat, neque negare potest P. Ripal. Nam alioquin, qui medium aliquod refert ad consecutionem finis, non haberet vllum affectum finis, siue formalem; siue virtualem maiorem, cæteris paribus, quàm habet ille, qui nullum prorsus medium refert ad finis consecutionem. Quod ex ipsis terminis patet esse falsum. Minor probatur. Nã, vterque habet simplicem complacentiam æqualem finis. Proinde in hoc nullus excessus. Rursus, vterque habet, vltra simplicem complacentiam, affectum æqualem virtualem. Nam, vterque ponit operationem de se æqualiter promotiuam finis ad existentiam, & exclusiuam actûs, quo voluntas nolit vllo modo, aut medio finis existentiam promoueri: quippè vterque ponit similem actum religionis: atque in his, per te, consistit nouitas affectûs virtualis; ergo non est excessus in solo affectû virtuali. ¶ *Secundò*. Vbi datur in intellectû non solùm apprehensio simplex obiecti; nec solùm carentia dissensûs; sed etiam alia intellectûs ad obiectum habitudo, quæ suapte natura postulat proponi obiectum suadibiliter, vt in se ipso verum, non solùm datur nescio quid condistinctum ab assensû formali circa obiectum; sed etiam ipse formalissimus assensus, vt dicebam *num*. 6. Ergo vbi datur in voluntate non solùm simplex affectûs finis; neque solùm carentia actûs detestantis efficaciter finis existentiam; neque solùm positio medij de se conducentis ad existentiam finis: sed etiam alia voluntatis habitudo medium ad finem referens, quæ natura sua petit proponi medium, vt vtile ad finem, dabitur formalissimus affectus medij, & finis intrinsecè relatiuus medij ad finem. Aliud equidem ægrè percipio.

CAP. II.

Concluditur probatio, & expositio nostræ sententiæ.

10 QVam sic rursus suadeo ex iam tactis supra de obiectis illis, quæ praua non sunt in ordine ad affectum simplicem ipsorum; sed in ordine ad affectum procuratiuum: vt pollutio, iuxta multorum sententiam. Demus igitur Petrum stimulare equum ex fine, vt subsequatur pollutio, & sic mitescaut impetus ad luxuriam. Demus etiam Ioãnnẽ stimulare

lare equum; non tamen ex eo fine, quamuis alioquin Ioannes habeat simplicem affectionem circa pollutionem, vt vires tentationum frangantur. Tunc sic. In casû Ioannis, iuxta sententiam multorum, quos retulimus sup. non adest pollutionis peccatum (siue solùm materiale, quia deest aduertentia ad malitiam; siue formale, quia non deest.) In casû autem Petri adest pollutionis peccatum, vel materiale, vel formale, prout desit, vel adsit aduertentia. Præterea, in vtroque casû est simplex complacentia circa pollutionem, vt ponimus. Ad hæc, in vtroque casû supra eam simplicem complacentiam datur ille circa pollutionem affectus, quem P. Ripal. vocat virtualem. Datur enim equi stimulatio liberè posita, quæ medium est promouens pollutionem ad existentiam; proindeque, cum eâ operatione, vt liberè positâ, cohærere non valet adeò detestari pollutionem, vt omnia excludantur, quæ conferre possunt ad ipsius existentiam: ergo ideo in casû Petri potiùs, quã Ioannis, peccatum pollutionis datur, quia in illo potiùs, quàm in isto casû datur formalis affectus procuratiuus pollutionis. At, nihil datur in vno potius, quàm in alio casu, quàm stimulare equum ex fine pollutionis: ergo in hoc modo se habendi imbibitur affectus formalis procuratiuus pollutionis. Explicatur: Quidquid discriminis in eis euentibus excogites, non sufficit, vt in vno præ alio detur peccatum mollitiei, nisi vnus illorum superet alium in affectû procuratiuo pollutionis, siue formali, siue virtuali. At, neuter superat alium in affectû virtuali, vt vidimus: ergo in formali; & consequenter in ly *stimulare ex fine, &c.* imbibitur formalis affectus procuratiuus finis. Quibus, ni fallor, ita exclusæ sunt solutiones P. Ripal. vt opus non sit eas referre.

11. Porrò autem, vt nostra sententia plenè maneat exposita, nonnulla obseruare duximus. *Primum sit* pro firmitate rationis nuper propositæ. Duplex est genus obiectorum, quæ prohibentur. Nam alia prohibentur secundum se, vt fornicatio, homicidium priuatâ authoritate patratum, &c. Prohibẽtur alia, vt directè procurata, cuiûs generis est pollutio, iuxta commemoratam opinionem, necnon gloria temporalis: non enim nobis est prohibitum eam euenire; sed affectû nimio procurare. Ad peccandum circa obiecta prioris generis satis est ea velle virtualiter, & indirectè: nempè, velle aliquid præstare, ex quo subsecutio eorum præuidetur, vel timetur futura.

Te-

Tenetur enim homo non permittere existentiam earum operationum, & consequenter id euitare, ex quo præuidentur futuræ. At vero, cum non teneamur omninò euitare posterioris generis obiecta; sed procurationem directam ipsorum, non peccabimus; quamuis aliqua præstemus, ex quibus præuideatur fore, nisi vel procuremus illa directè, vel aliquid præstemus, vnde futuram esse præuideamus eam procurationem directam. Quare, cum indubitatum sit peccatum pollutionis interuenire in eo, quod est aliquam actionem exequi, vt sequatur pollutio, patet hîc imbibi directam procurationem pollutionis.

12 *Secundum sit*. Duæ sunt difficultates inter se non confundendæ. Alia est, quid requiratur ex parte affectus, vt aliquis actus siue interior, siue exterior sit propter finem extrinsecum. Alia est, in quo cōsistat fieri non solùm quoad affectum voluntatis; sed etiam re ipsâ quoad effectum ex fine extrinseco. Prima difficultas agitata est in præsenti disp. Circa quam difficultatem decreuimus, requiri decretum absolutum voluntatis eiûs actus in ordine ad consecutionem eiûs finis. Posterioris autem decisio patet ex disp. 11. Nam actum fieri quoad effectū reipsa ex fine extrinseco est depēdere à decreto ordinante talē actum ad eum finem. Constat autē ex disp. cit. in quo consistat ea dependentia. ¶ *Tertium sit*. Contingere potest, imò forsan contingit sæpissimè eundē affectum internū esse affectū religionis, v.g. & volitionē sui ad finē charitatis: in quo casu actus religionis, non procedit ex ordinatione sui ad finē charitatis; sed est ipsa ordinatio sui ad talē finē. Rursus, finis charitatis realiter loquendo nō est finis extrinsecus eiûs affectûs religionis: quia non est finis extrinsecus actûs ordinātis ipsum ad finem charitatis, & ipse est actus ordinans se ipsum ad finem charitatis. Dixi *realiter loquendo*, quia finis charitatis poterit dici finis extrinsecus formaliter ex modo nostro concipiēdi talis affectûs, si præcisè accipiatur, vt affectus religionis, quatenus, vt acceptus in hac præcisione non explicat formaliter respectum intrinsecum ad finem charitatis.

13 *Quartum sit ex attactis disp. 11. num. 5. & 6.* Sunt quædam rationes propositæ per intellectum, quas intrinsecè non respicit voluntatis actus; tamen sic propositæ conferunt quadantenus ad talem actum, quamuis non finalizent ipsum. Claritatis gratia duplex adhibetur exemplum, & innuimus postea

postea poterunt adhiberi. Proponitur tibi religionis actus tãquam non multum molestus, ac difficilis, ac deinde vis exercere ipsum, vt superiorem colas; non tamen propter finem te exercendi sine magnâ molestiâ, & difficultate. Rursus. Proponitur tibi ad contrahendum matrimonium fœmina nobilis, pulchra, & diues, decernisque contrahere non propter finem habendi consortem eis dotibus præditam; sed propter finem suscipiendi filios. Componitur quidem in his casibus, prædictas rationes non finalizare assignatos actus humanos; & tamen aliquatenus conferre, vt exerceantur. Tum, quia conferre possunt in genere remouentis prohibens, quatenus earum rationum propositio remouet oppositas notitias de nimiâ molestiâ actûs, de ignobilitate, fœditate, ac paupertate fœminæ, quibus notitijs auerteretur animus ab actû religionis, & à voluntate contrahendi. Tum, quia talium rationum notitia faciliorem reddit actum, promptioremque, negatiuè saltem, voluntatem ad exercendum ipsum: excludit enim resistentiam, vel, quod in idem recidit, inclinationem ad oppositum, quam oppositæ notitiæ secum afferrent. Notitiæ nanque de nimia molestiâ actûs religiosi affert inclinationem ad excludendum ipsum, eamque inclinationem inde prouenientem excludit notitia de non magnâ molestiâ talis actûs: ac similiter inclinatio ad nolendum contrahere cum Maria, quæ proueniret ex notitiâ, quâ proponeretur inuenusta, ignobilis, & inops, excluditur per notitiam, quâ proponitur venusta, nobilis, & locuples.

14 Vt tamen scias, quo consilio dixerimus, *negatiuè saltem*, obseruetur quintò. Duo hîc spectare oportet, & ad alterum positiuè inclinat propositio talium rationũ, v.g. pulchritudinis, & nobilitatis in fœminâ; ad alterum autem negatiuè, & indirectè, vt dici solet. Nam potest quis dupliciter velle contrahere cum fœmina, quæ proponitur pulchra, & nobilis. Primò, per actum ex intrinsecis tendentem ad hunc finẽ: *vt ex legitimo matrimonio suscipiantur filij*. Secundò, ex hoc etiam fine: *vt vitæ consortium habeatur cum vxore nobili, venustaque*. Ad hunc secundum actum directè, positiuèque inclinat propositio talium rationum; quippè tendit ad hoc, vt non neglectis eis dotibus; sed habitâ ratione ipsarum, decernatur matrimonium. At verò ad priorem actum, non ita directè, positiuèque inclinant: non enim positiuè inclinant ad de-

terni-

terminationem, quæ de se non magis earũ qualitatum rationẽ habet, quàm, si menti non occurrissent. Verumtamen, earum rationum propositio ad eum ipsum priorem actum inclinat indirectè, negatiuéque, remouendo notitiam de defectû talium qualitatum, quæ forsan impediret voluntatem contrahendi, & inclinat positiuè, vt quia tales dotes desunt non decernatur matrimonium.

15 Hinc obseruo quintò. Notitia prædictarum rationum, sistendo præcisè in munere inclinandi negatiuè, & indirectè ad actum humanum non esse propriè in genere inclinatiuo causam, ex quâ procedit talis actus. Nam, ea notitia sistẽdo præcisè in tali munere non iuuat ad actum, quasi destinata, & tendens ad hoc, vt actus existat; sed obstans, quominus detur causa, quę impediret, vel inclinaret ad impediendum actũ. Quamobrem, sistendo in eo munere, non tam affert causam, vt actus ponatur, quam remouet causam, vt tali, vel tali modo excludatur. Hinc ortum discrimen, quod in causis, vel quasi causis obiectiuis actuum humanorum explicare solent Philosophi per hos terminos. *Ratio motiua, & ratio impulsiua,* quod forsan non minus aptè exponeretur per terminos istos: *Ratio positiuè, ac directè motiua; & ratio negatiuè, & indirectè motiua.* Rem tene, & vt malueris loquere. Ratio motiua positiuè, & directè, dicitur illa, quam voluntaria determinatio actûs humani, tâm intrinsecè respicit, vt impossibile sit actum humanum existere ex vi eiûs determinationis, quin ea ratio detur per intellectum proposita, atque vt sic proposita ad eam determinationem inducens. Ratio autem impulsiua, vel negatiuè, & indirectè motiua, illa est, quam determinatio ad actum humanum non respicit intrinsecè; confert tamen ad eam determinationem facilius, promptius, & suauius faciendam, quatenus per intellectum proposita impedit alia, quæ retardarent, vel retardare possent ab ea determinatione facienda.

16 Pro solutione plurium, quæ nobis opposuit P. Ripal. eâ disp. cit. de charitate, quia forsan minus explicatè tradidimus nostram doctrinam, quám oporteret, nonnulla sunt inferenda ex dictis. Ne tamen in ęquiuoco laboremus, præ oculis habendum est, diuersimodè diuersos actus esse propter finem. Nam, alij actus sunt propter finem per modum simplicis complacentiæ, suntque illi, quibus voluntas sic se habet * Gratum est mihi hoc propter bonitatem, quæ ex parte illiûs

appa-

apparet * Alij sunt propter finem per modum intentionis absolutæ, suntque illi, quibus ita se gerit voluntas* Volo, vt hoc obiectum, quia bonum est, mandetur executioni per idonea media * Alij per modum electionis mediorum, suntque illi, quos ita voluntas exprimit * Quia talia media vtilia sunt ad consecutionem talis boni, volo illa ponere, vt sic tale bonum consequar * Omnesque isti actus ex suis intrinsecis sunt amor finis. Quapropter, illi non sunt nostræ disputationis scopus, quippè solùm agimus de requisitis ex parte affectuum voluntatis, vt illi actus humani, qui non sunt intrinsecè amor finis, ponantur propter finem. Alii denique actus sunt, qui tametsi ex intrinsecis non sint amor finis; ponuntur tamen à voluntate ad consequendum finem, eo quod appareant media idonea ad huiusmodi consecutionem. De his igitur disputamus, quinam affectus voluntatis importentur in hâc ratione * Poni propter talē finē.* Affirmat P. Ripalda, præter physicā positionem ipsorum, & simplicem complacentiam finis non inuolui in ea ratione formalem alium affectum interiectum circa finem. Nos opinamur contradictoriū, putantes in ea ratione inuolui determinationem efficacem reflexam talium actuū, quæ ex intrinsecis sit ordinatiua ipsorum ad eum finem, ac posita inter simplicem complacentiam finis, & positionem physicam eorum actuum. Quare, mirum mihi est P. Ripalda putasse inter ipsum, & nos de solo nomine in hoc puncto disceptari. Hoc igitur semel explicato, veniamus ad illationes, nonnullaque quæsita, quibus enucleatio præsentis difficultatis concludetur.

CAP. III.

Illationibus, & quæsitis concluditur præsens difficultas.

17 INfero primò. Actus, qui ponuntur ad consequendum finem extrinsecum non possunt procedere ex simplici complacentiâ finis, vt alliciente ad positionem talium actuū, quin isti sint propter talem finem. Ratio est. Nam, vis allectiua simplicis complacentiæ circa finem satisfactionis, v. g. non tendit ad hoc, vt immediatè ponatur actus charitatis, qui medium est idoneum ad satisfactionem; sed ad hoc, vt mediâ notitiâ talis idoneitatis eligatur efficaciter in ordine ad finem satis-

satisfaciendi: sicut intentio finis nō tēdit immediatè ad exhibitionem mediorum; sed ad electionem ipsorum; ideoque intentionis influxus erga media impeditur, si non existat notitia vtilitatis mediorum ad finem, quæ vtilitas est motiuū electionis, vt electio est: ergo simplex complacentia finis non exercet suas vires allectiuas circa prædictos actus, nisi tales actus ponantur per interiectam electionem efficacem ipsorum ad talem finem, & consequenter nisi sic ponantur, non procedunt ex viribꝰ allectiuis eiûs simplicis affectionis. At, eo ipso, quod sic ponantur, existunt propter talem finem: ergo, eo ipso, quod procedant ex viribus allectiuis affectionis simplicis circa finem existunt propter finem. Quamobrem, omninò cessant, quæ nobis fusè opponit P. Ripalda, quasi contrarium huius consectarij defendamus. Hoc enim ita non est; sed solûm defendimus, quod potuit esse æquiuocationis occasio, quarundā rationum notitias, & complacentias, posse ad aliquos actus humanos, citra causalitatem ipsorum inclinare negatiuè, modo explicato *num.* 15. quin tales actus motiuè, aut finaliter existant propter tales rationes.

18 Infero similiter secundò, non posse Deum conferre donum collatione procedēte ex præuisione meritorum Christi, & ex affectû remunerationis talium meritorum, quin exerceat eam collationem propter finem remunerandi. Nam, iuxta dicta in primâ illatione, talis præuisio, & affectio non exercent in actû secundo vires causandi allectiuè talem collationem, nisi interuentû decreti efficacis ex intrinsecis referentis eam collationem ad finem remunerationis. Positâ autem per hoc decretum eiusmodi collatione, iam ea exercetur propter finem remunerandi: si igitur procedat ex prædictâ præuisione meritorum, &ex viribus allectiuis eiûs affectionis circa remunerationem, iam exercetur propter finē remunerationis. Oppositum huiûs consectarij nobis obiecit P. Ripal. quasi ex nostris principijs deduceretur. Immerito tamen. Duo autem aduoto, quæ potuerunt esse æquiuocationis occasio. *Primum*, accidere posse Deum conferre donum aliquod, non collaturus ipsum, nisi præuideret merita Christi; ita quidem, vt ea præuisio se habeat circa talem collationem tanquam remouens prohibens; non verò tāquam positiuè influens allectiuè; & tamen non conferatur tale donum propter finem remunerandi merita Christi. Id contingeret, si Deus, non quidē ad remunerandum

randum merita Christi; sed ad remuneranda merita B. Virginis, conferret eidem Virgini dona connexa cum meritis Christi, v.g. clarissimã scientiam, aut visionem meritorum Christi. *Secundum*, accidere posse, talem præuisionẽ conferre negatiuè in genere inclinatiuo ad talem collationem; quin ipsa exerceatur propter remuneranda merita præuisa. Vt, si talis præuisio ad eam collationem pręcisè cõducat, quatenus aufert notitiã, quæ requiritur ex parte Dei, vt excludat eam collationẽ hoc affectûs genere * Nolo conferre tale donum, siquidẽ non sunt merita infiniti valoris, quæ ad eam collationem prouocent.

19 Infero similiter tertio, quid sit dicendum circa casum, cuius P. Ripal. meminit, in quo finem quis efficaciter intendat, vt consequendum per medium A. vel B. & ex hâc intentione procedat immediatè ad amorem medij A. præ *B.* quia medium A. est dulce; B. autem amarum. In hoc euentû P. Ripal. intulit ex nostrâ doctrinâ, tanquam paradoxon, tale medium, neque poni; neque eligi propter finem illum præintentum. *Nota*, sermonem esse de amore decernente mediũ A. præcisè ex motiuo dulcedinis; non verò de amore, qui ex intrinsecis habeat eligere efficaciter tale medium in ordine ad consequendum eum finem præintentum. Nam hoc mediũ positum per talem electionem est, absque dubio, positum propter talem finem. Hoc posito, censeo talem casum à P. Ripal. implicare terminos, atque ex vnâ parte cõtradictionis sequi, tale medium poni propter illum finem; & ex aliâ non poni. Rem explico breuiter. Implicatorium est ex viribus allectiuis eius intentionis procedere prædictum amorem medij. Tales enim intentionis vires non inclinant, ad hoc, vt quasi eâ intentione neglectâ, nullaque ratione habitâ finis per illam intenti decernatur medium. Nam, alioqui ad suas vires exercendas non exigeret necessariò notitiam vtilitatis eius medij ad finẽ. Non igitur inclinãt ad medij amorẽ, de quo loquimur; proindeque implicatoriũ est, hunc amorẽ immediatè procedere ex prædictis viribus, vt inclinatiuis ad ipsum. Hinc, in eo euentû medium A. poneretur propter finem illum præintentum, quâ parte supponitur ex eâ intentione procedens; & non sic poneretur, quia ex alia parte non procedit ab eâ intentione, tanquã determinatum per determinationem intrinsecè relatiuam ipsius ad talem finem.

20 Infero quartò, tametsi, vt actus humani fiant tan-

quam media in ordine ad aliquem finem, requiratur, vltra simplicem affectionem erga finem, interijci nouum affectum directiuum ipsorum ad talem finē, vt rationes nostrę probarunt; non tamen requiritur, vt adueniente physicâ effectione talium actuum adueniat nouus circa finem affectus vltra præsuppositos pro priori ad eam effectionem. Cuius oppositū nescio, quo iure nobis tribuerit P. Ripal. Pars affirmatiua huiûs consectarij liquet ex superioribus. Pars negatiua patet. Tum, quia, eo prçcisè, quòd pro priori ad actionē exteriorē volūtas determinet ipsam efficaciter in ordine ad talē finē ipsaque sequatur depēdēter ab eo imperio, iam satis intelligitur exercita propter talē finē. Tum, quia licet impossibile sit poni actū per modum medij in ordine ad consequendū finē, quin detur nouus, & maior voluntatis accessus ad finē, quàm simplex cōplacentia; quòd tamen iste nouus accessus nō sit causa medij; ac proinde præsuppositus ad effectionē physicā ipsius; sed oporteat, vt sit non causa medij, pureque comitanter se habens cum illo, ridiculè diceretur. ¶ Proinde, quāuis in nostris principijs necéssarium sit, superiorē esse, cæteris parib⁹ in affectû formali finis eum, qui quatenus est ex suâ determinatione voluntariâ, ponit, ac refert mediū in talē finem; inferioremque esse, qui præcisè habet simplicē affectionē erga finē; non tamen negamus posse supernaturaliter contingere, vt positis duobus hominibus affectiuè æqualibus in affectû finis, ponat alius in effectû mediū propter finē; alius verò non. Si enim Deus disponeret, vt ęqualiter imperantibus Petro, & Paulo actum exteriorem eleemosynæ ad finem satisfaciendi pro peccatis, poneretur talis actus, à Petro per depēdentiā ab eo imperio; at, à Paulo citra eā dependentiam: tunc quoad effectum poneretur talis actus à Petro propter talem finem; à Paulo verò nō quoad effectum; sed præcisè quoad affectum.

21 Quæres primò. An, si reflexè per vnum actū ametur alius in ordine ad finē; simplici tamē, & inefficaci affectû, ponaturque in executione actus amatus, id sufficiat, vt talis actus sit propter eum finem? V. g. videt quis vtilissimum esse charitatis actum ad finem satisfactionis, quo viso erumpit in hoc desiderium de se simplex, & inefficax * Vtinam ponerē actum charitatis, vt ita satisfacerem pro peccatis * Præterea ponit re ipsa charitatis actum. Quæritur, an hoc sufficiat, vt actus charitatis existat propter finem satisfaciendi? Suffice-

re,

re, vt existat propter finem satisfaciendi affectiuè secundùm quid, videtur citra dubium: quia hoc non est aliud, quàm ita existere, vt ametur ad hoc, vt talis finis existat. Iam autem existit actus charitatis, & aliquomodo amatur, nempè per simplex desiderium, vt finis satisfactionis existat. Dubium ergo est, an id sufficiat, vt re ipsa, & quoad effectum existat actus charitatis propter finem satisfaciendi? Videtur mihi negandum. Tum, quia absolutè, & simpliciter existere per modum medij ad eum finem, importat absolutè, & simpliciter eligi in ordine ad consecutionem eius finis. At, in casû proposito non datur talis electio actûs charitatis absolutè, & simpliciter dicta; sed purum desiderium simplex eiûs actûs. Tum, quia ex apprehensione terminorum apparet, maiorem adhæsionem ad finem importari in ly *poni actum charitatis ad satisfaciendum*; quàm merum illud desiderium simplex.

22 Quæres secundò. An, si quis concipiat decretum efficax vniuersale obseruandi omnia præcepta ad finem obediendi, eoque decreto posito, instet præceptum charitatis, quod adimpleatur per actum charitatis non ordinatum ad finem obedientiæ, ordinatione distincta ab eo decreto vniuersali, sufficiens id sit, vt actus charitatis reipsâ, & quoad effectum existat propter finem obediētiæ? Nam, per id decretū omnes obseruationes, in quibus ipse actus charitatis includitur, ordinari affectiuè, saltem in confuso, ad finem obedientiæ, certum est. Dupliciter potest excogitari casus. *Primò*, vt cognito iam instante pro nunc præceptū de actu charitatis, voluntas efficaciter sic decernat * Volo statim ponere actum charitatis, & reliquas obseruationes præceptorum ad finem obediendi * Et in hoc casû non desideratur alius affectûs voluntatis, vt actus charitatis reipsâ, & quoad effectum existat ad finem obediendi; sed solùm restat, vt fiat per actionem physicam talis naturæ, quæ constituat actum charitatis in actû secundo dependentem ab eo decreto. Hæc patent ex dictis, *num.* 20. Secundò potest esse casus, in quo propositum illud vniuersale conceptum sit antequam præceptum de actû charitatis cognoscatur vrgere, posteaque aduenienté notitiâ de præcepto vrgente persistat idem propositum. In hoc euentû dicendum arbitror, actum charitatis non posse fieri reipsa, & quoad effectum ex vi eiûs decreti vniuersalis ad finem obediendi sine interuentû alterius

affectû, quo reflexè determinetur actus charitatis ad consecutionem eius finis.

23 Ratio est. Nam, quoties vnus actus non tàm vt ipse existat, quàm vt iam præexistens causet alium, requirit notitiam, quæ non deseruit immediatè, vt hic alius actus ponatur; sed vt eiûs positio reflexè ametur; certè, prior ille actus non habet vim immediatè causandi posteriorem: sed mediante alio affectû reflexo. Sic, vt sæpè insinuauimus in hâc disput. quia intentio satisfaciendì non tam requirit, vt ipsa existat, cognoscere actum charitatis, vt vtilē ad satisfaciendum, quàm, vt ea intentio iam existens causet actum charitatis, & quia ea notitia non tendit immediatè, sicut notitia bonitatis diuinæ ad positionem actus charitatis; sed ad electionem reflexam ipsiûs in ordine ad satisfactionem, idcirco, prædicta intentio non habet vim immediatè causandi actum charitatis; sed mediante electione reflexa ipsiûs ad finem satisfaciendi. At, in nostro casû reperiuntur enumerata: ergo propositum illud vniuersale non habet vim, vt immediatè fluat ex ipso actus charitatis ad finē obediendi; sed mediante aliò affectû reflexo eligēte charitatis actum ad finem obediendi. Minor patet. Nam primo, decretum efficax, quo voluntas statuit obseruare omnia præcepta, non petit vt agnoscatur, an actus charitatis sit positus in præcepto; sed quòd in re ponatur si præceptus sit. Secundò, vt ex vi eiûs propositì iam existentis ponatur actus charitatis, requiritur, quòd cognoscatur, vt præceptus. Propositū enim deponēdo, quòd præcipitur; solū determinat ad ponendū, quod præceptū esse innotescat. Demū: cognoscere actū charitatis, vt præceptū, est reprȩsētare ex parte illiûs speciale bonitatē. Repræsentatio autē obiecti, vt boni, nō tendit immediatè ad hoc, vt obiectū ponatur; sed ad hoc, vt ametur.

24 Ex eodem principio fluit decisio duplicis quæstiunculæ, quæ supersunt. Nam. Quæres tertiò. Si volūtas decernat efficaciter decreto disiunctiuo ad finem placendi Deo elicere statim actū religionis, vel actū misericordiæ, sufficietne elicere actū religionis, sine nouo affectû reflexo ipsiûs, vt talis actus religionis existat propter finē placendi Deo? Similiter quȩres quartò. Si voluntas decernat efficaciter decreto absoluto ex parte subiecti, & cōditionato ex parte obiecti ad finē placendi Deo ponere statim actū religionis, si nō eliciat actū misericordiȩ; ac deinde, videns, se non elicere actū misericordiæ, eliciat

actum

actum religionis, requireretur ne nouus affectus reflexus huius actûs, vt ipse existat propter finem placendi Deo? Ad primã quæstionem respondeo. *Primò*. Si ponatur vterque affectus, per decretum disiunctiuum statutus, neuter fit determinatè quoad effectum propter finem placendi Deo, si neuter per affectum reflexum determinatè eligatur ad talem finem. Tunc enim, neuter determinatè acceptus eligetur determinatè ad eum finem: esse autem determinatè quoad effectum, & non solùm disiunctiuè quoad affectum (vt in præsenti casû contingit) propter talem finem, est ita fieri, vt eligatur determinatè ad consecutionem eius finis, vt num. 21. dicebam in simili.

25 *Secundò* respondeo. Si decretum disiunctiuũ illorum actuum determinet ad vnum, quia exclusum est alterũ: v.g. ad actum religionis, quia exclusus est actus misericordię, adhuc tunc requiritur affectus reflexus, qui determinatè eligat actum religionis ad finem placendi Deo, vt talis actus reipsa, & effectiuè existat propter talem finem. Ratio sumitur ex *num.* 23. Nam, in isto casû tale decretum disiunctiuum non aliter causat determinatè actum religionis ad finem placendi Deo, nisi quia, suppositâ exclusione actûs misericordiæ, iam actus religionis apparet, vt quoddam bonum vnicè necessarium ad hoc, vt decretum illud disiunctiuum sortiatur effectum. Hæc autem notitia non tendit immediatè ad hoc, vt actus religionis ponatur; sed ad hoc, vt decernatur talis positio. Vide *num. cit.* Hinc patet responsio ad quartam quæstionem. Cum enim decretum illud conditionatum, quo statuis elicere actum religionis, si non elicias actum misericordiæ, non determinet, viso iam vt non existente actû misericordiæ, ad actum religionis, nisi quatenus ea visio monstrat, iam esse actum religionis quoddam bonum, & medium vnicè necessarium ad hoc, vt tale decretum conditionatum sortiatur effectum, planè fit, idem, quoad hoc, ferendum esse iudicium de prædicto decreto conditionato, ac nuper tulimus de disiunctiuo.

26 Hinc patet ratio discriminis, cur decretum prædictum disiunctiuum, similique proportione prædictum decretum conditionatum, non causent immediatè actum religionis, cognito iam, vt excluso actû misericordiæ; cum tamen tunc immediatè causent affectum reflexum electiuum actûs religionis. Ratio est, quia prædicta decreta sortiuntur vim

proximum determinatiuam, ac determinatè causatiuā actûs religionis ex coniunctione cum notitiâ ostendēte actū religionis, vt quoddam bonum, ac medium vnicè necessarium, ne talia decreta frustrentur effectū. Cum igitur ea notitia dirigat immediatè ad amorem electiuū actûs religionis; mediatè autem ad executionē actûs religionis, nihil mirum, talia decreta immediatè causare prædictum amorem electiuum reflexū; mediatè verò religionis actum. ¶ Ex dictis in hac disp. præ oculis semper habendum est, vnde sit petendum actum humanum existere *affectiuè* propter finem; & vnde *effectiuè*. Primū est æstimandū, præcisè ex affectû. Proinde, iuxta proportionē affectus est affectiuè propter finē. Hinc, ita est inefficaciter, & secūdū quid si affectus, quo placet talē actū humanū existere, vt talis finis obtineatur, sit quædā velleitas inefficax, & simplex. *Conditionatè*, si talis affectus sit cōditionatus. *Absolutè disiūctiuè, & efficaciter*, vel *absolute determinate* prout affect⁹ fuerit absolutus, disiūctiuus, efficax, aut determinatus. Secūdum est pensandum ex processione positiuâ in ordine ad consecutionem finis ex affectû finis. Iam verò, nihil mihi obijciendum occurrit, quod facillimè non soluatur ex dictis.

DISPVT. DECIMAQVARTA.

De humanorum actuum libertate, quæ dicitur libertas in actu primo.

EGIMVS de actibus humanis, vt voluntarijs in genere, prout ad nostrum institutum sufficit. Restat agendum de illis, vt liberis. Non est sermo de pura libertate à coactione, cuius meminimus *disp.* 2. *num.* 7. & 8. sed de libertate à necessitate, scilicet, de libertate indifferentiæ dominatiuæ, & electiuæ, per quam dominium habemus, vt pro nostro beneplacito determinemus, vel non determinemus nostros actus ad existendum. Claritatis gratia, determinationem nostram ad operandum vocabimus consensum; & non determinationem dissensum.

CAP.

CAP. I.

Quatenus ad potestatem liberam ad actum necessaria sit existẽtia omnium prærequisitorum ad ipsum?

1 QVanuis libera potestas nequeat coniungere *simul* cõsensum, ac dissensum; certum tamen est *simul* esse prę-ditam tùm facultate, per quam reuera habet in sua manû, ac dominio consentire; tum etiam facultate, per quam reuera habet in suâ manû, ac dominio dissentire. Id, quod antiqui significanter satis, quamuis aliquatenus barbarè, nobis tradidere vocibus illis, quibus in libertate dixerunt esse *simultatem* facultatum ad consensum, ac dissensum; non verò potestatem ad consensûs, ac dissensûs simultatem, cum hæc simultas omninò sit impossibilis. Igitur, in præsenti materiâ primo inquirimus, quomodo sit, vel non sit necessaria ad potestatem liberam ad consensum, ac dissensum existentia prærequisitorum ad consentiendum, & dissentiendum actualiter, & in exercitio? Obseruandum est. Requisita ad extrema libertatis (sic vocamus consensum, & dissensum) sunt in duplici differentiâ. Nam alia sunt talis conditionis, vt ad ipsorũ acquisitionem destinetur libera facultas. Sic, productio amoris requisita est ad amandum, nostraque libera facultas ad amandum, cum sit actiua amoris, destinatur ad ponendam productionem illiûs. Alia sunt requisita ad extrema libertatis; ita tamen, vt ipsa libertas non sit potestas medijs suis actibus acquisitiua ipsorum; sed potius illa præsupponi debent existentia ante actualia exercitia libertatis. Sic, iuxta sentẽtiã Patrum Dominicanorum, ad nostros consensus prærequiritur, quòd Deus prædetermінet nos ad ipsos: talis autem est ea prædeterminatio, vt nostrũ liberum arbitrium non sit medijs suis actibus potestas acquisitiua ipsiûs; sed ea debet ante nostrum consensum supponi, vt existens tanquam opus soliûs Dei.

2 *Assero primò*. Libera facultas ad consensum dari nequit sine posterioris generis prærequisitis ad ipsum. Loquamur, claritatis gratiâ, de prædeterminatione non disputando, detur ne, vel secus ad actus supernaturales, nec disputando, an ex illâ, vel aliunde sumenda sit efficacia gratiæ ad actus salutares, de quâ re tacendum omninò nobis erit, donec aliud

per Sedem Apostolicam liceat: loquamur de illâ in ordine ad actus liberos naturales. Dicimus ergo, si ea prædeterminatio habeat hæc duo, nempè prærequisitā esse ad consensum actualem, & à nostro libero arbitrio medijs suis vsibus acquiri non posse; sed oportere, vt ante ipsos supponatur existens, nō posse stare sine illâ actualiter existente, liberā facultatē ad consensū. Idem dicito de dissensû respectiuè ad prædeterminationē ad ipsum. Eâ verò arte proponemus, & cōfirmabimus argumēta, vt præclusæ maneant solutiones, quin opus sit eas cōmemorare, quod alibi, Deo dante præstabimus. Neque in hâc materiâ grauabor ea repetere, quæ sæpè in meis operibus inculcaui. Res enim est magni momenti, ex quâ pendet grauissimarum concertationū decisio. Quamobrē, dicamus cum D. Prospero in fine epistolæ ad Aug. quæ extat ante librum de Prædest. SS. *Necessarium, & vtile est etiam, quæ scripta sunt scribere, ne leue existimetur, quod non frequenter arguitur.*

Prosp.

3 Suadetur primò, Nā, qui non habet facultatē liberā ad ponendū cōsensū, vt essentialiter est, nō habet simpliciter verā, & realem potestatem liberam ad ponendū consensum. Sic, qui nō potest ponere hominem, vt animal rationale, nō potest absolutè ponere hominē, quia homo est essentialiter animal rationale. At, impredeterminatus ad consensum non habet facultatem liberam ad ponendum consensum, vt essentialiter est: ergo absolutè non habet facultatem liberam ad consentiendū. Minor probatur: quia cum prædeterminatio sit prærequisitum essentiale ad consensum, consensus est essentialiter coexistens tali prædeterminationi. Imprædeterminatus autem, cum careat prædeterminatione, simulque potestate acquisitiuâ ipsius, nequit habere potestatem liberam ad ponendum consensum, vt coexistentē prædeterminationi. Sicut ergo, idcirco non habeo facultatē liberam ad ponendas meas actiones, vt coexistentes cum conuersione Turcæ, quia mihi deficit talis conuersio, simulque potestas acquisitiua ipsius. Confirmatur. Imprædeterminatus ad consensum habet legitimam excusationem, quominus consentiat, quamuis ipsi præcipiatur consentire actualiter. Ergo non habet veram facultatem liberam ad consentiendum. Consequentia constat, & antecedens probatur. Quia caret prædeterminatione, quæ prærequiritur essentialiter ad consensum, & quam nequit pro suo arbitrio comparare. Exprobranti autem, non-consensum, quænam

res-

responsio potest adhiberi magis rationalis, quàm hæc * Non habebam, quòd omninò prærequiritur ad consensum; neque penes meum arbitrium erat illud acquirere * Sic incarceratus, petenti cur non adeat Ecclesiam, vt sacrum audiat? rectissimè responderet: quia careo solutione vinculorum, eaque requiritur ad eam operationem, & penes meum arbitrium nō est eam solutionem acquirere. Et quidem, qui hâc responsione; non se putaret satisfactum, iure optimo reputaretur stultus.

4 *Secundò*. Qui est in periculo mortis adeò graui, vt neque penes eius arbitrium sit ab eo periculo exire; neque illud periculum coniungere cum perseuerantiâ vitæ, non habet facultatem, vt perseueret in vinis: ergo, qui est in periculo dissensus adeò graui, vt neque penes eius arbitrium sit ab eo periculo exire; neque illud periculum coniungere cum consensu, non habet facultatem liberam ad consentiendum. At, hæc omnia competunt imprædeterminato ad consensum: ergo non habet eam facultatem liberam. Minor probatur. *Primò* enim est in periculo dissentiendi, seu non consentiendi, quod nunc pro eodem vsurpo. Nam, cum imprædeterminatio sit carentia prærequisiti ad consensum, non potest non reddere valdè proximum dissensum; proindeque periculum est dissentiendi. *Secundò*. Non est penes arbitrium imprædeterminati ab eo periculo imprædeterminationis exire: non enim est penès eius arbitrium prædeterminari. *Tertiò*; non est penes eius arbitrium imprædeterminationem ad consensum coniungere cū consensu: quia talis imprædeterminatio est carentia prærequisiti essentialis ad consensum, nulláque potestate coniungibilia sunt carere prærequisito essentiali ad consensum, & consentire.

5 *Tertiò* loquendo de Petro imprædeterminato ad consensum formetur hic syllogismus in *Ferio*.* Nullus imprædeterminatus ad consensum consentit: Petrus est imprædeterminatus ad consensum: ergo Petrus non consentit. * Posito autem, quòd præmissæ sint veræ, probo, non esse in Petro facultatem liberam ponendi consensum. Facultas libera ponendi consensum est facultas libera impediendi veritatem illius consequentis * Petrus non consentit * At; non est in Petro facultas libera impediendi talem veritatem: ergo neque ponendi consensum. Minor probatur. Quandò præmissæ, ex quibus legitimè infertur veritas consequentis, ita sunt veræ, vt non habeat Petrus libertatem euitandi veritatem ipsarum; non

non habet Petrus libertatem impediendi veritatem consequentis. Veritas nanque consequentis includitur in veritate præmissarum, ex quibus legitimè infertur; & proinde, iuxta irrefragabiles Dialecticæ regulas, qui, concessâ veritate præmissarum, negat veritatem consequentis, cogitur sibi contradicere. In præsenti autem, præmissæ syllogismi præformati sunt veræ, quia ponimus Petrum esse imprædeterminatum ad consensum. Deindè, Petrus non habet libertatem euitandi veritatem ipsarum. Illa enim maior * Nullus imprædeterminatus ad cōsensum consentit * est veritatis omninò necessariæ, & ab ipso quoque Deo ineuitabilis, sicut hæc, inquam recidit * Nullus carens prærequisito essentiali ad consentiendum consentit * Iam, illa minor * Petrus est imprædeterminatus ad consentiendum * est veritatis, ad cuius euitationem non habet Petrus libertatem, cum euitari imprædeterminationem sit prædeterminari, Petrusque non habeat libertatem acquisitiuam prædeterminationis. Ergo, &c. Hæc amplius in re simili prementur postea.

6 *Quartò*, vt quædam præcludam, quæ ex M. Ioāne Thomasio, doctissimisque Salmantinis afferri possent, obseruo. Quia voluntas nostra est causa secunda subordinata primæ causæ, duo sunt condistinguenda prærequisita ad consentiendum. Alia, quæ prærequiruntur ex parte voluntatis creatæ, vt habere in suo ordine vires sufficientes ad exprimendum consensum. Alia, quæ prærequiruntur ex parte causæ primæ, vt præmouere, ac prædeterminare (aiunt Thomistæ) voluntatem creatam ad consentiendum. Ex his, quæ ipsi dicunt, nobis liceat verissimè dicere duo. *Primum est*. Voluntas, sicut est potentia secunda; ita etiam est potentia cæca: & sicut, quia secunda, petit præmoueri physicè â Deo, vt consentiat; ita etiā, quia cæca, præmoueri intentionalitèr ab obiecto, & mediâ ipsiûs notitiâ duci, vt velit. *Secundum est*. Sicut in negotio consentiendi interueniunt voluntas diuina physicè præmouens, & creata volens; item obiectum intentionalitèr præmouens, & voluntas creata physicè causans suum consensum, & hæc omnia, cum ea subordinatione, vt creata voluntas non possit amare non præmota â Deo, & obiecto; ita in negotio sanandi ægrotum v.g. (vt innumera alia exempla missa faciam) duo interueniunt, nempè, natura medicamentis instructa, medendique ars, per quam eorum vires perspectæ sint, vt admoueātur

Thomas.

tur proficua; & remoueantur noxia. Et quidem ars, vt patet, ita subordinatur naturæ, vt nequeat opus sanandi, ad quod dirigitur, sine naturâ exercere.

7 Sic igitur disputo. Amor creatus, quia est exercitium potētiæ cæcæ, est essentialitèr ex præmotione intentionali obiecti mediâ sui notitiâ ducentis. Rursus: quia est exercitium agentis secundi est essentialitèr ex præmotione physicâ Dei. At, propter primam rationem, qui notitiâ careat obiecti amabilis, necnon facultate libera, vt in se excitet talem notitiam; caret libertate ad amandum, vt patet; quanuis alioqui nō desint prærequisita ad amandum condistincta ab illis, quæ ex parte obiecti exiguntur: ergo propter secundam rationem, qui careat præmotione physica Dei ad consentiendum, facultate quoque libera, vt illam acquirat; caret libertate ad consentiendum, quanuis adsint aliunde prærequisita condistincta ab illis, quæ petuntur ex parte Dei præmouentis. ¶ Præterea. Demus peritissimum medicum habere penitissimè perspectam infirmitatem ægroti, eidemque medicò notissimum esse medicamentum, ex parte naturæ, omninò requisitum ad sanitatem esse quoddam pharmacum, quod neque inuenitur; neque illud confici penès liberam facultatem medici est. Nūc sic. Non minus requiritur ad consensum nostrum, quòd Deus, & nostra voluntas concurrant, quàm ad sanādum ægrum ars, & natura. Atqui, ridiculum esset in casû posito dicere, medicum habere liberam facultatem ad sanandum ægrotum; quia scilicet, nihil deest ex pertinentibus ad artem; tametsi ex parte naturæ, desit medicamentum omninò requisitum, quod medicus propria industria, & natura nequit adhibere: ergo, neque dici potest, hominem impræděterminatum ad cōsensum, ideò habere facultatem liberam ad consentiendum, quia nihil illi deest ex requisitis pertinentibus ad causam secundam; tametsi, ex parte Dei prædeterminatio desit omnino requisita, quam homo libertate sua comparare nequit. Ratio à priori: quia dari in aliquo potestatem absolutè, & simplicitèr dictam ad effectum importat dari cuncta, quæ vndequaque requiruntur ad effectum, modò ea sint, ad quorum acquisitionem vires eiûs potestatis non tendunt.

8 Vt omittam alia, quæ facilè quisque depromere poterit ex dicendis cap. 3. placet in commendationem nostrarum rationum eas confirmare breuiter. *Primò* ex D. Aug. *Secundò*

ex

ex D Thom. Vt primum præstemus legatur Aug. de Prædest.
Aug. SS. cap. 2. ad medium, vbi nostram insufficientiam ad fidem
D. Tho. probat ex illo Pauli. 2. Corinth. 3. *Non sumus idonei cogitare*
Paul. *aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Verba Aug. sunt. *Quis enim non videat prius esse cogitare, quàm credere? Nullus quippè credit aliquid, nisi prius cogitauerit esse credendum. Quamuis enim raptim, quamuis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes anteuolent, moxque illa ita sequatur, vt quasi coniunctissima comitetur; necesse est tamen, vt omnia, quæ creduntur, præueniente cogitatione credantur.* Et post pauca. *Quod ergo pertinet ad religionem, atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismet ipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus; sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus ex Deo est.*

9 Ex quo testimonio argumenta, quæ fecimus ita confirmo; vel potius probo argumentum factum n. 7. Augustinianũ esse, vt quod in nobis fortè displicebit, in Magno Augustino placeat. Sicut prius est cogitare, quàm credere; ita, per vos, prius est prædeterminari à Deo, quàm consentire. Rursus. Sicut non habemus facultatem liberam ad comparandam primam cogitationem ad religionem, & pietatem cõducentem; sic, per vos, non habemus facultatem liberam ad comparandam primam prædeterminationem ad consensum; ac tandem, sicut propterea cogitatio illa, non ex nobismetipsis est; sed ex Deo; ita etiam vestra prædeterminatio. At, iuxta Augustinũ, quæ in cogitatione assignauimus, probant, non esse veram facultatem, & sufficientiam ad fidem, donec præueniens illa cogitatio veniat à Deo: ergo prorsus paria, quæ in vestra prædeterminatione ostendimus, probant non esse veram facultatem liberam ad consensum, donec veniat à Deo prædeterminatio ad ipsum. At, impræderminato non venit. Deest igitur illi talis potestas. Vel ergo nostrum argumentum probat, vel aliquid est addendum argumento Augustiniano, vt concludat, ab ipso Augustino omissum. Quapropter, argumentum tanti Doctoris, vt ab ipso formatum est, mutilum erit.

10 Secundum præstabimus, si duo certissima breuitèr præ libentur. *Primum.* Prædeterminatio ad consensum est principium consensus. Tum, quia est quoddam, ad consentiendum, præ-

prærequisitú: post seipsum afferens posterioritate naturæ consensum. Tum; quia iuxta ipsius Autores, est vis, per quã Deus facit, vt faciamus, per quam facit nos consentire. Tum, quia nulli venit in dubium cogitationem obiecti, quæ ad amorem præuiè inclinat alliciendo, principium esse amoris: ergo, nec dubitandum est, prædeterminationem, quæ ad cõsensum præuiè inclinat determinando, principium esse consensûs. *Secundum.* D. Thomas, vt probaret in diuinis esse ponendam potentiam respectu actuum notionalium, sic loquitur 1. *p. q 41. art 4. in corp.: Necesse est ibi ponere potentiam respectu huiusmodi actuum: cum potentia nihil aliud significet, quàm principiũ alicuius actus.* Vnde colligitur primò, prædeterminationem esse potentiam ad consensum. Nam, vt vidimus, est principiũ consensûs. Colligitur secundo, non obstare, quominus habeat rationem principij, & potentiæ ad consensum, quòd sit adeò cum consensû connexa, vt neque diuinitùs possit à consensû diuidi. Nam, ex D. Thom. loc. cit. principium, quo Pater generat verbum, & principium, quo Pater, & Filius spirant Spiritum S. habent rationem potentiæ, & principij respectû generationis, & spirationis passiuarum; à quibus tamen neque diuinitùs diuidi queunt.

11 Sic igitur disputo. Qui neque habet ad consentiendum facultatem liberam remotam; neque proximam, nullam habet. At, imprædeterminatus neutram habet: ergo nullam. Minor probatur; quoad proximam. Non enim est in genere potentis proximus consensui, cui deest aliquid in genere potentis ad consensum, quo sit consensui proximior. Quemadmodum non est Madrito proximus in genere locati corpus illud, inter quod, & Madritum est aliud locatum proximius Madrito; ac proinde, cui in genere locati aliquid deest, quo proximior redderetur. At, imprædeterminato deest prædeterminatio ad consensum, quâ positâ redderetur proximior consensui, vt patet, eáque prædeterminatio est de genere potentiæ ad consensum, vt collegimus ex D. Thom. *num.* 10. ergo non habet facultatem liberam proximam ad consensum. Probatur iam, non habere remotam. Sicut enim vis remotè actiua est, quæ potest proximè ponere vim actiuam proximã: ita facultas libera remota ad cõsensum est, quæ potest pro suo arbitrio proximè ponere potestatem proximam. At, imprædeterminatus nequit pro suo arbitrio acquirere prædetermi-

nationem,

nationem, quæ, ex dictis; est potestas proxima ad consensum: ergo non habet facultatem liberam remotam ad consentiendum.

12 Quæ omnia descendunt ex notissimo principio, nempe illum non habere facultatem simplicitèr liberam ad consecutionem finis, cui deficit medium omnino necessarium ad eam consecutionem; & ita deficit, vt penes arbitrium ipsiûs non sit illud habere. Prædeterminatio autem est medium omninò necessarium ad consentiendum; quod medium deficit imprædeterminato, & simul ita deest, vt penes arbitrium ipsiûs non sit illud habere. Quocirca, vt ingenuè meam tarditatem fatear, sane, his positis, tàm imperceptibile mihi videtur, imprædeterminatum habere facultatem liberam ad consentiendum, quã hominem à Madrito distantem habere facultatem liberam, vt in Madriti termino se constituat; quanuis ad hoc ex vnâ parte sit necessarium transire per medium, & aliunde non habeat facultatem liberam ad eum transitum. Vnde, non mirum Eminentiss. Cardinalem Caietanum disputantem cum Scoto de motione, quâ Deus mouet causas secundas ad operandum 1. p. quæst. 19. art. 8. vers. *Ad primam autem rationem Scoti* (non ad secundam, vt alibi per lapsum calami dicebatur) in impressione Romanâ anno 1570. hæc dixisse. *Non enim oportet cum aliquis vult aliquid, seu cum Sol illuminat, primam causam PRÆVIA motione cooperari; sed sufficit, & exigitur eam intrinsecè cooperari tali electioni, vel illuminationi. Et hoc, quia cooperatio in vnoquoque est secundum naturam vniuscuiusque, sic enim disponit omnia suauiter. Vnde siue necessario, siue liberè cooperetur Deus, nihil minus creata voluntas liberè vtitur illa cooperatione.* Vbi vides ad seruandam suauem dispositionem Dei non adimentis causis liberis modum operandi libere, exclusisse Doctorem istum Subtilissimum, & in mente D. Tho. interpretanda facile Principem, quòd motio præuia sit necessariò requisita, solumque admittere requisitũ esse concursum simultaneum.

Caietan.

CAP. II.

Concluditur materia præcedentis.

13 EX dictis fit primò. Si prædeterminatio, de qua loquuti sumus sit præerequisita ad consensum nostræ

vo-

voluntatis, non solùm iste consensus non erit liber; sed neque voluntas nostra erit capax, vt operetur liberè. Si enim ad operandum prædeterminatio præ requiritur, non erit capax ad operandum sine prædeterminatione prærequisitâ: operari autem liberè est operari sine prædeterminatione prærequisitâ, vt patet ex dictis: ergo non erit capax, vt operetur libere.

¶ Fit secundò. Prærequisita ad consensum, quorum existentiam nequit agens liberum pro suo arbitratû comparare, debent esse indifferentia ad consensum, & dissensum; & similitèr indifferentia esse debent prærequisita ad dissensum, quorũ existentia pro nutû nostro libero comparare non possumus. Probatur ex dictis. Quicquid includitur in dominio libertatis ad consensum, & dissensum est indifferens ad vtrunque. At, prædicti generis prærequisita includuntur in eo dominio: ergo sunt indifferentia ad vtrunlibet. Maior patet. Nam, alioqui dominium ad vtrunlibet non esset cum vtrolibet coniungibile, quo nihil implicatius. Minor constat ex dictis. Quia dominium libertatis coalescit ex existentiâ eorum prærequisitorũ ad exercitia libertatis, quæ per ipsa exercitia libertatis acquiri non possunt. Nam, vt probatum est, sine his, vt existentibus, non est potestas libera ad consensum, & dissensum.

14. *Assero secundò*. Dari potest absolute, & simpliciter libertas ad operationem, quanuis non existant actualiter prærequisita ad illam, quorum existentiam potest agens liberum pro suo arbitratû comparare. Suadetur à posteriori, & à priori. A posteriori quidem. Nam, demus tibi præcipi, vt ad consequendam salutem æternam eligas obseruationem mandatorum per electionem dependentem ab intentione præuiâ salutis. Tunc sic: si omittendo eam intentionem præuiam, omittas electionem, iure tibi vitio vertetur omisisse electionem præceptam, quippe, quam ponere posses, intentione præmissa. At, solum iure vertitur vitio omissio eius operationis, ad cuius positionem habes facultatem liberam simpliciter dictam: ergo talem libertatem habes ad eam electionem. Tunc vltra. At, non habes intentionem præuiam salutis prærequisitam essentialiter ad eam electionem: ergo in libertate simpliciter dicta non includitur existentia eorum prærequisitorum, quorũ existentiam potest agens liberum pro suo arbitratû comparare. ¶ A priori. Nam, vt in seqq. constabit, libertas ad extrema opposita est dominium vi cuius subijcitur agenti rationali

de-

determinare, & non determinare ad existendum talia extrema. Subijcitur autem determinatio, & non determinatio operationis illi, qui, tametsi careat aliquo prærequisito ad operationem, potest ponere tale prærequisitum, & postea operationem; nec non, & istam omittere, vel omittendo tale prærequisitum, vel etiam diuidendo operationem ab illo. Sic meo dominio subijcitur determinare, & non determinare ad existendum motum huiûs brachij, quia, tametsi nunc non habeã imperium efficax eiûs motus prærequisitum ad motum; possem tamen hunc imperare, & postea exequi; necnon, eiusdem motûs executionem impedire omittendo imperium efficax ipsiûs.

15 Multis tamen contendunt aduersarij, stare facultatem liberam ad consensum, quanuis desit aliquod requisitum ad ipsum; & aliundè in manû nostrâ non sit ipsius acquisitio. Tũ, quia non habens auxilium efficax ad consensum, habet potestatem liberam ad ipsum, cum imputetur ipsi ad culpam carere consensũ. At, non habet auxilium efficax, quod, & est prærequisitum ad consensum, & in nostrâ manû non est illud acquirere, quippè, quod est donum gratuitum Dei, pro solâ diuinâ libertate, ac liberalitate nobis obueniẽs. Tum, quia in manu reprobi est salutem æternam acquirere, & in manu prædestinati amittere. Tamen, reprobus caret prædestinatione, quã acquirere non potest, & est prærequisita ad consecutionem salutis æternæ. Item, prædestinatus caret reprobatione, quam acquirere non potest, & est prærequisita ad eiusdem salutis amissionem. Tum, quia ad actualem cõsensum requiritur, quòd auxilia conferantur cum scientiâ mediâ de consensu futuro sub illis; Dissentiens autem habet facultatem liberam ad consensum; & tamen neque habet auxilia collata cum eâ scientia cõsensus, quippe non consentit; neque habet facultatem liberam, vt habeat auxilia cum eâ scientiâ: id enim neque potest acquirere per dissensum, cum hic opponatur collationi auxiliorum cum scientiâ consensus; neque per consensum, cum ante consensum præsupponantur auxilia collata cum eâ scientiâ. Idemque argumentum potest fieri in consentiente comparato cum auxilijs datis in consortio scientiæ mediæ de dissensû.

16 Tum, quia, vt Antichristus v.g. suum peccatum euitet tempore postea futuro requiritur, quòd neque modo sit præscientia Dei; neque reuelationes diuinæ de peccato postea

com-

ommittendo, quippe sunt incompatibilia euitari postea pecatum; darique nunc eam præscientiam, & reuelationem de on euitando postea. At, veniente postea libertate Antichristi d committendum, & euitandum peccatum, neque deficit, uòd modo extiterint talis præscientia, & reuelatio; neque ha et Antichristus facultatem liberam, vt tales actus non extierint, cum ad præteritum non detur potentia. Stat igitur faultas libera ad euitandum peccatum sine requisito ad talem uitationem; simulque sine facultate libera acquisitiua talis equisiti. Tum, quia nihil est magis requisitum ad consenum, quàm ipse consensus. At dissentiens, etiã ex suppositione, uòd exerceat dissensum, habet potestatem liberam ad conentiendum, cum per exercitium libertatis non auferatur liertas; & tamen ex suppositione dissensus, neque habet conensum, vt patet; neque potestatem ad consensum, quia ex supositione dissentiendi necessarium est dissentire, repugnansque onsentire. Stat igitur facultas libera ad consentiendum, etsi imul sit verum deesse requisitum ad consentiendum, & potetatem acquisitiuam eius requisiti. Tandèm, quia vt sæpe cora nos instant aduersarij, sicut in ipsorum sententia concursus ræuius, & prædeterminans Dei requiritur ad actualem conensum, isque concursus deest dissentienti, & hic non habet poestatem liberam acquisitiuam eius prædeterminationis; sic pud nos requiritur ad actualem consensum concursus simulaneus Dei, talisque concursus dissentienti deest, isque dissentiens non habet facultatem liberam, vt Deus ipsi præparet alem concursum, cùm ea præparatio non sit opus nostrum; ed purum diuinæ libertatis exercitium anteuertens nostros sus liberos: ergo, vt his non obstantibus, in eo, cui deest cōursus simultaneus ad consensum, adest libera facultas ad cōnsum, idem aduersarijs dicere licebit de illo, cui deest conursus prædeterminans.

17 Hæc sanè concernunt grauissimas materias, quas non porteт perfunctoriè tractare. Breuiter tamen attingēda sunt, uæ locis notandis fuse discussimus. *Ad primum* dicere solēt ostri Autores (id, quod modo controuertendum non est) uo spectanda esse in auxilio efficaci. *Primum est* ipsa entiis gratiæ præuenientis vocantis nos ad consentiendum: & æc entitas minime deest dissentienti, quippe, qui vocatus ad onsensum præstat oppositum vitio suo. *Secundum est* infalli-

determinare,& non determinare ad existendum talia extrema. Subijcitur autem determinatio, & non determinatio operationis illi, qui, tametsi careat aliquo prærequisito ad operationem, potest ponere tale prærequisitum, & postea operationem; nec non, & istam omittere, vel omittendo tale prærequisitum, vel etiam diuidendo operationem ab illo. Sic meo dominio subijcitur determinare, & non determinare ad existendum motum huiûs brachij, quia, tametsi nunc non habeã imperium efficax eiûs motus prærequisitum ad motum; possem tamen hunc imperare, & postea exequi; necnon, eiusdem motûs executionem impedire omittendo imperium efficax ipsiûs.

15 Multis tamen contendunt aduersarij, stare facultatem liberam ad consensum, quanuis desit aliquod requisitum ad ipsum; & aliundè in manû nostrâ non sit ipsius acquisitio. Tũ, quia non habens auxilium efficax ad consensum, habet potestatem liberam ad ipsum, cum imputetur ipsi ad culpam carere consensû. At, non habet auxilium efficax, quod, & est prærequisitum ad consensum, & in nostrâ manû non est illud acquirere, quippè, quod est donum gratuitum Dei, pro solâ diuinâ libertate, ac liberalitate nobis obueniẽs. Tum, quia in manu reprobi est salutem æternam acquirere, & in manu prædestinati amittere. Tamen, reprobus caret prædestinatione, quã acquirere non potest, & est prærequisita ad consecutionem salutis æternæ. Item, prædestinatus caret reprobatione, quam acquirere non potest, & est prærequisita ad eiusdem salutis amissionem. Tum, quia ad actualem cõsensum requiritur, quòd auxilia conferantur cum scientiâ mediâ de consensu futuro sub illis; Dissentiens autem habet facultatem liberam ad consensum; & tamen neque habet auxilia collata cum eâ scientia cõsensus, quippe non consentit; neque habet facultatem liberam, vt habeat auxilia cum eâ scientiâ: id enim neque potest acquirere per dissensum, cum hic opponatur collationi auxiliorum cum scientiâ consensus; neque per consensum, cum ante consensum præsupponantur auxilia collata cum eâ scientiâ. Idemque argumentum potest fieri in consentiente comparato cum auxilijs datis in consortio scientiæ mediæ de dissensû.

16 Tum, quia, vt Antichristus v.g. suum peccatum euitet tempore postea futuro requiritur, quòd neque modo sit præscientia Dei; neque reuelationes diuinæ de peccato postea com-

committendo, quippe sunt incompatibilia euitari postea peccatum; darique nunc eam præscientiam, & reuelationem de non euitando postea. At, veniente postea libertate Antichristi ad committendum, & euitandum peccatum, neque deficit, quòd modo extiterint talis præscientia, & reuelatio; neque habet Antichristus facultatem liberam, vt tales actus non extiterint, cum ad præteritum non detur potentia. Stat igitur facultas libera ad euitandum peccatum sine requisito ad talem euitationem; simulque sine facultate libera acquisitiua talis requisiti. Tum, quia nihil est magis requisitum ad consensum, quàm ipse consensus. At dissentiens, etiã ex suppositione, quòd exerceat dissensum, habet potestatem liberam ad consentiendum, cum per exercitium libertatis non auferatur libertas; & tamen ex suppositione dissensus, neque habet consensum, vt patet; neque potestatem ad consensum, quia ex suppositione dissentiendi necessarium est dissentire, repugnansque consentire. Stat igitur facultas libera ad consentiendum, etsi simul sit verum deesse requisitum ad consentiendum, & potestatem acquisitiuam eius requisiti. Tandem, quia vt sæpe contra nos instant aduersarij, sicut in ipsorum sententia concursus præuius, & prædeterminans Dei requiritur ad actualem consensum, isque concursus deest dissentienti, & hic non habet potestatem liberam acquisitiuam eius prædeterminationis; sic apud nos requiritur ad actualem consensum concursus simultaneus Dei, talisque concursus dissentienti deest, isque dissentiens non habet facultatem liberam, vt Deus ipsi præparet talem concursum, cum ea præparatio non sit opus nostrum; sed purum diuinæ libertatis exercitium anteuertens nostros vsus liberos: ergo, vt his non obstantibus, in eo, cui deest cõcursus simultaneus ad consensum, adest libera facultas ad cõsensum, idem aduersarijs dicere licebit de illo, cui deest concursus prædeterminans.

17 Hæc sanè concernunt grauissimas materias, quas non oportet perfunctorie tractare. Breuiter tamen attingẽda sunt, quæ locis notandis fuse discussimus. *Ad primum* dicere solẽt nostri Autores (id, quod modo controuertendum non est) duo spectanda esse in auxilio efficaci. *Primum est* ipsa entitas gratiæ præuenientis vocantis nos ad consentiendum: & hæc entitas minime deest dissentienti, quippe, qui vocatus ad consensum præstat oppositum vitio suo. *Secundum est* infallibilitas,

determinare, & non determinare ad existendum talia extrema. Subijcitur autem determinatio, & non determinatio operationis illi, qui, tametsi careat aliquo prærequisito ad operationem, potest ponere tale prærequisitum, & postea operationem; nec non, & istam omittere, vel omittendo tale prærequisitum, vel etiam diuidendo operationem ab illo. Sic meo dominio subijcitur determinare, & non determinare ad existendum motum huiûs brachij, quia, tametsi nunc non habeã imperium efficax eiûs motus prærequisitum ad motum; possem tamen hunc imperare, & postea exequi; necnon, eiusdem motûs executionem impedire omittendo imperium efficax ipsiûs.

15 Multis tamen contendunt aduersarij, stare facultatem liberam ad consensum, quanuis desit aliquod requisitum ad ipsum; & aliundè in manû nostrâ non sit ipsius acquisitio. Tũ, quia non habens auxilium efficax ad consensum, habet potestatem liberam ad ipsum, cum imputetur ipsi ad culpam carere consensû. At, non habet auxilium efficax, quod, & est prærequisitum ad consensum, & in nostrâ manû non est illud acquirere, quippè, quod est donum gratuitum Dei, pro solâ diuinâ libertate, ac liberalitate nobis obueniẽs. Tum, quia in manu reprobi est salutem æternam acquirere, & in manu prædestinati amittere. Tamen, reprobus caret prædestinatione, quã acquirere non potest, & est prærequisita ad consecutionem salutis æternæ. Item, prædestinatus caret reprobatione, quam acquirere non potest, & est prærequisita ad eiusdem salutis amissionem. Tum, quia ad actualem cõsensum requiritur, quòd auxilia conferantur cum scientiâ mediâ de consensu futuro sub illis; Dissentiens autem habet facultatem liberam ad consensum; & tamen neque habet auxilia collata cum eâ scientia cõsensus, quippe non consentit; neque habet facultatem liberam, vt habeat auxilia cum eâ scientiâ: id enim neque potest acquirere per dissensum, cum hic opponatur collationi auxiliorum cum scientiâ consensus; neque per consensum, cum ante consensum præsupponantur auxilia collata cum eâ scientiâ. Idemque argumentum potest fieri in consentiente comparato cum auxilijs datis in consortio scientiæ mediæ de dissensû.

16 Tum, quia, vt Antichristus v.g. suum peccatum euitet tempore postea futuro requiritur, quòd neque modo sit præscientia Dei; neque reuelationes diuinæ de peccato postea com-

committendo, quippe sunt incompatibilia euitari postea peccatum; darique nunc eam præscientiam, & reuelationem de non euitando postea. At, veniente postea libertate Antichristi ad committendum, & euitandum peccatum, neque deficit, quòd modo extiterint talis præscientia, & reuelatio; neque habet Antichristus facultatem liberam, vt tales actus non extiterint, cum ad præteritum non detur potentia. Stat igitur facultas libera ad euitandum peccatum sine requisito ad talem euitationem; simulque sine facultate libera acquisitiua talis requisiti. Tum, quia nihil est magis requisitum ad consensum, quàm ipse consensus. At dissentiens, etiã ex suppositione, quòd exerceat dissensum, habet potestatem liberam ad consentiendum, cum per exercitium libertatis non auferatur libertas; & tamen ex suppositione dissensus, neque habet consensum, vt patet; neque potestatem ad consensum, quia ex suppositione dissentiendi necessarium est dissentire, repugnansque consentire. Stat igitur facultas libera ad consentiendum, etsi simul sit verum deesse requisitum ad consentiendum, & potestatem acquisitiuam eius requisiti. Tandem, quia vt sæpe contra nos instant aduersarij, sicut in ipsorum sententia concursus præuius, & prædeterminans Dei requiritur ad actualem consensum, isque concursus deest dissentienti, & hic non habet potestatem liberam acquisitiuam eius prædeterminationis; sic apud nos requiritur ad actualem consensum concursus simultaneus Dei, talisque concursus dissentienti deest, isque dissentiens non habet facultatem liberam, vt Deus ipsi præparet talem concursum, cum ea præparatio non sit opus nostrum; sed purum diuinæ libertatis exercitium anteuertens nostros usus liberos: ergo, vt his non obstantibus, in eo, cui deest cõcursus simultaneus ad consensum, adest libera facultas ad cõsensum, idem aduersarijs dicere licebit de illo, cui deest concursus prædeterminans.

17 Hæc sanè concernunt grauissimas materias, quas non oportet perfunctoriè tractare. Breuiter tamen attingẽda sunt, quæ locis notandis fusè discussimus. *Ad primum* dicere solẽt nostri Autores (id, quod modo controuertendum non est) duo spectanda esse in auxilio efficaci. *Primum est* ipsa entitas gratiæ præuenientis vocantis nos ad consentiendum: & hæc entitas minime deest dissentienti, quippe, qui vocatus ad consensum præstat oppositum vitio suo. *Secundum est* infallibilitas,

determinare, & non determinare ad existendum talia extrema. Subijcitur autem determinatio, & non determinatio operationis illi, qui, tametsi careat aliquo prærequisito ad operationem, potest ponere tale prærequisitum, & postea operationem; nec non, & istam omittere, vel omittendo tale prærequisitum, vel etiam diuidendo operationem ab illo. Sic meo dominio subijcitur determinare, & non determinare ad existendum motum huiûs brachij, quia, tametsi nunc non habeã imperium efficax eiûs motus prærequisitum ad motum; possem tamen hunc imperare, & postea exequi; necnon, eiusdem motûs executionem impedire omittendo imperium efficax ipsiûs.

15 Multis tamen contendunt aduersarij, stare facultatem liberam ad consensum, quamuis desit aliquod requisitum ad ipsum; & aliundè in manû nostrâ non sit ipsius acquisitio. Tũ, quia non habens auxilium efficax ad consensum, habet potestatem liberam ad ipsum, cum imputetur ipsi ad culpam carere consensû. At, non habet auxilium efficax, quod, & est prærequisitum ad consensum, & in nostrâ manû non est illud acquirere, quippè, quod est donum gratuitum Dei, pro solâ diuinâ libertate, ac liberalitate nobis obueniẽs. Tum, quia in manu reprobi est salutem æternam acquirere, & in manu prædestinati amittere. Tamen, reprobus caret prædestinatione, quã acquirere non potest, & est prærequisita ad consecutionem salutis æternæ. Item, prædestinatus caret reprobatione, quam acquirere non potest, & est prærequisita ad eiusdem salutis amissionem. Tum, quia ad actualem cõsensum requiritur, quòd auxilia conferantur cum scientiâ mediâ de consensu futuro sub illis; Dissentiens autem habet facultatem liberam ad consensum; & tamen neque habet auxilia collata cum eâ scientia cõsensus, quippe non consentit; neque habet facultatem liberam, vt habeat auxilia cum eâ scientiâ: id enim neque potest acquirere per dissensum, cum hic opponatur collationi auxiliorum cum scientiâ consensus; neque per consensum, cum ante consensum præsupponantur auxilia collata cum eâ scientiâ. Idemque argumentum potest fieri in consentiente comparato cum auxilijs datis in consortio scientiæ mediæ de dissensû.

16 Tum, quia, vt Antichristus v.g. suum peccatum euitet tempore postea futuro requiritur, quòd neque modo sit præscientia Dei; neque reuelationes diuinæ de peccato postea

com-

committendo, quippe sunt incompatibilia euitari postea peccatum; darique nunc eam præscientiam, & reuelationem de non euitando postea. At, veniente postea libertate Antichristi ad committendum, & euitandum peccatum, neque deficit, quòd modo extiterint talis præscientia, & reuelatio; neque habet Antichristus facultatem liberam, vt tales actus non extiterint, cum ad præteritum non detur potentia. Stat igitur facultas libera ad euitandum peccatum sine requisito ad talem euitationem; simulque sine facultate libera acquisitiua talis requisiti. Tum, quia nihil est magis requisitum ad consensum, quàm ipse consensus. At dissentiens, etiā ex suppositione, quòd exerceat dissensum, habet potestatem liberam ad consentiendum, cum per exercitium libertatis non auferatur libertas; & tamen ex suppositione dissensus, neque habet consensum, vt patet; neque potestatem ad consensum, quia ex suppositione dissentiendi necessarium est dissentire, repugnansque consentire. Stat igitur facultas libera ad consentiendum, etsi simul sit verum deesse requisitum ad consentiendum, & potestatem acquisitiuam eius requisiti. Tandem, quia vt sæpe contra nos instant aduersarij, sicut in ipsorum sententia concursus præuius, & prædeterminans Dei requiritur ad actualem consensum, isque concursus deest dissentienti, & hic non habet potestatem liberam acquisitiuam eius prædeterminationis; sic apud nos requiritur ad actualem consensum concursus simultaneus Dei, talisque concursus dissentienti deest, isque dissentiens non habet facultatem liberam, vt Deus ipsi præparet talem concursum, cum ea præparatio non sit opus nostrum; sed purum diuinæ libertatis exercitium anteuertens nostros vsus liberos: ergo, vt his non obstantibus, in eo, cui deest cōcursus simultaneus ad consensum, adest libera facultas ad cōsensum, idem aduersarijs dicere licebit de illo, cui deest concursus prædeterminans.

17 Hæc sanè concernunt grauissimas materias, quas non oportet perfunctoriè tractare. Breuiter tamen attingēda sunt, quæ locis notandis fusè discussimus. *Ad primum* dicere solēt nostri Autores (id, quod modo controuertendum non est) duo spectanda esse in auxilio efficaci. *Primum est* ipsa entitas gratiæ præuenientis vocantis nos ad consentiendum: & hæc entitas minime deest dissentienti, quippe, qui vocatus ad consensum præstat oppositum vitio suo. *Secundum est* infallibilitas,

 bilitas,

nationem, quæ, ex dictis; est potestas proxima ad consensum: ergo non habet facultatem liberam remotam ad consentiendum.

12 Quæ omnia descendunt ex notissimo principio, nempe illum non habere facultatem simpliciter liberam ad consecutionem finis, cui deficit medium omnino necessarium ad eam consecutionem; & ita deficit, vt penes arbitrium ipsiûs non sit illud habere. Prædeterminatio autem est medium omninò necessarium ad consentiendum; quod medium deficit impræde-terminato, & simul ita deest, vt penes arbitrium ipsiûs non sit illud habere. Quocirca, vt ingenuè meam tarditatem fatear, sane, his positis, tàm imperceptibile mihi videtur, imprædeterminatum habere facultatem liberam ad consentiendum, quā hominem à Madrito distantem habere facultatem liberam, vt in Madriti termino se constituat; quamuis ad hoc ex vnâ parte sit necessarium transire per medium, & aliunde non habeat facultatem liberam ad eum transitum. Vnde, non mirum Eminentiss. Cardinalem Caietanum disputantem cum Scoto de motione, quâ Deus mouet causas secundas ad operandum 1. p. quæst. 19. art. 8. vers. *Ad primam autem rationem Scoti* (non ad secundam, vt alibi per lapsum calami dicebatur) in impressione Romanâ anno 1570. hæc dixisse. *Non enim oportet cum aliquis vult aliquid, seu cum Sol illuminat, primam causam PRÆVIA motione cooperari; sed sufficit, & exigitur eam intrinsecè cooperari tali electioni, vel illuminationi. Et hoc, quia cooperatio in vnoquoque est secundum naturam vniuscuiusque, sic enim disponit omnia suauiter. Vnde siue necessario, siue liberè cooperetur Deus, nihil minus creata voluntas liberè vtitur illa cooperatione.* Vbi vides ad seruandam suauem dispositionem Dei non adimentis causis liberis modum operandi libere, exclusisse Doctorem istum Subtilissimum, & in mente D. Tho. interpretanda facile Principem, quòd motio præuia sit necessariò requisita, solumque admittere requisitū esse concursum simultaneum.

Caietan.

CAP. II.

Concluditur materia præcedentis.

13 EX dictis fit primò. Si prædeterminatio, de qua loquuti sumus, sit præerequisita ad consensum nostræ

vo-

voluntatis, non solùm iste consensus non erit liber; sed neque voluntas nostra erit capax, vt operetur liberè. Si enim ad operandum prædeterminatio prærequiritur, non erit capax ad operandum sine prædeterminatione prærequisitâ: operari autem liberè est operari sine prædeterminatione prærequisitâ, vt patet ex dictis: ergo non erit capax, vt operetur libere.

¶ Fit secundò. Prærequisita ad consensum, quorum existentiam nequit agens liberum pro suo arbitratû comparare, debent esse indifferentia ad consensum, & dissensum; & similiter indifferentia esse debent prærequisita ad dissensum, quorũ existentia pro nutû nostro libero comparare non possumus. Probatur ex dictis. Quicquid includitur in dominio libertatis ad consensum, & dissensum est indifferens ad vtrunque. At, prædicti generis prærequisita includuntur in eo dominio: ergo sunt indifferentia ad vtrunlibet. Maior patet. Nam, alioqui dominium ad vtrunlibet non esset cum vtrolibet coniungibile, quo nihil implicatius. Minor constat ex dictis. Quia dominium libertatis coalescit ex existentiâ eorum prærequisitorũ ad exercitia libertatis, quæ per ipsa exercitia libertatis acquiri non possunt. Nam, vt probatum est, sine his, vt existentibus, non est potestas libera ad consensum, & dissensum.

14. *Assero secundò*. Dari potest absolute, & simpliciter libertas ad operationem, quamuis non existant actualiter prærequisita ad illam, quorum existentiam potest agens liberum pro suo arbitratû comparare. Suadetur à posteriori, & à priori. A posteriori quidem. Nam, demus tibi præcipi, vt ad consequendam salutem æternam eligas obseruationem mandatorum per electionem dependentem ab intentione præuiâ salutis. Tunc sic: si omittendo eam intentionem præuiam, omittas electionem, iure tibi vitio vertetur omisisse electionem præceptam, quippe, quam ponere posses, intentione præmissa. At; solum iure vertitur vitio omissio eius operationis, ad cuius positionem habes facultatem liberam simpliciter dictam: ergo talem libertatem habes ad eam electionem. Tunc vltra. At, non habes intentionem præuiam salutis prærequisitam essentialiter ad eam electionem: ergo in libertate simpliciter dicta non includitur existentia eorum prærequisitorum, quorũ existentiam potest agens liberum pro suo arbitratû comparare. ¶ A priori. Nam, vt in seqq. constabit, libertas ad extrema opposita est dominium vi cuius subijcitur agenti rationali de-

committendo, quippe sunt incompatibilia euitari postea peccatum; darique nunc eam præscientiam, & reuelationem de non euitando postea. At, veniente postea libertate Antichristi ad committendum, & euitandum peccatum, neque deficit, quòd modo extiterint talis præscientia, & reuelatio; neque habet Antichristus facultatem liberam, vt tales actus non extiterint, cum ad præteritum non detur potentia. Stat igitur facultas libera ad euitandum peccatum sine requisito ad talem euitationem; simulque sine facultate libera acquisitiua talis requisiti. Tum, quia nihil est magis requisitum ad consensum, quàm ipse consensus. At dissentiens, etiã ex suppositione, quòd exerceat dissensum, habet potestatem liberam ad consentiendum, cum per exercitium libertatis non auferatur libertas; & tamen ex suppositione dissensus, neque habet consensum, vt patet; neque potestatem ad consensum, quia ex suppositione dissentiendi necessarium est dissentire, repugnansque consentire. Stat igitur facultas libera ad consentiendum, etsi simul sit verum deesse requisitum ad consentiendum, & potestatem acquisitiuam eius requisiti. Tandem, quia vt sæpe cōtra nos instant aduersarij, sicut in ipsorum sententia concursus præuius, & prædeterminans Dei requiritur ad actualem consensum, isque concursus deest dissentienti, & hic non habet potestatem liberam acquisitiuam eius prædeterminationis; sic apud nos requiritur ad actualem consensum concursus simultaneus Dei, talisque concursus dissentienti deest, isque dissentiens non habet facultatem liberam, vt Deus ipsi præparet talem concursum, cum ea præparatio non sit opus nostrum; sed purum diuinæ libertatis exercitium anteuertens nostros vsus liberos: ergo, vt his non obstantibus, in eo, cui deest cōcursus simultaneus ad consensum, adest libera facultas ad cōsensum, idem aduersarijs dicere licebit de illo, cui deest concursus prædeterminans.

17 Hæc sanè concernunt grauissimas materias, quas non oportet perfunctorie tractare. Breuiter tamen attingēda sunt, quæ locis notandis fuse discussimus. *Ad primum* dicere solēt nostri Autores (id, quod modo controuertendum non est) duo spectanda esse in auxilio efficaci. *Primum est* ipsa entitas gratiæ præuenientis vocantis nos ad consentiendum: & hæc entitas minime deest dissentienti, quippe, qui vocatus ad consensum præstat oppositum vitio suo. *Secundum est* infallibilitas,

bilitas, quam tale auxilium affert de consensu futuro: & hæc infallibilitas deest quidem dissentienti libere; ipse tamen dissentiens habet facultatem liberam ad acquirendam eam infallibilitatem; quia illa petitur ex ipso nostro consensu, se toto procedente ex naturâ, & gratiâ; cumque dissentiens possit per vires gratiæ præuenientis, quam à Deo donatam habet, consensum habere, potest sibi acquirere prædictam infallibilitatem. Quamobrem, si vera est hæc sententia (de cuius veritate disputare non possum) nunquam in dissentiente libere coniunguntur, quòd, & ipsi desit requisitum ad consentiendū, & etiam potestas illud acquirendi; quia requisitum, quod nequit acquirere adest; quod autem deest acquirere potest. *Ad secundum* patet ex dictis *tract. de Prædestin. disput. 21. 4 num. 25.* vbi vidimus, & in manu reprobi esse illud acquirere, quod decretis, quibus Deus ipsi prouidet deest, vt sortiantur rationem prædestinationis requisitæ ad consecutionem salutis; & in manu prædestinati esse illud acquirere, quod decretis, quibus Deus ipsi prouidet deest, vt sortiantur rationem reprobationis requisitæ ad salutis amissionem.

18 *Ad tertiū* patet ex dictis tract. de Præd. disp. 4. c. 2. & seqq. in potestate dissētiētis esse, quòd ea auxilia, quæ de facto coniunguntur cū scientiâ media dissensus sub illis, nō cōiungātur cū ea sciētia; sed poti' cū opposita sciētia media cōsensus sub eisdem auxilijs: potestas autem ad hoc faciendum est potestas ad ipsum consensum absolutum, ad quem licet præsupponi possit scientia media consensus, non est necessarium, vt præsupponatur. Quo manet locus, vt ipse consensus absolutus sit æque primarium determinatiuum ipsius, ac consensus conditionatus: eademque proportionali ratione, ratiocinandum est de potestate consentientis ad acquirendam scientiam mediam dissensus, sub eisdem auxilijs, cum quibus de facto consentit. Hæc satis intelligi non possunt, nisi recolatur ea disputatio. *Ad quartum* patet ex dictis *tract. de Scientia Dei disp. 17.* vbi vidimus, ipsam libertatem, quam tempore venturo Antichristus habebit ad peccandum, & ad euitandum peccatum, esse potestatem liberam ad præstandum, ne vnquam extiterint præscientia, & reuelatio de ipsius peccato, non quasi ea libertas sit facultas libera ad componendum cum præextitisse talium actuum, eos non præextitisse; neque quasi sit libertas ad exercendam tunc aliquam impeditionem eorum

actuum

actuum non existentem tunc; sed existentem pro tempore anteriori; sed quatenus est facultas ponendi tunc euitationem peccati, quæ est impedimentum, quod tunc exerceretur; essetque exclusio, eorum actuum à tota æternitate, de quibus ibi multa.

19 *Ad quintum*, quod (si excipias Mag. & quorundam nominalium opinionem iam antiquatam) contra omnes est, qui in ipso instanti reali dissentiendi fatentur cum dissensu cõiûgi libertatem ad consensum, patet etiam *ex eadem disp. ut. de Scientia maximè num.* 10. Etenim argumenti minor æquiuocationem patitur. Nam, aliud est in ipso instanti reali, in quo ponitur dissensus, non esse potestatem liberam ad consensum, quæ de se sit exercibilis per consensum, quamuis ad hoc exercitium se impediat liberum arbitrium dissentiendo: eamque potestatem non dari in ipso instanti dissensûs est omnino falsum. Etsi namque dissensus pugnet cum consensû; ac proinde cum eo, quòd potestas ad consensum se exerceat consentiendo; non tamen cum eo pugnat, quòd ea potestas existat. Aliud autem est in ipso instanti reali, in quo ponitur dissensus, non esse potestatem liberam ad ponendum consensum, vt coniungendum cum eâ positione dissensûs: & hoc verissimum est: quia potestas libera, neque tunc; neque vnquam est ad coniunctionem extremorum contradicentium. Quia verò, quod ad consentiendum requiritur est consensus secundùm se, ad quem habet facultatem liberam ipse, qui dissentit; non autem ad cõsentiendum requiritur consensus, vt coniunctus cum dissensû, quâ ratione nulla potestas ad ipsum est, planè fit, liberè dissentientem habere potestatem liberam, vt acquirat requisitum ad consentiendum, quod ipsi deest.

20 *Vltimum*, quod adducitur de concursû simultaneo Dei, nunquam ego percipere potui, quo iure toties ab aduersarijs doctis, & ingeniosis obtrudatur. Nam, apud nostros Autores, concursus diuinus simultaneus ad nostrum consensum requisitus dupliciter accipitur. *Primò* præparatiuè, oblatiuè, & in actû primo. *Secundò* in actuali executione, in exercitio, & in actû secundo. Et quidem, quâ ratione liberè dissentiens non potest pro suo libito illum acquirere, ipse non deficit; sed existit; quâ vero ratione deficit, potest libere dissentiens acquirere illum pro suo libito. Explicatio est in promptû. Cõcursus simultaneus acceptus præparatiuè, &c. non est aliud,

quam decretum Dei, per quod Deus, quantum est ex se, in promptû est, vt ipsius omnipotentia nobiscum, pro nostro libito exequatur, aut non exequatur nostrum consensum. Hoc decretum est de se indifferens, vt consentiamus, & non consentiamus. Hoc decretum anteuertit exercitia nostræ libertatis. Nostra libera facultas non est ad acquirendam existentiam huius decreti; sed ad consentiendum, ac dissentiendum post ipsius existentiam. Cœterum, hoc decretum non deest, quando dissentimus; sed præsentialiter adest: quia etiam tunc Deus est in promptû, quatenùs ex se est, vt ipsiûs omnipotentia nobiscum, pro nostro libito, exequatur; aut non exequatur nostrum consensum. Iam verò, concursus Dei simultaneus acceptus in actuali executione, &c. est actio, per quam Deus, & simul nos ponimus in actuali exercitio nostrum consensum: & ista quidē actio dissentienti deest, vt patet; est tamen ita siue identificata, siue concomitanter; non tamen præuie, cum nostra consentiendi actione coniuncta; vt, secundùm nostros Autores, ipsa potestas libera nostra ad consentiendum sit potestas ad acquirendam talem actionem Dei. Patet ergo, quando dissentimus, illud ad consentiendum requisitum, cuius existentia non subest nostræ liberæ facultati, iam existere; illud autem, quod non existit, nostræ libertati subesse.

CAP. III.

Ea determinatio ad consentiendum, quæ ineuitabilis à nobis est, quoad suam existentiam, pugnat cum facultate libera ad consensum.

21 Vidimus, quarum rerum carentia pugnet cum facultate liberâ ad consentiendum (semper debitâ proportione seruatâ, idem dicatur ad dissentiendum) Videndum restat, quarum rerū existentia cum eâdē liberâ facultate pugnet. Vtque disputatio fluat expeditiùs, nonnulla præmittenda duximus. Sit *Primum*. Ad facultatem liberā cōsentiēdi requiritur libera dissentiendi facultas. Quia libertas est essentialiter facultas libera ad electionē, & non electionem rei, quæ libere ponitur: cūque electionē vocemus cōsensum, & nō electionē dissēsū, cōsequēs plane est, facultatē liberā cōsētiēdi

im-

importare simul facultatem liberam dissentiendi. *Secundò* præmitto verba illa D. Tho. 1. *p. q.* 83. *art.* 2. *ad* 2. *Facultas nominat quandoque potestatem expeditam ad operandum. Et sic facultas ponitur in diffinitione liberi arbitrij.* Quamobrem, cum facultas libera ad consentiendum importet facultatem liberam ad dissentiendum, plane fit, importare facultatem in aliquo vero sensu expeditam ad dissensum. *Tertiò* præmitto. Expeditio potestatis ad dissensum consistit in exclusione determinationis eiusdem potestatis ad consensum. Nam, ea expeditio consistit in exclusione impedimenti, quod obstat, quominùs ponatur ab ea facultate dissensus: quod autem huic obstat est, eam facultatem esse determinatam ad consensum. D. Tho.

22 *Quartò* præmitto. Non omnis determinatio voluntatis ad consensum pugnat cum facultate libera voluntatis ad dissensum; ac proinde, non omnis determinatio voluntatis ad cõsensum pugnat cum eâ expeditione ad dissensum, quæ est de ratione liberæ facultatis ad dissentiendum. Nunc autem, ad æquiuocationem tollendam, vocamus determinationem voluntatis ad consensum omne illud siue intrinsecum, siue extrinsecum volũtati; siue antecedens, siue comitans, siue subsequẽs ad consensum, quod ita cum illo connexum essentialitèr est, vt sit omninò inconiungibile cum carentia consensus; quidquid sit an voces illæ, *determinatio ad consensum*, strictissimè significent ea omnia; siuè laxe, de quo iam non curo. A posteriori ratio præmissi est. Nam alioquin nunquam aliquis ita cõsentiret in hoc instanti A. v. g. vt haberet liberam facultatem impediendi id, quod est consentire in instanti A. Peto nanque, quandonam detur eiusmodi facultas libera? An in ipso instanti reali consentiendi? Si affirmes: sanè cum tunc detur determinatio voluntatis ad consensum, iam ea determinatio cohæret simul cum facultate liberâ ad dissentiendum. Si neges: assigna aliud instans, in quo detur potestas impediendi id, quod est *cõsentire in instanti A.* Nõ potest assignari instans B. subsequens. Tum, quia benè quidem percipitur, quod in instanti B. sic te gerere possis, vt impedias consentire tunc; non tamen percipitur, quid possis præstare in B. quod excludat consensisse in A. cum non consentire in B. benè stet cum consensisse in A.

23 Tum, quia ideo, per te, in instanti A. in quo datur consensus non datur potestas libera ad dissensum, quia tunc datur

aliquid incompossibile cum dissensu, nempè, consensus ipse exercitus in instanti A. & , quia tunc consensus est necessarius, propterea quod omne, quod est ex suppositione, quod est necesse est esse. At, in instanti B. subsequenti dantur scientia æterna, decretumque Dei æternum de consensu, vt exercito in A. eaque scientia, & decretum sunt incompossibilia cum dissentire in B. & sicut necesse est, vt ex suppositione consensus non existat dissensus; sed consensus; ita necesse est, vt ex suppositione Dei, qua scientis, ac decernentis consensum, nō existat dissensus; sed consensus: ergo, si facultas libera ad dissensum non datur in instanti A. in quo exercetur consensus; neque dabitur ea facultas in instanti B. subsequente: & cum eædem rationes probent, vt applicanti constabit, respectiuè ad instans, quod antecedat ad A. patet sequela de tali potestate nunquā existente.

24 Ratio à priori nostri præmissi est: quia licet voluntatē se determinare ad consensum pugnet cum eo, quòd se exerceat per dissensum; non tamen cum eo, quòd sit absolutè, & simplicitèr potens se exercere per dissensum. Proinde, quamuis hoc sit impossibile * Voluntas se determinans ad consensum se exercet per dissensum * hoc tamen possibile est * Voluntas se determinans ad consensum est absolutè, & simplicitèr potens se exercere per dissensum * Tametsi nanque, dato dominio ad vsus oppositos, per vnum vsum impediatur alius; non tamen per vnum vsum excluditur dominium ad alium. Cum igitur libertas ad consensum nō petat expeditiorem potestatem ad dissensum, quàm potestatem absolutè, & simplicitèr valentem se exercere per dissensum, planè fit, determinationem, per quam voluntas se determinat ad consensum, non pugnare cum facultate libera voluntatis ad dissensum. Quibus rationibus excluditur sententia Magistri sentent. OKam. & Gabriel. putantium libertatem nō esse ad actiones præsentes; sed tantùm ad futuras. Cui sententiæ nuper subscripsit Doctor Complutensis Sacræ Theologiæ Primarius antecessor Ioannes Gonosalius de Castilla.

Magist. OKam. Gabr. Gonos.

25 *Quintò*, & vltimò præmitto, determinationem voluntatis ad consensum posse considerari bifariam. *Primò*, talis cō ditionis, vt existentiam eius determinationis excludere non possit ipsa dissentiendi potestas medio suo dissensu. *Secundò*, vt existentiam eius determinationis potestas dissentiendi queat

medio

medio suo dissensû euitare. Quænam autem sit determinatio vniûs cõditionis, quænã alteriûs, cõstabit ex dicẽdis disp. seq. Nunc in genere disputamus, an pugnet cum libertate ad consensum ea ad ipsum determinatio, cuiûs existentiam nequit voluntas medio suo dissensû euitare? Cõmunis sententia Theologorum Societatis, quos alibi retulimus, est affirmatiua. At, sententiam negatiuam communitèr tuetur illustrissima PP. Dominicanorum Familia. Affirmatiua sententia mihi est verissima, quam probo.

26 *Primò*. Nam omnis potens liberè dissentire potest ponere dissensum, vt essentialitèr est: sicut potens ponere hominem potest ponere animal rationale. Dissensus autem liber est essentialitèr diuisus à determinatione ad consensum: ergo potest illum ponere sic diuisum. At, nequit ponere illum sic diuisum, si determinatus sit ad consensum, & existentiam eiûs determinationis nequeat euitare. Sicut modo existẽte Rege Hispaniæ, manifestum est, nõ posse liberè exercere actiones ab eo diuisas, qui nequit eius existentiã euitare: ergo determinatus ad consensum, prædictâ determinatione, non est potens liberè dissentire. *Secundò*. Quoties duo coexistere nequeunt, vt alterũ existat requiritur alterum non existere: Determinatio autẽ ad consensum, ac dissensus coexistere nequeunt: ergo requiritur determinationem illam deesse, vt dissensus adsit. At, vt ponimus, illa determinatio non deest. Rursus, homo suo dissensû præstare nequit eam determinationem deesse. Non est igitur verè, & absolutè dominus dissentiendi. Quis enim percipiat, te habere absolutè penes tuum dominium exercere actionem, ad quam cares requisito necessario, quod comparare non vales? Mirum esset, prudentem virum magni pẽdere dominium hoc. Et quidem, si verum dominium est, fateor meam tarditatem, percipere non valeo, quomodo penès meum dominium non sit persuadere aduersarijs meam sentẽtiam. Quid enim refert necesse esse, vt ipsi assensum imperent, taleque imperium deesse; neque esse penes me quòd adsit, si similia non obstant, quominus determinatus prædictâ determinatione ad consensum habeat dominium ad dissentiendum?

27 *Tertiò*. Tantâ necessitate quantâ quis necessitatus est ad impedimentum dissensûs, necessitatus est ad non dissentiẽdum. At, determinatus prædicta determinatione ad cõsensũ,

 adeò

adeò necessitatus est ad impedimentum dissensus, vt non sit liber ad se expediendum ab illo: ergo adeo necessitatus est ad non dissentiendum, vt non sit liber ad dissentiendū. Maior patet. Nam impedimentum rei, vel est ipsum *non esse rei*; vel est aliquid ineuitabiliter inducens *non esse rei*. Patet autem non minori quempiam necessitate constringi ad *non esse rei*, quam constringitur ad id, quod vel est ipsum *non esse rei*; vel ineuitabiliter inducens tale *non esse*. Minor probatur. Nam, determinatione prædictâ necessitatus ad consensum, ita illam habet, vt eā excludere nequeat, & ab ea non possit se expedire: sermo enim est de huius generis determinatione. Atqui, determinatio ad consensum est impedimentum ad liberum dissensum: nā ea determinatio est omnino incompossibilis cum dissensu, nihilque magis obstat existentiæ rei, quàm omnino incōpatibile cum illâ: ergo determinatione prædicta determinatus ad cōsensum, adeò determinatus est ad impedimentum dissensus, vt non sit liber ad se expediendum ab illo, quippè, nullam habet facultatem, vt se expediat. Idem ostenditur alijs arguendi formis, quas oportet proponere, licet in eandem rationem recidant. Alius enim sic, & alius aliter mouebitur.

CAP. IIII.

Idem ostenditur alijs arguendi formis.

28 QVartò igitur suadetur. Qui sic necessariò haberet amorem infusum à Deo, vt nullam haberet facultatem liberam ad euitandum talem amorem, ita necessariò careret odio, vt nullam haberet libertatem ad positionem odij: ergo, qui sic necessariò determinetur ad consensum, vt nullam habeat facultatem liberam ad euitandam talem determinationem, ita necessariò carebit dissensu, vt nullam habeat libertatem ad positionem dissensus. Patet consequentia. Nam ideo antecedens est verum, quia amor est impedimentum odij secum afferens ineuitabiliter carentiam odij. At, determinatio ad consensum est impedimentum dissensus secum afferens ineuitabiliter carentiam dissensus: ergo etiam consequens est verum. ¶ *Quintò*, Qui est necessitatus ad consensum, sine libertate ad euitandum consensum, non habet facultatem liberam ad dissensum. At, determinatione prædicta determinatus ad consensum, est necessitatus ad consensum sine

libertate ad euitandum ipsum: ergo non habet facultatem liberam ad dissensum. Maior, & consequentia liquent. Minor probatur varijs modis. *Primò*. Nam, qui est necessitatus, vt existat causa essentialiter determinata ad sortiendum effectũ: & ad hoc aliunde tantâ necessitate tenetur, vt libertate careat ad euitandam existentiam talis causæ, manifestum est, non minori necessitate teneri ad existentiam effectûs. Quamobrem, si necessitatus sis, vt rite applicetur Petro sacramentum baptismi essentialiter determinatum, vt ritè applicatum causet gratiam: atque tantâ ad hoc necessitate tenearis, vt eam baptismi applicationem euitare non posis, certissimum est, te non habere libertatem, vt impedias effectum gratiæ. At, determinatus ad consensum determinatione, cuiûs existentiam euitare nequit, ita necessariò tenetur tali determinatione, vt careat libertate euitandi ipsiûs existentiam; eaque determinatio est causa essentialiter determinata ad sortiendum effectum consentiendi: ergo est necessitatus ad consensum sine libertate ad euitandum ipsum.

29. *Secundò* probatur eadem minor simili modo. Voluntas determinata ad consensum tali determinatione, cuiûs existentiam euitare non potest, nullâ verâ potestate prohibere queit, quòd prædicta determinatio sortiatur effectum consistentem in consensu voluntatis: ergo ipsa voluntas nullâ verâ potestate prohibere queit, quòd ipsa voluntas consentiat. Nam, voluntatem consentire, & prædictam determinationem sortiri effectum consistentem in cõsensû voluntatis idem sunt. Antecedens probatur: eam enim determinationem non sortiri effectum consentiendi, excogitari potest dupliciter. *Primò*, quatenus ea determinatio non existat; quo pacto nullum sortietur effectum. *Secundò*, quatenus ita existat, vt cassa maneat, nempè sine effectû consentiendi. Quemadmodum, dupliciter intelligi potest sacramentum non sortiri effectum gratiæ, vel quatenus non existat ritè applicatum, vel quia tametsi existat ritè applicatum maneat sine causatione gratiæ. At, voluntas nequit prohibere quominus talis determinatio sortiatur effectum consentiendi, præstando quòd ea determinatio non existat, quippè loquimur de determinatione, cuius existentiam nequit voluntas euitare; neque faciendo, quod ea determinatio, tametsi existat, maneat sine nostro consensu: id enim esset præstare, quòd ratio essentialiter determinata ad consensum

ma-

maneat sine consensu, proindeque maneat sine sua essentiâ: ergo nullâ viâ, nullâque verâ potestate prohibere queit nostra voluntas, quominus prædicta determinatio sortiatur effectum nostri consensus.

30 Confirmatur. Nam, vt optimè D.Th. *q.6.de malo art.vnic. ad 15. Illa causa, quæ facit voluntatem velle non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari.* Impedimentum scilicet obstans, quominus ea causa faciat voluntatem velle. At, voluntas nequit tale impedimentum præstare relatè ad determinationem prædictam: ergo ea determinatio non est annumeranda inter causas facientes voluntatem velle liberè; sed inter facientes velle necessariò. Minor patet *ex num.29.* nequit enim voluntas impedire, quominus ea determinatio sortiatur effectum, siue impeditâ existentiâ eiûs determinationis, siuè faciẽdo, vt tametsi existat maneat sine effectû. Sicut positâ ægritudine ineuitabiliter inductiuâ mortis, non posset medicus impedire, quominus mortis effectus accideret, si ęgritudinis existentiam remouere non posset. ¶ Confirmatur secundò. Nam, vt optimè Dominicani Salmantini. Si voluntas determinata ad consensum posset dissentire *compositiuè* cum ea determinatione, posset ab eâ tollere prædicatum infallibiliter efficacis ad inducendum consensum: ergo, si voluntas determinata ad consensum potest dissentire *diuisiuè* ab eâ determinatione, potest remouere eius existentiam. Nam, vt dissensus diuidatur ab ipsâ, non minus requiritur, quòd ipsa non existat, quàm, vt dissensus componatur cum ipsâ requiritur, vt ipsa non sit intrinsece, & infallibiliter efficax: ergo ab opposito consequentis, &c. Si voluntas nequit existentiam eius determinationis remouere, nequit ponere dissensum diuisiuè ab ipsâ.

31 Confirmatur tertiò. Qui necessitatus est ad informationem, per quam forma informet subiectum capax formalis effectûs, necessitatus est ad eum effectum formalem. Præterea. Si necessitas, quâ constringitur ad eam informationem tanta est, vt non habeat facultatem liberam ad impediendam existentiam eiûs informationis, similiter, necessitas, quâ constringitur ad effectum formalem tanta erit, vt non habeat facultatem liberam ad impediendam existentiam effectûs formâlis: ac demum, hæc omnia proueniunt ex eo, quòd prædicta informatio tam essentialiter coniuncta est cum effectû forma-

mali, vt neque diuinitus posſit ſeparari ab illo. Cum igitur determinatio, de qua loquimur, ad conſenſum, tam eſſentialiter coniuncta ſit cum conſensû, vt neque diuinitus poſſit ab illo ſeparari, conſequens eſt primò, neceſſitatum, vt eâ determinatione afficiatur, neceſſitatum eſſe ad conſenſum. Secundò, neceſſitatum, vt eâ determinatione afficiatur tanta neceſſitate, vt non habeat facultatem liberam excludendi talem determinationem, neceſſitatum eſſe ad conſenſum ſine libera poteſtate excludendi ipſum. At, determinatus ad conſenſum prædictâ determinatione, ita eſt neceſſitatus, vt eâ determinatione afficiatur, quòd non habeat facultatem liberam impediendi exiſtentiam eiûs determinationis: ergo tantâ neceſſitate conſtringitur ad conſentiendum, quòd non habeat facultatem liberam impediendi conſenſum.

32. Confirmatur quartò. Quoties datur extremum naturaliter inconiungibile cum alio, qui non habet facultatem liberam excludendi naturaliter tale extremum, non habet facultatem liberam naturalem ad ponẽdum alterum. Proinde, ſi gratia habitualis nõ poſſit naturaliter coniungi cum peccato, ſanè, qui haberet gratiam habitualem, ita vt naturaliter non poſſet eam excludere, nõ poſſet naturaliter peccare. Præterea. Quoties datur extremum moraliter incõiungibile cum alio, qui moraliter non eſt liber ad illud excludendum, non eſt moraliter liber ad excludendum aliud. Propterea, ſi Deus homini tribuat tam vehemẽtem vocationem ad conuerſionẽ, vt ea vocatio, moraliter loquendo, non poſſet eſſe ſine conuerſione, deindeque homo liber non ſit, vt excludat exiſtentiam eiûs vocationis manifeſtum eſt, eum hominem non habere moralem poſſibilitatem, vt non conuertatur. Ergo quoties datur extremum omni prorſus modo inconiungibile cum alio, qui nullo modo eſt liber ad illud excludendum, nullo modo erit liber ad excludendum aliud. At, determinatio de qua loquimur, & eſt omni modo inconiungibilis cum carentiâ conſenſus; & homo non eſt vllo modo liber ad excludendam exiſtentiam eiûs determinationis: ergo nulla illi manet libera poſſibilitas ad carẽtiam conſenſus; ſed omniinoda ad conſenſum neceſſitas.

33. Confirmatur quintò. Determinatus prædictâ determinatione ad conſenſum poteſt, per te, aliquâ verâ poteſtate euitare exiſtentiam conſensûs: ergo & euitare coexiſtentiam

tū eius determinationis cum consensû: quod tam est verū, quā posse euitare existentiā binarij, vt binarij, qui potest tollere vnam ex vnitatib', quib' coalescit. At, nequit facere, quòd ea determinatio nō coexistat cū cōsēsû: ergo neque, quòd nō existat cōsensus. Minor subiuncta probatur. Talē determinationē nō coexistere cum cōsensu, stat in eo, quòd vel talis determinatio nō existat, vel existat sine cōsensû: at nostra volūtas prꝺstare nequit, quod ea determinatio nō existat, quippè nequit ei' existentiam euitare; neque quòd existat sine consensû: id enim esset posse cum carentia consensûs cōponere id, quod est essentialiter incomponibile cum ea carentia: ergo nulla via potest nostra voluntas præstare, quòd ea determinatio non coexistat cum consensû. ¶ Hinc sextò. Determinatus ad consensum prædicta determinatione, est necessitatus ad hoc aggregatum sine potestate libera illud euitandi: *Existit determinatio ad consensum, & non existit sine consensu*: quia neque habet facultatem liberam euitandi existentiam eius determinationis, quæ est prior pars aggregati; neque habet potestatem liberam euitandi ly *nō existere hanc determinationē sine consensu*: hoc enim est omnino necessarium, & ab ipso Deo ineuitabile: sicut etiam ipsi Deo impossibile est, existere eam determinationē sine consensû. Ergo determinatus ad consensum prædictâ determinatione, est etiā necessitatus ad hoc aggregatum sine potestate liberâ ipsum euitandi: *Existit hæc determinatio ad consensum cum consensu*. Perinde namque est: *existit, & non sine consensu*, atque *existit cum consensu*. Atqui, necessitatus est ad consensum sine potestate libera illum euitādi, qui necessitatus est ad hoc aggregatum sine potestate liberâ ipsum euitandi: *Existit hæc determinatio ad consensum cum consensu*: ergo determinatus ad consensum prædicta determinatione est necessitatus ad consensum sine facultate libera ipsum euitandi.

34. Idem iterum explicatur confirmatione, quæ forsan apparebit euidens, si neque adsit animi præoccupatio, neque desit attentio. Et, vt breuioribus terminis facilius rem comprehendas, necessitatem simpliciter ad aliquid eam voco, quæ tanta est, vt excludat potestatem liberam ad oppositum in eo, qui tali necessitate premitur. Sic igitur disputo. Determinatus ad consensum prædicta determinatione ineuitabili, habet necessitatem simpliciter, vt vel deficiat ea determinatio, vel existat complexū ex ea determinatione, & cōsensû.

sû. Cum enim sit simpliciter impossibile determinationem essentialiter connexam cum consensû existere sine consensû, necessarium est simpliciter; proindeque necessarium omnibus, & à nullo euitabile, vel talem determinationem deesse, vel existere complexum coalescens ex ipsa, & consensû. At, ex aliâ parte determinatus ad consensum prædictâ determinatione ineuitabili, habet necessitatem simpliciter, vt non deficiat ea determinatio: qui enim coniungitur cum aliquo extremo sine facultate vitandi existentiam ipsiûs, habet necessitatem simpliciter, vt tale extremum detur: ergo determinatus ad consensum prædicta determinatione habet necessitatē simpliciter ad complexum ex determinatione, & consensû coalescens. Cum enim habens necessitatem simpliciter, vt vnum è duobus detur, & simul habens necessitatem simpliciter, vt alterū determinate non detur, habeat necessitatem simpliciter ad reliquum, plané fit, qui habet necessitatem simpliciter, vt vel excludatur prædicta determinatio, vel ponatur prædictum complexum, & aliunde habet necessitatem simpliciter, vt non excludatur prædicta determinatio, habere necessitatē simpliciter ad cōplexū ex eâ determinatione, & cōsēsû: ergo etiā ad consensum: cū sit manifestū, necessitatū simpliciter ad totum, esse necessitatū simpliciter ad quālibet partē inclusam in illo.

35 Huic instituto facilè aptabit, qui voluerit, alia, quæ dedimus *cap.* 1. maximè illud, quod ducebatur ex eo, quòd illi sit impossibile veritatem consequentis euitare, cui impossibile est euitare veritatem præmissarum, ex quibus legitimè infertur. Quocirca, rectè Arist. *lib.* 1. *poster. cap.* (apud me) 6. *post medium*, ait: *si necessariæ sunt sumptiones, & conclusionem esse necessariam oportet; sicuti ex veris nihil vnquam nisi verum efficitur.* Et vt D. Th. 1. *p. q* 14. *art.* 13. *in argumento* 2. optimè supponit tanquam indubitatum: *Ex principijs necessarijs non sequitur conclusio nisi necessaria.* Proindè, ex principijs nobis necessarijs non sequetur conclusio nisi necessaria nobis. *Aristo. D. Tho.*

¶ Iam verò contra principium hîc stabilitum, opponi possent plures actus intellectus diuini, necnon diuinæ voluntatis connexi essentialiter cum nostris actibus liberis; qui tamen nobis relinquunt facultatem liberam ad consentiendum, tametsi non sit in nobis libera facultas, vt ipsorum existentiam impediamus. Cæterum, tractatibus *de Scient. & Prædest.* fusè defendimus, quoslibet actus connexos essentialiter cum nostris

actis

actibus liberis, eo ipso, quòd nobis relinquant facultatem liberam ad dissensum, relinquere potestatem liberam ad præstādum, quòd illi ipsi actus nunquam extiterint. Ad eum modū, quo ipse consensus liber, quanuis nihil magis connexum cum ipso, quàm ipse, non pugnat cum nostrâ libertate, quia, vt supra dicebam contra Magist. & Nominal. coniungitur cum potestate libera impeditiua ipsiûs.

CAP. V.

An libertas proxima ad consensum positiue cōstituatur per exclusionem determinationis ineuitabilis; vel solùm importet præscissionem ab ea determinatione?

36 EX dictis cap. 3. & 4. clarè, ni fallor, deducitur, vnū ex constitutiuis essentialibus libertatis ad consensum esse exclusionem eiûs ad cōsensum determinationis, cuiûs existentiam excludere non potest liberum arbitrium medio suo dissensu. Probatur. *Primò*. Quia libertas ad consensum constituitur ex potestate ad dissensum, vt expedita ab ineuitabili determinatione ad consensum. Nam, vt vidimus ex B. Thom. aliqua potestatis expeditio in ordine ad dissensum imbibitur in libertate; nullaque alia potiori iure, quàm expeditio ab ineuitabili determinatione ad consensum. At, ea expeditio non est aliud, quàm eius determinationis exclusio: ergo talis exclusio est vnum ex constitutiuis libertatis. *Secundò*. Non deesse libertatem constituit libertatem in ratione existētis, quippè *non deesse*, & *adesse* solis vocibus distinguuntur. At, non deesse libertatem imbibit exclusionem eius determinationis: igitur ea exclusio vnum est ex constitutiuis libertatis in ratione existentis. Minor probatur. Nam, ea determinatio non solùm illatiuè; sed formalissimè est deesse libertatem: quidquid enim ex ea determinatione inferatur, nullo potiori nomine potest esse formalissimus defectus libertatis, quàm eo, quòd sit ineuitabilis determinatio ad vnum: ergo non deesse libertatem est exclusio prædictæ determinationis. *Tandem*. Potens libere dissentire, quatenûs liberè potens dissentire, constituitur per non esse alligatum ad oppositum, alligatione, quā soluere nequeat. At, ineuitabilis determinatio ad consensum est talis alligatio,

vt

vt intuenti terminos patebit: ergo potens, &c. constituitur in ratione talis per *non esse* talis determinationis. Quocirca, cum id, quod vocari solet *signum libertatis* nihil aliud sit reipsa, & ex parte obiecti significati, quam collectio constitutiuorum intrinsecè constituentium libertatem, consequens planè est, in signo libertatis imbibi prædictæ determinationis exclusionem.

37 At, contra veritatē istam nonnulli sunt paralogismi, quos oportet expedire. Primò igitur oppones. Sumamus voluntatem præscindendo ab eiusmodi determinatione, & ipsius exclusione; cum iudicio tamen, quod vocari solet indifferens, quo proponuntur rationes inuitantes pro vtraque parte; nempè hinc ad consensum; & illinc ad dissensum. Adde insuper præparationem omnipotentiæ diuinæ, vt concurrat cum voluntate humanâ ad exercitium consentiendi; vel dissentiendi. Tunc sic. In hac præcisione intelligitur voluntas potens consentire, ac dissentire: quippè intelligitur cum prærequisitis ad vtrunque, tum ex parte suæ virtutis, tum ex parte obiecti propositi; tum demum ex parte Dei. Aliunde, non intelligitur in ea præcisione determinata potius ad vnum extremum, quā ad aliud: ergo in ea præcisione est libera ad vtrunque: ergo talis libertas præscindit à prædicta determinatione, & eius exclusione. In primis, facilè posset simile fieri argumentum ad probādū non esse constitutiuū libertatis adambulandum solutionem á vinculis, quæ nequit incarceratus effringere. Deinde, transmittendum est nunc, an imbibatur exclusio ineuitabilis determinationis ad consensum in ipsâ præparatione omnipotentiæ diuinæ ad concurrendū nobiscum ad exercitiū consentiendi, vel dissentiendi. Admissâ igitur suppositione argnētis, nempè, talem exclusionem non imbibi in eâ præparatione omnipotentiæ. *Resp.*

38 In eâ præcisione intelligitur voluntas radicaliter potens consentire, ac dissentire: quia intelligitur cum virtute se exercendi vtrolibet modo, si per defectum aliorum requisitorum non stet. Tamen, in eâ præcisione, neque intelligitur proximè formaliter; neque proximè virtualiter potens consentire, aut dissentire, prout requiritur ad libertatem, vt statim explico; ac per consequens, in eâ præcisione non intelligitur libera; sed prout fuerint adiuncta, quæ adijciantur his, quę considerat ea præcisio, vel constituetur libera; vel constituetur

tur non libera. Iam verò, ratio cur in eâ præcisione non intelligatur voluntas eo modo potens ad vtrumlibet, quo requiritur ad libertatem, in promptû est ex dictis. Nam, vt voluntas sit simpliciter libera ad consensum, ac dissensum, necesse est, quod vel sit proximè potens ad vtrunlibet; vel posit pro arbitrio suo se reducere ad statum proximè potentis (hoc mihi significant illi termini, *Proximè potens, virtualiter.*) In eâ precisione neutrum istorum est; quia neque est exclusio determinationis ad consensum, quæ requiritur ad dissensum constituēdo potestatem proximè expeditam ad illum; neque est exclusio determinationis ad dissensum, quæ similiter requiritur ad consensum. Neque est in libero arbitrio potestas ad eiusmodi exclusiones, quia loquimur de determinationibus; quas nequit voluntas à se ipsâ excutere. Vnde, in eâ prçcisione non intelligitur voluntas libera. Si autem ijs, quæ considerat ea præcisio superaddantur exclusiones earum determinationum, constituetur voluntas in ratione liberæ; sicut in ratione necessitatę, si aliqua ex prædictis determinationibus adiungatur.

39 At, contra hanc solutionem replicabis, & oppones secundò. Præcisio voluntatis ab ineuitabili determinatione ad consensum, & similiter ab ineuitabili determinatione ad dissensum pugnat cum eis determinationibus ad consensum, ac dissensum: ergò sufficit ea prçcisio, vt voluntas sit libera. Consequentia patet: quia voluntatis libertas est ille ipsiûs status, quo pugnat cum ineuitabili determinatione ad vnum. Antecedens probatur. Quia voluntatem præscindere ab eis determinationibus est, neque illas dicere; neque dicere exclusiones ipsarum. Hoc autem pugnat contradictoriè cum hoc extremo * Dicere illas * Hæc est tyronum æquiuocatio nescientium significata terminorum. *Resp.* Nego antecedens. Ad probationem respondeo. Præcisio voluntatis ab eis determinationibus (loquendo reipsa, & ex parte obiecti) non est aliud quám adæquata distinctio voluntatis ab eis determinationibus, & exclusionibus ipsarum: quemadmodum essentiam hominis præscindere ab albedine, & carentiâ albedinis est esse quoddam tertium adæquatè distinctum ab his extremis coniungibile cum quolibet illorum: & sicut dominium libertatis præscindere à consensû, ac dissensû est esse quoddam tertium ab vtroque exercitio adæquatè distinctum, & cum vtrolibet componibile. Quocirca, ea voluntatis præscisio à prædictis

dictis determinationib' cũ eo quidẽ pugnat, quod volũtas idẽtificetur cũ illis; nõ cũ eo quòd existant: cũque ipsis existentib' euertatur libertas, fit, eam præcisionẽ nõ esse statũ oppositũ euersioni libertatis, ac per consequens, non esse statũ libertatis.

40 Oppones tertiò. Sufficit ad libertatem, quòd non causet consensum determinatio ineuitabilis ad ipsum; sed alia principia consona dominio libertatis. At, vt ea determinatio nõ causet cõsensum, nõ requiritur, quod ipsiûs determinationis existentia excludatur; sed sufficit, quòd excludatur causalitas, per quam causet consensum. Ergo non constituitur libertas per exclusionem existentiæ talis determinationis. *Respon.* Nego minorem. Quia de ratione determinationis positiuæ ad consensum ineuitabilis per dissensum est causare consensum. Nam eo ipso, quod non sit causa faciens ineluctabiliter voluntatem consentire, non est vnde habeat esse positiuam determinationem ad consensum, quæ sit ineuitabilis per dissensum, de quo nonnihil disp. seq. Quocirca, excludere ab eâ determinatione causationem est excludere existentiam illiûs in ratione positiuæ determinationis ineuitabilis, ac perconsequens, si ad constitutionem libertatis requiritur excludere ab eâ determinatione causationem; requiritur etiam excludere ab ea existẽtiam. ¶ Hinc fit *primò* implicatorium esse dicere, quòd ad libertatem sufficiat, eam determinationem excludere causalitatem circa consensum; & non requiri, quòd excludat existẽtiam: eo enim ipso, quòd sit positiua determinatio ineuitabilis, de quâ sermo est, si excludit eam causalitatem, excludit etiam existentiam. Fit *secundò*. Si quis fingat esse determinationem ad consensum, & quidem determinationem ineuitabilem per dissensum, quem alioquin posset ponere voluntas, nisi talis determinatio obstaret; & tamen eam determinationem non esse causam consensûs, sequeretur vtraque pars contradictionis, nempè, talem determinationem libertatem euertere, & eius exclusionem in libertate imbibi, & aliunde neque libertatem euertere; neque in libertate imbibi exclusionem ipsiûs.

41 Sequeretur primum. Nam, vt argumenta nostra probarunt, determinatio ad consensum ineuitabilis per dissensum pugnat cum libertate. Sequeretur secundum. Quia, non deficit libertas ad dissensum ex vi positiuæ determinationis ad consensum, quæ non est causa ineuitabilis cõsentiẽdi. Vnde neque requiritur, neque imbibitur in eâ libertate talis

 de-

determinationis exclusio. Fit *tertiò*, si fingatur qualitas prædeterminatiua consensûs, quam Deus infundat pro posteriori naturæ ad consensum, ea qualitas neque erit verè prædeterminans; sed voce tenus, quippè, quæ ad consensum iam determinatum sequitur; neque erit causa ineluctabiliter consensum inducens tanquam suum effectum; proindeque, neque erit ineuitabilis per dissensum, ac per consequens nihil mirum, neque libertatem euertere; neque illiûs exclusionem ad libertatem requiri. Vt enim dicemus *disp.* 15. ea solùm positiua determinatio ad vnum extremum libertatis obstat libertati, eiusque determinationis exclusio in libertate imbibitur, quæ ideo non relinquit facultatem liberam ad dissensum; ac proinde neque facultatem excludendi ipsam per dissensum, quia per modum causæ consensûs inducit ipsum irrefragabiliter. Ex quibus diluendum est vltimum argumentum, quod sic efformant ingeniosi Theologi ad persuadendum exclusionem determinationis, de quâ locuti sumus, non imbibi in constitutiuis libertatis; sed sat esse, quòd detur in instanti reali; in quò libertas exercetur.

42 Etenim, determinatio ineuitabilis ad consensum nō necessitabit ad consensum eo præcisè, quòd ad ipsum non præcedat prioritate causalitatis. At, ex eo præcisè, quod existentiâ careat in instanti reali, in quo exercetur consensus, non præcedet ad consensum prioritate causalitatis. Quod enim nō existit, quando exercetur consensus, non causat ipsum: ergo eo præcisè, quod existentiâ careat in eo instanti reali non necessitabit ad consensum, ac per consequens, relinquet libertatem ad dissensum. Igitur, vt eam libertatem relinquat, necesse non est eiusmodi carentiam claudi in ipsis constitutiuis potestatis liberæ ad dissensum. Explicatur, & roboratur. Eo præcisè, quòd eiûs determinationis carentia detur nunc, vel simul naturâ cum dissensû; vel pro posteriori naturæ ad dissensum non existit nunc ea determinatio: ergo neque nunc necessitat; sed potius libertatem relinquit: ergo, vt hæc libertas relinquatur sufficit dari nunc huius determinationis carentiam pro quolibet signo; tametsi non detur pro signo libertatis intrans in constitutiuis ipsiûs.

43 Obiectio quidem acuta, cuiûs tamen integra vis sumitur ex quâdam suppositione falsâ, quæ in eâ obiectione latet, scilicet, aliud, & aliud esse dari in instanti reali consentiendi,

di, vel dissentiendi liberè carentiam prædictæ determinationis ineuitabilis ad vnum; & ita dari, vt annumeranda sit inter constitutiua libertatis (hoc vltimum, nihilque aliud intelligo sub terminis illis: *Dari in signo proximæ potestatis ad dissensum.*) Hæc nanque non sunt aliud, & aliud; sed vnum omninò. Nam, de ratione carentiæ prædictæ determinationis ineuitabilis est, vt datâ libertate ad consensum, ac dissensum, constituat inadęquatè talem libertatem pro eo, ac probarunt argumenta facta *num. 36.* Quocirca, sicut in decreto diuino concurrendi cum igne ad hanc numero actionem non sunt aliud, & aliud existere in instanti huius actionis, & existere pręuiè ad ipsam prioritate causalitatis: nam ita præuiè existere est de ratione talis decreti; sic, proportione seruatâ, dicendũ est hic. Iam igitur detectâ radice deceptionis. Ad argumentum, concessis reliquis, negatur vltima consecutio. Si enim ad libertatem necesse est dari in instanti libertatis eam carentiã, necesse quoque est dari intra libertatis constitutiua: hoc enim; & illud sunt hîc omnino idem. Hinc, ad confirmationem. Suppositio, quę ibi fit est impossibilis, & vtranque partem contradictionis inferens. Ea enim suppositio est, in instanti libertatis dari carentiam eius determinationis: & ex hâc parte infertur non deesse tunc libertatem. Alia pars suppositionis est, eam carentiam non dari in instanti libertatis constituendo talem libertatem; sed pro alio signo extra cuncta libertatis constitutiua: & ex hâc parte infertur, iuxta notata, non dari eam carentiam; sed potiùs determinationem oppositam, & consequenter deesse libertatem.

DISPVT. DECIMAQVINTA.

Quomodo causæ liberæ se determinent ad suos actus?

DVO competunt causis liberis. *Primum*, non determinari ineuitabiliter ad vnum ab alijs causis. *Secundum*, determinare seipsas ad suos actus determinatione, quam pro suo nutu possunt euitare. De priori diximus

mus *disp.* 14. Dicemus nunc de posteriori, occasioneque arrepta dicentur, quæ circa primam desiderantur.

CAP. I.

Reijciuntur aliqua insufficientia ad explicandum proprium modum se determinandi agentium liberorum.

1 NIhil est siue communius, siue primis apprehensionibus magis consonum, quàm causas liberas, quâ liberas, non solùm exercere suas operationes; sed determinare se ipsas ad huiusmodi exercitium, idque discriminis esse inter ipsas, & causas necessarias; quòd istæ quidem se exercent in suis operationibus; non verò se ipsas determinant ad tale exercitium; illæ verò vtrunque præstant. Nulli clariùs, aut elegantiùs hoc discrimen expressere, quàm D. Th. & antiquiores Thomistæ. Nonnulla ipsorum verba proferre placet, quæ ad institutum præsentis disput. non parum facient. *Primo* D.

D. Tho. Thom. 1.2. *q.* 114. *art.* 4. *in corp:* ait, hominem esse liberi arbitrij, *in quantum habet præ cæteris creaturis, vt PER SE agat voluntarie.* Vbi ly *per se* non significat præcisè, quòd ipsiûs entitas agat. Nam, etiam agunt earum causarum entitates, quæ non habent liberum arbitrium. Ibi ergo sensus est, non per aliam causam; sed per ipsum hominem habentem liberum arbitrium determinari ipsiûs hominis agere. *Secundò* 1. 2. *q.* 1. *art.* 2. *in fine corp.* ait: *Propriũ est naturæ rationalis, vt tendat in finem, quasi se agens, vel ducens ad finem. Natura verò irrationalis quasi ab alio acta, vel ducta: siue in finem apprehensum, sicut bruta animalia: siue in finem non apprehensum, sicut ea, quæ omnino cognitione carent.* Vbi *se agere*, nõ est præcisé *agere*, vt patet, quod brutis, & inanimatis est commune; sed agere determinandò se ad agendum speciali modo, qui nõ conuenit expertibus liberi arbitrij.

2 *Tertiò* idem D. Th. *in* 2. *d.* 21. *q.* 1. *ar.* 1. *corp.* ait: *In solis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus; sed à quibusdam alijs causis prioribus.* Vbi vides discrimen liberi arbitrij ab alijs agentibus, iuxta Diu. Tho. inde sumendum esse, quod liberum arbitrium suas actio-

nes

nes determinat; actiones autem aliorum agentium determinãtur à causis prioribus. *Quartò* ibi *ad* 3. ait. *In rebus naturalibus operatur* (Deus) *sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutẽ agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamẽ determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur. Vnde, remanet sibi dominium sui actus: licet non ita sicut primo agenti.* Ecce causis naturalibus tribuit Deus virtutem agendi, cooperatur cum ipsis, & ad actionem prædeterminat. At, respectû causæ liberæ, tametsi duo priora munera exerceat; non tamen tertium prædeterminandi, idque requiritur, vt maneat penes liberum arbitrium dominium sui actûs. *Quintò* idem Præc. Ang. *in* 2. *dist.* 39. *q.* 1. *art.* 1. *corp.* ait. *Ipsa potẽtia voluntatis quãtũ in se est indifferẽs est ad plura: sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum non est ab alio determinante; sed ab ipsa voluntate. Sed in naturalibus actus progreditur ab agente: sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, &c.* Vbi cernis agentia libera, & naturalia in eo conuenire, quòd ipsorum operationes ab ipsis procedant; in eo tamen discrepant, quòd agentia libera à se ipsis determinant eas actiones; naturalia verò determinantur aliundè.

3 Imitantur D. Thomam antiquiores, & illustriores discipuli. D. Thomas 4. cont. gent. cap. 22. explicans quomodo Filij Dei à Spiritu Sancto agantur, vel agitentur hęc aurea verba nobis reliquit. *A Spiritu Sancto Filij Dei aguntur quodammodo, non sicut serui; sed sicut liberi. Cum enim liber sit, qui sui causa est, illud liberè agimus, quod ex nobis ipsis agimus.* At, quomodo liberi sunt causa sui, quomodo ex se ipsis agunt. An, quòd agant actionib⁹ incausatis à Deo? Quis ita insaniat? Quare igitur? Quia nõ ab alio; sed à se ipsis determinãtur. Audi Ferrar. ibi. §. Ad huius euidentiam. *Et si quidẽ actio illi determinetur ab altero omnino, ita quod ipsum non sit indifferens ad agendum; sed agat præcise secundùm inclinationem sibi ab altero ad vnum determinatam: sic dicitur simpliciter agi, sicut bruta dicuntur agi, &c. si autem actio non determinetur sibi ab altero; sed sic quidem moueatur ab altero; siue inclinetur ad agendum quòd tamen in potestate sua sit agere, & non agere, siue agere hoc modo, aut illo; tale dicitur agi non simpliciter; sed secundùm quid, quia non determinatur sibi actio ab extrin-*

secò ad vnū; sed ipsum se determinat; sed tamen aliqualiter inclinatur ad agendum ab extrinseco. Quia ergo sic Spiritus Sanctus, &c. Hæc verba videntur alicuius Autoris ex nostrâ Societate. Vbi vides, causas liberas distingui à necessarijs, quia istæ simpliciter aguntur, siue agitantur ad suas operationes; illa verò aliqualiter duntaxat, & secundùm quid. Vides secundò, id consistere in eo, quòd necessariæ determinantur ad vnum ab agente extrinseco; liberæ verò non ita determinantur ab alio, licet aliqualiter inclinētur, nempè, non inclinatione cui resistere nequeant: sed quam sequi, & cui resistere possunt. Vides, tertiò Spiritum Sanctum mouere nostram voluntatem hac suaui motione aliqualiter inclinatiuâ; non autem illa simpliciter determināte. ¶ Tandem ex Thomisticâ schola legātur apud P. Ripal. *tom. 3. cōtra Baiū disp. 15 sect. 11.* Capreol. Conrr. Caiet. Ægid. Rom. ac Deza; necnon plures alij aliarum scholarū; multoque copiosius apud Sapientissimum P. Ruiz *disp. 49. & 50. de Scientia Dei.*

Ripald. Capreol. Conrra. Caietan. Ægid. Vazq. Dez. Ruiz.

4 Fixum ergo sit, eatenus causas liberas, vt liberas distingui à causis necessariis quoad modum operandi, quatenus speciali quodam modo ipsæ se determinant ad suas operationes; secus verò causæ necessariæ. Quocirca, ad comprehendendam naturam libertatis oportet scire, in quo consistat eiusmodi specialis modus se determinandi; quod quidem facilius dicitur, quàm intelligitur. Nam. *Primò* munus istud se determinandi non consistit præcisè in se reducendo de potentiâ ad actum. Hoc enim est commune causis necessarijs: istę nanque, eo ipsô quòd operentur actualiter, se reducunt de statû potentium operari ad statum operantium actualiter. *Secundò*. Huiusmodi munus non stat in eo, quòd causæ liberæ, quanuis prædeterminentur ad exercendas suas operationes; prædeterminantur tamen ad exercendas ipsas per modum libertatis; non per modum naturæ. Sic solent Thomistæ dicere. Mihi tamen id valde difficilè est. Tum, quia prædeterminari ad operandum liberè, vel cum modo libertatis, implicatorium est, vt videbimus capit. 2. Tum, quia, vt constabit legenti testimonia D. Thom. & antiquorum Thomistarum iam adducta, sicut D. Thom. dat causis liberis se determinare; ita negat illis determinari ab alio. At, ipsę se determināt ad operandum liberè: ergo ad hoc non determinātur ab alio. Nam, alioquin tam determinarentur ab alio, quàm

quàm à se; proindeque falso negaretur vnum, & admitteretur alterum.

5 Tum, quia vel ratio operandi per modum libertatis importat causam operantem determinare se ipsam potiori ratione, quàm id importet ratio operandi per modum naturæ, vel non? Si primum, restat explicandum in quo stet ly *se deter minare causam*; quod splendet in vno modò operandi, prę alio. Si secundum: ergo licet operatio causæ liberæ, & operatio causæ necessariæ distinguantur; nam altera est operatio libera; & altera naturalis: discrimen tamen harum causarum non est ex eo petendum, quod causa libera determinet se ipsam; secus autem necessaria. Id, quod est contra D. Tho. vt patet ex superioribus, necnõ cõtra lumen rationis, cum libertas sit quoddã dominium, per quod causa libera optionem habet, vt, diuersis extremis sibi propositis, se determinet ad id, quod maluerit. Tum, quia iuxta verissimam D. Th. mentem luculenter explicatam à Ferrar. *n.* 3. Diuersitas irrationaliũ, & rationalium in eo stat, quòd illa magis agũtur ab alio; hæc minus. Illa simpliciter, & absolutè; hæc aliqualiter, & secundùm quid, illa inclinatione ineluctabili; hæc inclinatione resistibili, & abijcibili. Atqui, non ita id foret; sed potius æqualiter rationalia agentur, seu agitabuntur ab alio, quàm irrationalia, si vtraque prædeterminantur ab alio: illa ad operationem liberam; & hæc ad naturalem: ergo non sic prædeterminãtur.

6 Minor probatur. Nam minoritas agitationis ad motum metienda est, ex eo, quòd minus determinet agens ad existentiam motus. Vnde, si agitationes, siue impulsus ad motum sursum, & ad motum deorsum æqualiter ad motum sibi correspondentem determinant, æqualiter agitant. At, iuxta aduersarios, prædeterminatio ad motus liberos, æquè in rationalibus est inseparabilis, adhuc diuinitus, ab eis motibus, quàm prædeterminatio ad motus naturales est inseparabilis ab istis: ac proinde, quælibet æquè determinat, licet ad diuersos motus: ergo, si rationalia, & irrationalia prædeterminantur, æquè alia, atque alia in suis operationibus aguntur ab alio. Confirmatur. Actio vitalis, per quam brutum se mouet ab intrinseco ad appetitionem spontaneam; naturalem tamen; & actio vitalis, per quam homo se mouet ab intrinseco ad appetitionem liberam, æqualiter mouent ad appetitionem, licet ad appetitionem diuersam, quia propter ęqua-

lem connexionem cum appetitione, æqualiter vnaquæque motio transfert appetitionem de potentia ad actum. Ergo, si ex vnâ parte causæ liberæ, & causæ naturales prædeterminantur ad motus liberos, & naturales ; & aliùndè æqualiter vnaquæque istarum prædeterminationum à motû, ad quem determinat inseparabilis est, æquè causæ liberæ, ac naturales agentur ab alio.

7. *Tertiò* munus se determinandi non consistit in eo, quòd facultas valens oppositis modis se exercere, propositisque rationibus inuitantibus ad vtranque partem, se exerceat alio modò, præ aliò. Tùm, quia intellectus non se determinat ; sed à voluntate determinatur ad assensum opinatiuum obscurum ; & tamen intellectus potens est ad assensum, ac dissensum : alijsque rationibus ad assentiendum; & alijs ad dissentiendum inuitatur. Tùm, quia facultates locomotiuæ sunt indifferentes ad motum, & quietem : & hinc proponitur ratio ad motum ; inde verò ad quietem. Tamen, quando exercetur motus non determinant se ipsás; sed determinantur á voluntate ; ideoque non penes ipsas ; sed penes istam residet dominium libertatis. Tùm, quia bruta, v. g. canes possunt appetere motum, & fugam ab eo loco vbi panem ex vnâ parte vident, & ex aliâ hominem fuste minitantem malum ; & tamen quanuis per hanc notionem, quasi in perplexitate constituantur ; deinde tamen prosequentes panem non determinantur á se ipsis ; sed ab instinctû naturæ : ergo sicut ad munus se determinandi non sufficiunt, quæ recensuimus hîc ; ita non sufficiunt, quę excogitat modus dicendi, quem impugnamus.

8. *Quartò* munus se determinandi non in eo stat, quòd facultas volitiua spiritualis eliciat volitionem; inuitata quidem quatenus est ex parte intellectûs indifferenter ad volendum, & non volendum ; quanuis ex aliâ parte prædeterminetur ad volitionem. Non, inquam, in hoc stat huiusmodi munus. *Primò*. Demus casum, in quo iam vrgeat moralis necessitas peccandi venialiter nunc, quia scilicet, iam diu voluntas abstinuit à peccato veniali, & pro sua fragilitate moraliter est impotens diutius abstinere. Tunc sic. Quantum est ex vi iudicij intellectualis non est determinatio moralis ad peccatum, maximè, si vrgentiores rationes proponantur

nantur pro illo vitando, quàm committendo. Tamen, quia datur aliunde talis determinatio, voluntas non determinat se ipsam ad peccatum liberè moralitèr; sed purè physicè: ergo, quamuis non adsit ex vi iudicij intellectualis determinatio physica ad volendum; si tamen adsit aliundè, voluntas non se determinat ad volendum liberè physice. *Secundò*, ex dictis n. 7. Quamuis vtrinque apparente obiecto probabiliter, vt vero, maneat intellectus indifferens ex vi huiûs apparentię ad assensum, & dissensum; tamen non determinat se ipsum ad assensum, si prædeterminatur per imperium voluntatis; ergo quamuis ex vi iudicij intellectualis, hinc alliciatur voluntas ad amorem; inde verò ad odium; non tamen determinat se ipsam ad amorem, si prædeterminatur aliunde.

9. *Tertiò*. Tametsi volûntas ex vi iudicij intellectualis alliciatur hinc ad motionem exteriorem; inde verò ad quietem; dum tamen exercetur motiò exterior, non se determinat immediatè ad ipsam; sed solùm mediate; quia talis motio aduenit postquam voluntas iam est à se ipsâ determinata ad talem motionem per imperium efficax voluntatis: ergo quidquid sit de iudicio indifferenter alliciente ad vtrumlibet; tamen, dum voluntas amat, non determinabit se ipsam, siue immediate, siue mediate ad amorem, si non â se ipsâ; sed ab alio prædeterminatur. Non quidem immediate: quia amor præsupponit ipsam iam determinatam. Non mediate: quia ipsa non se determinauit ad eam prædeterminationem; sed pure sustinet impressam ab alio. *Quartò*. Humanitas Christi habet iudicium, quo scit optime commoditates mentiendi ad plures fines, & aliunde turpitudinem mendacij. At, quamuis præcise vi huius iudicij neque ad mentiendum; neque ad non mentiendum determinetur ea humanitas; tamen, non determinat se ipsam libere ad non mentiendum; quia sua est impeccabilitate ad hoc determinata: ergo, præter operari cum eo iudicio indifferente, aliquid aliud importat munus se determinandi. Quid sit hoc aliud inuestigamus. *Demum*. Quoties libere consentimus duplex datur indifferentia. Primam voco physicam actiuam consistentem in facultate intrinsecâ voluntatis ad consensum, & dissensum. Secundam voco directiuam, & intentionalem cõsistentem in iudicio, quantum est ex se indifferenter dirigẽte ad consensum, ac dissensum. Tunc sic. Non minus prodest ad libertatem indifferentia physica actiua ex parte volũtatis,

quàm

quam intentionalis directiua ex parte intellectus. At, physica non sufficit, superueniente iudicio determinato ad amorem, nempe visione beata, vt ipsis aduersarijs certissimum est: ergo neque ad se determinandum libere sufficiet indifferentia intẽtionalis, superueniente causâ physice prædeterminante. Hoc amplius roborabitur cap. 2.

10 *Quintò*, munus se determinandi nō satis explicatur per id, quod causa potens se exercere modis oppositis ita se exerceat, vt ante suum exercitium nō prædeterminetur ad ipsum. Ratio est. Quia habitus charitatis est causa potens se exercere per positionem actuum liberorum incompossibilium. Deinde, ante suum exercitium non prædeterminatur ad ipsum. At, habitus charitatis non determinat se ipsum ad positionẽ suorum actuum, cum non sit electiuus, & rationalis; sed determinatur à voluntate. Ergo, *&c.* Prior pars maioris ostenditur ex eo, quod ab habitû charitatis procedere potest actus, quo voluntas amet Deum propter bonitatem omnipotẽtiæ. Procedere quoque potest indiuisus actus, quo voluntas, & amet Deum propter bonitatem misericordiæ, & excludat amare propter bonitatem omnipotentiæ. Huiusmodi autem actus sunt incompossibiles, vt patet. Posterior pars maioris patet in scholâ Societatis, quæ nequaquam admittit virtutem ad actū liberum prædeterminari ad positionem ipsiûs. Quod si tibi difficultatẽ ingerat exẽplū petitū ab habitû charitatis, exemp. adhibe in auxilio gratiæ actualis disiunctiuè vocantis, vt vel decernas manere domi pro subuentione infirmi; vel, egredi pro auditione sacri. Huiusmodi nanque auxilium est vis ad actus oppositos. Ante horum exercitium non prædeterminatur ad ipsos; & tamen, dum isti exercentur, auxilium non determinat se ipsum ad huiusmodi exercitium; sed determinatur à voluntate.

CAP. II.

Veræ sententiæ pars prior, & consectaria.

11 ASsero *primò*. Munus se determinandi proprium causæ liberæ excludit prædeterminationem ab alio. Itaque, causam liberam se determinare libere ad suum consensum v.g. excludit prædeterminationem, per quam prædetermine-

tur

tur ab alio ad cõsentiendũ. Nomine prædeterminationis intelligo vim facientem nos consentire, cum quâ nullatenus possumus dissensum componere; proindéque, non possumus illi refragari, resistere, vel ita obluctari, vt eam effectû frustremus. Ideo illam vocare soleo vim irrefragabilem, irresistibilem, & ineluctabilem. Hanc assertionem probant multa ex dictis *cap.* 1, *à num.* 5. vel, vt verius loquar, omnia ibi tradita. Placet tamen amplius eam probare. *Primò*. Eo ipso, quòd causa libera ante suã determinationẽ presupponeretur determinata ad cõsẽsũ per determinationẽ alienã, ipsa causa libera nõ se determinaret: ergo ipsã se determinare excludit eã prędeterminationẽ alienã. Antecedẽs probatur. Nã, de ratione determinationis ad consensum est immediatè subsequi post indifferentiã, vt existat consensus, vel dissensus; & non post determinationem ad consensum. Cuius ratio est. Nam, determinatio ad vnum extremum facultatis indifferentis ad multa, est id, quo primariò talis facultas ita adstringitur ad illud extremum; vt primariè impediatur, quominus coniungatur cum opposito. Patet autem id non competere rei, quæ talem facultatem iam præsupponit determinatam ad tale extremum, addictam ad illud, & impeditam quominus coniungatur cum opposito. Assumptum huius rationis ostenditur.

12 Tum, quia postquam Deus produxit calorem determinatum suâpte naturâ ad operandum in solâ specie calefaciendi (ponamus id claritatis ergò) manet quidem locus, vt determinet calorem quoad actionem in indiuiduo; non verò, quoad speciem, quo nihil frequentiùs in Philosophia. At, seposito inutili soliùs contentionis studio, tota huius ratio est: quia Deus inuenit naturam caloris iam determinatam ad agendum in specie calefaciendi; indifferentem autem ad calefaciendum hâc, vel illâ singulari actione: ergo determinatio præ determinati implicatoria est: quia scilicèt de ratione determinationis est ea primitas, vt sic loquar, quam contendimus. Tum, quia si quis, vt ferè semper contingit, in eodem instanti, in quo consentit attingat pro posteriori naturæ experimentali notione se consentire, non se determinat ad consentiẽdum per hanc experimentalem notitiam, quia iam hæc præsupponit determinationem factam per ipsum consensum: ergo si hic supponit aliam prædeterminationem ad ipsum; neque hic determinat voluntatem ad cõsentiendum: ergo, quia dicta

pri-

primitas est de ratione determinationis. Tum, quia vt commune est tract. de peccatis, qui, post primariam determinationem omittendi v.g. sacrum in præcepto positum, se determinat ad alias actiones incompossibiles cum auditione sacri. v.g. ad studium, visitationem infirmi, &c. per has actiones non se determinat ad omissionem sacri; proindéque non inficiuntur eius omissionis malitiâ: ergo quia determinatio non est prædeterminati; sed præindifferentis. Difficile non esset alia exempla superaddere.

13 Suadetur secundo eadem assertio. Præsuppositâ ante consensum prædeterminatione, quæ ex vi suâ per moralem infallibilitatem determinat ad consensum; non manet locus, vt voluntas se determinet ad consensum liberè moralitèr; sed liberè physicè; & necessario moralitèr: ergo, præsuppositâ ante consensum prædeterminatione, quæ vi sua per physicam, & metaphysicam infallibilitatem determinat ad consensum, nō manet locus, vt voluntas se determinet ad ipsum liberè physicè, aut metaphysicè: Consecutio patet. Nam ex ipsis terminis apparet manifestum, non habere minorem efficaciam prædeterminationem physicè, metaphysicéque ineluctabilem, vt præripiat arbitrio se determinare liberè physicè, aut metaphysicè, quàm prædeterminationem moralitèr ineluctabilē, vt arbitrio præcludat se determinare liberè moralitèr. Antecedens liquet, tum exemplo petito *num*.8. ex infallibilitate morali ad peccatum veniale, quæ non sinit arbitrium se determinare hîc, & nunc ad peccatū veniale liberè moralitèr. Tū, quia, si filio ditissimo, ac pijssimo, cui nihil non suppetit, obuiam procedat Pater fame tabescens, & iam iam animam agens, qui suppetias petit, non est dubium filium consensurum necessariò moralitèr; tametsi liberè physicè. Non autem alia ratione, nisi quia talis circūstantiarum cumulus anteuertens consensum filij, etsi non determinet per infallibilitatem physicam, & metaphysicam ad consensum; determinat tamen per infallibilitatem moralem. Et quidem mirum esset, prædeterminationem moralem magna ex parte libertatem impedire; nullatenùs autem physicam, & metaphysicam prædeterminationem, quæ iuxta aduersarios relinquit consensum physicè, ac moralitèr liberum; cum tamen, vt dicebam *tract. de Præd. disp*.9.*num*.12. nullum aliud sit discrimen, si res attentè, sinceréque consideretur, quàm tàm vehementem esse conatū

physicæ

physicæ, ac metaphysicæ prædeterminationis; vt nullæ vires neque increatæ; neque creatæ sufficiant ad irritandum ipsum; cum tamen ad irritandum conatum prædeterminationis moralis sufficiant vires physicæ creatæ nostri arbitrij.

14 Suadetur tertiò ex dictis loc. cit. de Prædestin. num. 9. Per inclinationes ad consensum anteuertentes ipsum minuitur magis, ac magis dominium libertatis, prout ipsæ magis, aut magis accedunt ad prædeterminationē ineluctabilem: igitur hæc diruit ex toto libertatem, & consequentèr præcludit arbitrio viam se determinandi liberè. Hæc subillatio patet, & illatio videtur certa. Si enim prædeterminatio ineluctabilis cū libertate cōstat, & vt volunt aduersarij, cū libertate physicâ, & morali, quomodo per maiorem, & maiorem accessum ad illā minuitur magis, ac magis dominium libertatis? Quomodo ipsa est mensura, ex quâ metienda est maior, & maior libertatis imminutio? Antecedens probatur. Minuitur nanque libertas, tum per habitum vehementèr inclinantem ad consensum, tum per tentationem accerrimam, tum per importunas, ac repetitas preces, tum incusso mortis metû, vel alio, præsertim cadente in constantem virum, vt in Theologia morali constantissimum est: ac deinde eiusmodi conatus eò magis libertatem imminuunt, quo difficiliûs, ac difficiliûs potest voluntas eos irritare per dissensum, & in hoc consistit magis, ac magis accedere ad conatum prædeterminantem, quem absolutè non potest voluntas per dissensum irritare. Ergo.

15 Suadetur quartò. Qui se determinat liberè ad consensum, se determinat cum aliquâ resistentiâ pugnante in oppositum, sæpéque cum magna admodum resistentiâ, cuius victoria comparatur cum penetratione muri impenetrabilis, iuxta illud Psalm. 17. 80: *Quoniam in te eripiar a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum*. Legantur *cap. 7. Matth. 14*. Paul. *ad Rom. 8. 23. Ad Hebr. 12. 4. Ad Ephes. 6. 12*. At, qui consensum elicit prædeterminatus ad ipsum prædeterminatione ineluctabili, non se determinat cum eis resistentijs: ergo non se determinat liberè. Minor probatur. Qui nanque ita superior est aduersario, vt viribus polleat incomparabilitèr maioribus, vel nullam, vel admodum exiguā difficultatē vincit reportans victoriam, vt lumine naturæ, manifestisque exemplis cuique est obuium. At, prædeterminatus ad consensum, ita superior est viribus adnitentibus ad dissensum, quippe

vires

vires istæ sunt irritabiles, manéntque reipsa irritæ; vires autē prædeterminationis adeò sunt ineluctabiles, vt neque de potentiâ Dei absolutâ possint irritari. Ergo, &c. Ex quibus alibi intuli magnum illud meritum vincendi valde ardua, quod in operibus insignis mortificationis residet, non benè constare cum doctrinâ prædeterminantium.

16 Tandem ratio à priori est. Nam ille, qui ante omne suū beneplacitum determinatur ad consentiendum, non habet liberum dominium circa vsum dissentiendi. At, se determinare liberè ad consensum importat liberum dominium circa vsum dissentiendi: ergo inter se pugnant ante omne suum beneplacitum determinari ad consentiendum; ac se determinare liberè ad consensum. Minor, & consequentia patent. Maior probatur. Quia dominium *vt liberum* ad dissentiendum, dicit, iuxta D. Thom. & ex ipsâ significatione terminorum facultatem aliquo saltem modo expeditam ad dissensum: ergo facultatem non impeditam ad dissentiendum ante beneplacitum domini. At, qui ante suum beneplacitum determinatur ad consentiendum impeditur ante suum beneplacitum, quominus dissētiat, cum determinari ad vnum exercitium sit impediri ab opposito: ergo non habet liberum dominium circa vsum dissentiēdi. Et quidem liber, solutus, & expeditus idem sonant. At, à quo ligamine, vinculis, & impedimentis? Non video à quibus potiori iure, quam ab illis, quibus tuæ facultates adstringuntur, quominus suos vsus exerceant.

17 His adnectuntur nonnulla consectaria, quæ oportet habere præ oculis in hâc materia. *Primum est*. Terminorum implicationem inuoluit, voluntatem antecedentèr ad omnem suum consensum determinari ad consentiendum; & hanc determinationem esse ad consentiendum liberè, vel, vt aiunt, cū modo libertatis. Ratio est; quia nihil implicatiùs, quàm id, quod impedit consensum fieri cum modo libertatis, esse determinationem, vt fiat cum modo libertatis. Determinatio autem ad consensum, eo ipso, quod anteuertat omnem suum consensum, impedit fieri cum modo libertatis, vt patet ex dictis: ergo cum eo prædicato antecedentiæ implicat esse determinationem ad consensum, vt faciendum cum modo libertatis. Et, vt tibi suppetant exempla, quæ rem istam sub adspectū ponant, ecce plura, quæ propter similem rationem terminorū implicationem inuoluunt. *Primò*. Necessitas antecedens physica

sica ad consentiendum cum modo libertatis physicæ. Secūdò. Necessitas antecedens moralis ad consentiendum cum modo libertatis moralis. Tertiò. Hoc decretum diuinum * Volo cōsensum fieri, me non volente consensum fieri. * Quartò: Decretum intrinsecè efficax Dei statuentis consensum fieri cum potestate frustrandi tale decretum. Quintò: Vnio hypostatica reddens humanitatem Christi impeccabilem, eamque determinans, vt liberrimè peccatum omittat. Vltimò: Prędeterminatio voluntatem prædeterminans, vt faciat consensum imprædeterminata: Sicut enim in his omnibus est implicatio: quia res finguntur connecti cum eo ipso, quod excludunt; ita in nostro casû, vbi fingitur prædeterminationē connecti cum modo libertatis, quam excludit.

18. *Secundum est*. Prædeterminatio ad consensum anteuertens omninò consensum, non solùm non potest coniungi cū dissensû; sed neque cum potestate libera ad impediendum existentiam ipsiûs prædeterminationis. In quo est magnum discrimen huiûs prædeterminationis ex vna parte; & consensûs liberi ex aliâ. Nam consensus liber non potest coniungi cum dissensû; coniungitur tamen cum potestate libera impediendi existentiam ipsiûs consensûs. At, prædeterminatio, neque cōiungi potest cum potestate libera voluntatis prædeterminatæ ad impediendum existentiam ipsiûs prædeterminationis. Ratiò est. Nā prædeterminatio ad consensum non potest coniūgi cum potestate libera ad dissensum: ergo neque cum potestate impediendi existentiam eiûs prædeterminationis. Consequentia patet: Nam, si voluntas aliquo suo exercitio impedire posset existentiam eiûs prædeterminationis, sanè solo dissensû, cum nullum aliud pugnet cum ea prædeterminatione; proindéque non stante facultate libera ad dissensum, non stat ad impediendam existentiam prædeterminationis. Primum igitur antecedens probatur ex dictis. Nihil potest coniungi cum suo contradictorio. At, facultas libera ad dissensum imbibit contradictorium prædeterminationis ad cōsensum; vt constat ex dictis in hoc cap. & maxime ex *num*. 16. vbi vidimus libertatem ad dissensum eam dicere expeditionem, & solutionem, quæ stat in carentia prædeterminationis ad consensum: ergo prædeterminatio ad consensum nequit cōiungi cum facultate libera ad dissensum. Hinc.

19. *Tertium* consectarium est, omnia argumenta supra fa-

ctā

cta, vt ea ad consensum determinatio, cuius existentiam vitare non possumus, incompossibilis sit cum libertate ad dissensum, recurrere hîc. Quia prædeterminatio ad consensum, & est connexa cum consensu, & quando existit non est in voluntate potestas libera impeditiua ipsius, vt nuper vidimus. Hæc autem ea sunt, in quibus ea nituntur argumenta, vt recolenti constabit. *Quartum* consectarium sit, qua regula sit dignoscẽdum, quænam extrema connexa cum cõsensu v.g. (idem proportione seruata dicatur de connexis cum dissensu) necessitẽt ad consensum excludendo potestatem liberam ad dissensum; ac proinde, potestatem impeditiuam ipsorum; quænam verò, tametsi cum consensu connexa, non sic necessitent ad ipsum. Etenim ad eam necessitatem inducendam non sufficit connexio, vt sæpe monui. Nam, actio, per quam producitur consensus liber, scientia visionis de ipso, vt libere exercito, præfinitiones efficaces consensus, quæ non causent ipsum immediate; sed interuentu principiorum indifferentium, quæ per scientiã mediam præuidentur coniungenda cum nostro consensu ex nostra determinatione posito, connectuntur infallibiliter cum cõsensu; & tamen, vt in alijs tractatibus docui, potestatem ad dissensum impeditiuam ipsorum relinquunt.

20 Regula ergo sit. Ea extrema prædicto modo necessitant *positiuè* ad consensum, quæ connectuntur cum ipso per modum causarum ineluctabili conatu facientium nos consentire: Causæ nanque harum conditionum præoccupant, & à nobis præripiunt determinationem ad consensum, & hinc non cohærent cum facultate libera nostra ad dissensum: vnde tandem incompossibiles sunt cum potestate libera nostra potente impedire existentiam talium causarum. Alia verò extrema, quæ puram putamque connexionẽ habent cum consensu citra propriam causalitatem erga ipsum, quia, vel non causant consensum; sed alias causas ipsius, easque intrinsece indifferentes, vt cum consensu, vel etiam cum dissensu coniungantur; vel quia, neque eiusmodi impropriam, ac remotam causalitatem erga consensum exercent, cum potestate libera ad dissensum, proindéque ad ipsarum impeditionem, cohærent. Quando enim coniunguntur cum nostro consensu non tam ad illum anteuertunt; quàm illum comitantur, cum pro eo tunc simul sint cum illo simultaneitate durationis, & nõ prius prioritate causalitatis. Vnde, neque præoccupant, neque nobis præripiunt

munus

munus determinandi nostrum cõsensum; sed pure pũt: quæ cõnectuntur cum eo, quod determinemus per consensum nostrũ ad vtrunlibet indifferentiam. ¶ Dixi *necessitant positiuè*. Nã, vt dicebam *tract. de Prædest. disp. 2. n. 23*. potest voluntas necessitari negatiuè ad consensum, eo quòd potens cõsentire adimantur ipsi principia, quæ tunc requiruntur, vt consensum omittat, tametsi non adhibeatur ad consentiendum conatus ad consensum intrinsecè irrefragabilis, & inconiungibilis cum carentiâ consensus. Videantur ibi dicta.

CAP. III.

Veræ sententiæ posterior pars, obiectionesque nonnullæ.

21 Vidimus causam liberam ex munere se determinandi excludere prædeterminationem ab alio. Sed, quid vlterius positiuè importat se determinare liberè ad suum actum? *Assero secundò*. Importat, quòd ipsa sic imprædeterminata, propositis ipsi intellectualitèr rationibus inuitantibus ad consensum, ac dissensum, ipsa consensus electione ponat consensum præ dissensu, potens conuersim ipsa dissensus electione ponere dissensum præ consensu. Cuius ratio alia non est, quàm in nullo proprius, meliùs, aut magis relucere quomodo se exerceat voluntas per modum se adstringentis ad vnum, tãquam habens dominium electiuum multorum. Quoniam ergo, nisi valdè fallor, ventum iam est ad prima principia huius rei, aliæ rationes quærendæ non sunt. Expedienda tamen nonnulla, quæ possunt ex Thomistis opponi contra creatam libertatem imprædeterminatam à Deo.

22 *Primò* nanque. Si causa creata non prædeterminetur à Deo ad consensum; sed ipsa imprædeterminata se determinet non erit secundum liberum; sed primum, quod est planè absurdum. Sequela probatur. Nam, quemadmodum liberum est, quod se determinat ad suum actum; ita est primum liberum, quod se primitùs determinat imprædeterminatum ab alio. *Secundò*. Quia, si voluntas ante suum consensum non prædeterminetur à Deo ad consensum; creata voluntas determinaret consentiendo diuinam omnipotentiam, vt cum ipsa voluntate creata concurreret ad consensum. Hoc autem impossibile esse probatur ex eo, quod determinans aliud ad

existendum præcedit ad hoc aliud: noster autem consensus nō præcedit diuinum cōcursum. Nam alioquin, pro eo priori daretur noster consensus sine concursu diuino, quod implicat; cū pro quolibet signo noster consensus sit creatura dependens essentialiter à Deo. *Tertiò*. Nam, voluntas neque ad consensum; neque ad dissensum determinata est indifferens ad vtrunlibet. At, à principio indifferenti, vt indifferenti non potest oriri determinatè consensus præ dissensû: ergo &c. Minor probatur.

23. Tùm, quia causa indifferens non est proportionata ad effectum determinatum, donec prædeterminetur. Tùm, quia indifferentia pugnat cum determinatione: ergo causa indifferens, vt indifferens tam longè est, quòd contineat determinationem, vt potiùs eam excludat. *Quartò* arguitur. Nam liber est nobis hic singularis, & indiuiduus amor A. quo liberè amamus. At, iuxta communiorem opinionem nostrorum Autorum, non determinamus nos metipsos quoad indiuiduationem actûs; sed prædeterminamur à Deo: ergo idem omnino potest esse nobis liberum, & prædeterminatum à Deo. *Quintò*. Quia sic voluntas creata dominium libertatis habet circa suos actus, vt circa eosdem habeat Deus superius, & excellentius dominium. Atqui, propter creaturæ dominium erga ipsos non existunt, nisi creatura suo beneplacito eos determinet: ergo propter excellentius, supremum, & primarium dominium Dei, non existent nisi Deus suo beneplacito prædeterminet ipsos. Omitto illa, quæ non tàm concernunt puram libertatis naturam, de qua nunc agimus; quàm prædestinationem, infrustrabilitatem decretorum Dei, efficaciam gratiæ supernaturalis, de quibus egimus satis in suis locis.

24. Hæc tamen pro prædeterminationibus antecedentibus immediatè executiuis, & ineluctabilis conatus; quas solas in præsenti deserimus, parum vrgent. *Ad primum.* Dupliciter stat * Primum liberum * simpliciter; & secundùm quid. Primum liberum simpliciter est quod liberè se determinat, neque suam determinationem; neque vim se determinandi habens acceptam ab alio. Liberum hoc modo solus est Deus: causæ nanque creatæ liberæ suam determinationem, ac vim determinatiuam habent à Deo, vt à primo fonte, ac donatore deriuatas, & acceptas. Primum liberum secundùm quid est, quod sic se determinat ad suos actus

libe-

liberos, quòd licet ab alio habeat, & virtutem ad illos, & ipsos acceptos; ita tamen ad eos se determinat, vt non prius alterius arbitrium prædeterminet ipsos. Hoc modo se habent ad suos actus liberos causæ liberæ creatæ; idque non esse absurdum patet exemplo. Licet enim inconueniens esset nostrum actum meritorium existere, quin ipsa vis merendi, & meritum essent dona facta, & donata à Deo; nullum tamen inconueniés est, quòd nos ita primò nostris meritis mereamur, vt ad nostrum meritum non præsupponatur Deus prius merens. Sicut ergo, iuxta omnes, non repugnat nos esse merentes per nostros actus, & non esse Deum primo merentem, cur repugnabit, nos esse per nostros actus, ita nostrorum actuum determinatores, vt nō sit Deus prædeterminator? Et ratio est: quia sicut Deum mereri argueret imperfectionem Dei; ita etiam Deum prædeterminare actus liberos: quia tali prædeterminatione conaretur Deus assequi actus liberos, & ipso suo conatû, vt nostra argumenta satis probarunt, euerteret id ipsum ad quod nititur, nēpè, liberè exerceri nostros actus. Quid autem indignius?

25 *Ad secundum*. Resp. Non est de ratione determinationis ad aliquid prioritas ad ipsum; sed possunt omninò simùl dari determinatio, & determinatum; imò etiam identificari, quemadmodum determinatio, per quam Deus liberè se determinat ad suos actus liberos identificatur cum ipsis. Determinatio quoque, per quam nostra voluntas se liberè determinat ad suos actus liberos idem est cum ipsis. Quia nihil prohibet id, quo voluntas dominatiuè indifferens ad consensum, & dissensum, se primariò adstringit ad consensum præ dissensû, idem esse cum consensû. Dico ergo, voluntatem nostram per suam actionem liberam consentiendi simùl determinare se ipsam, & omnipotentiam diuinam, vt sint in actu secūdo indiuisim, & eâdem actione concurrentes ad nostrum consensum. Ideo autem, quamuis voluntatem nostram se determinare ad consentiendum, & omnipotentiam Dei producere consensum sint omnino simul, vicissimque connexa, nostra potius voluntas dicitur liberè determinare productionem ab omnipotentiâ exercitam, quàm omnipotentia nostrum consensum, quia nostra libera determinatio est electio, quâ nostra libertas efficacitèr eligit, & eligendo ponit nostrum consensum, per quam electionem simùl eligitur explicitè; vel implicitè con-

cursus diuinus, sine quo noster consensus existere nequit. At, actio diuina ad extra non est electio, per quam diuina libertas eligit nostrum consensum. Similitèr dicendum est, nostram voluntatem per suam determinationem ad actum charitatis determinare habitum charitatis, vt influxum præstet in talem actum; cum tamen habitus suo influxu non determinet nos, vt Deum amemus, prout à nostris DD. communitèr explicatur. Vide *n.* 21.

26 *Ad tertiũ.* Resp. ex D. Th. 1. *contra gent. cap.* 82. *vers. Horum autem.* Duplicitèr principiũ operatiuum est ad vtrũlibet. Vel ex parte sui; vel ex parte eius, ad quod dicitur. *Primũ* euenit, quando ipsi deest perfectio, cõplementumque prærequisitum ad determinatam operationẽ. Exemplũ D. Th. est intellectus dubitantis, cui deest motiuum sufficiens ad assensũ. Hanc indifferentiam vocare solent nostri indifferentiam incõplemẽti, scilicèt, excludentẽ cõplementũ prærequisitũ ad determinatã operationẽ. *Secũdũ* contingit. Quando principium habet virtutẽ sufficientissimé completã ad varias operationes determinatas, & oppositas, citra indigẽtiã alienæ determinationis, vt se flectat ad vnã partẽ, præ aliâ. Sic Deus habet indifferentiam ad creandum, & non creandum mundum. Et hęc indifferentia vocatur libertatis, ac dominij. Dico ergo: à prima indifferentiâ nequit procedere operatio determinata. Quinamque procedet à principio non habente perfectionem prærequisitam, vt ab illo procedat? A secundâ indifferentia procedere queit operatio determinata. Quid enim mirum procedere vnũ à principio sufficientissime potente multa? Probationes positæ *n.* 23. *initio* sunt inutiles. *Prior*, quia licet indifferẽtia incomplementi non sit proportionata; sed potius opposita cum processione determinatæ operationis à principio sic incompleto; aliud tamen est de indifferentiâ libertatis. Quid enim magis proportionatum, vt te pro libito determines ad vnum, quam dominium, ac libertas te determinandi pro libito ad ipsum, & alia? Mirũque esset eo nomine potestatẽ minus valere, quòd eius amplitudo sit maior. *Posterior.* Quia duplex est indifferentia (quarũ distinctio, nõ semel vtilissimã sibi putãt Thomistæ) Alia est suspensionis in eo stans, quòd neq; volũtas libere consentiat in actu secundo: neque libere dissentiat. Et hanc indifferentiã pugnare cũ eo quòd volũtas se libere determinet ad cõsensum, est manifestum; sicut etiã cum eo pugnare,

quòd

quòd Deus prædeterminet illam ad consentiendum. Alia est libertatis, & dominij, quæ minimè pugnat cum se determinando ad consensum, quia se determinare ad vnum, posseque determinare ad plura, sunt compossibilia, vt patet.

27 *Ad quartum* respondeo nulliûs esse roboris, si rectè perspiciatur prædeterminatio Dei quoad indiuiduationē relatè ad actus liberos. Bifariàm intelligi queit. *Positiuè*, vel *negatiuè*. Primum est, prædeterminare voluntatem, vt faciat hunc actum A. Secundum est prædeterminare, vt non faciat alium præter A. Primum illud omninó negatur, quia pugnat cum libertate omittendi amorem A. Secundum est verum: id enim non pugnat cum libertate ponendi, & omittendi amorem A. licèt pugnet cum libertate selectiua amoris A. præ B. ea enim libertas importat facultatem liberam non solùm ad ponendum, & omittendum amorem A. sed ad ponendum vtrunque, nempe B. & A. & ad præferendum pro libito alterum alteri. Hæc autem facultas deest, quia Deus prædeterminat voluntatem ad non ponēdum amorem B: Quamobrem, in præsenti casu non est idem prædeterminatum, & liberum; sed aliud est prædeterminatum; nobis tamen necessarium; aliud autem nobis liberum; non tamen prædeterminatum à Deo. Prædeterminatum est à Deo non ponere amorem præter A. Hoc tamen est nobis necessarium: quia licet in casu disp. possimus ponere, & omittere A. non tamen ponere B. vel C. vel alium præter A. Liberum nobis est ponere positiuè actum A. sed ad hoc, iuxta nostra principia, nos metipsi nos determinamus; non tamen prædeterminamur à Deo. Hæc, si considerasset attentè doctus quidam Thomista Complutensis, non adeo insultasset hoc argumento. *Prado*

28 *Ad vltimū*. Cōcessis præmissis, negatur cōseqūentia. Nō enim sequitur ex dominio Dei circa nostros consensus Deum prædeterminare illos ante nostrum beneplacitum; sed, vt sūmum, determinare ipsos simultaneè cum nostro beneplacito, (de quo plura *tract. de Prædest. d. 11.*) & aliundè multis nominibus præstat dominium Dei. Tum, quia diuina electio nostri consensus, per quam Deus se determinat ad existentiam nostri consensûs, non efficitur à nobis; sed purè exercetur à Deo citra nostram effectionem; at, electio humana efficitur à Deo principaliùs, quàm à nobis. Tum, quia ipsum dominium nostrum radicale, & proximū habemus à Deo liberalitèr accep-

rum; Deus autem habet à se ipso suum dominium. Tum, quia penes nostrum dominium non est ponere circumstantias præuias ad nostros consensus, quibus reipsa ponentur, & auertere illas, quibus impedientur: & hoc totum est penes dominiũ Dei, quibus de causis, & ex innumeris alijs, quas longum esset recensere, diminutissimum est dominium nostrum, compositũ cum diuino.

29 Ex hactenus dictis constat, quomodo sit definienda causa libera, vt libera. Talis nanque est, *quæ potens, oppositis modis se exercere potest se determinare ad vnum præ alio.* Quid autem sit *se determinare* constat ex dictis *n.21.* In hanc definitionem recidit alia communitèr recepta, quàm deserere fas non est, probante erudite P. Didaco Ruiz *disp.50. de Scientia Dei, maximè à sect.4.* magnæ autoritatis esse. Eam tradidit Capreolus expressiùs, & significantius, quàm alij *in 1. dist.38. q.1. art.2.* inter medium, & fin. ex Gregorio, cui concedit positionem istam. *Causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, & actionem præcedentibus, potest agere, & potest nõ agere.* Obseruandum autem est ex Arist. D. Thoma, alijsque Principibus Philosophiæ moralis, & Theologiæ, quæ videri possunt apud eundem sapientissimum P. Ruiz *disp.45. de sciẽt. sect.1.* agere non esse vtcunque vim effectiuam exercere; sed se exercere modo rationali, electiuo, dominatiuo, ac se determinatiuo cum potestate cohibendi sic se determinare. Hoc posito, prædicta diffinitio sic accipienda est. Causa libera est, quæ positis omnibus præuiè requisitis, ac simpliciter antecedentibus ad suam determinationem electiuam in sua potestate habet se determinare, eamque determinationem cohibere. Quam diffinitionem in nostram recidere cuique facilè patet.

Ruiz. *Capreol.* *Arist.* *D. Tho.*

CAP. IIII.

Actus immediatè liber non solùm est forma volendi, vel nolendi; sed per se ipsum verè, proprieque volitus.

30 ACtus immediate liber vocatur ille affectus; quo immediate exercetur dominium libertatis; non verò eo præcise libere ponitur, quia per affectum reflexum præuium, efficacem, & liberum prædecernitur. De his igitur affectibus

fectibus immediate liberis asserimus duo. *Primum*, esse vere, proprieque volitos. *Secundum*, id habere per se ipsos. Et verò libertatis dominium, quo voluntas determinat se ipsam ad suos actus importare reflexionem voluntatis illos eligentis, & volentis expressit clariùs, quàm alij D. Bonauēt. in 2. distinct. 25. p. 1. art. vnic. q. 3. corp. per hæc verba. *Dominium potentiæ respectu actus est attendendum in hoc, quòd potentia potest esse in actu, & cessare ab actu secundùm suum imperium, & secundùm proprium motum. Ad hoc autem, quod aliqua potentia hoc dominium habeat necesse est, quòd ipsa possit mouere se ipsam, & quòd possit se supra actum suum, & supra se ipsam reflectere: alioqui, non posset actum refrenare, neque in actum exire quando vellet.* Eidem sententiæ satis fauet noster Eximius Doctor. 1. 2. disp. 1. de Voluntario. Bonau. Suarez

31 Nostra igitur sententia probatur sic. Voluntas se determinat ad actum immediate liberum ipsum volendo, & eligendo præ extremo opposito. At, non se determinat ad ipsum per aliam præuiam volitionem distinctam ab illo. Nam alioquin iam non esset liber immediate; sed mediate: ergo per volitionem ipsiûs indistinctam ab ipso. In quo discursu sola maior difficilis est; quæ à nobis est diuersimodè probanda. *Primò*. Nam B. August. *lib. 1. retract. cap* 22. circa finem ait. *Cum enim hoc sit in potestate, quòd cum volumus facimus, nihil tum in potestate, quàm ipsa voluntas est*. Vbi, iuxta frequētem ipsiûs vsurpationem, nomine voluntatis accipit actum volendi. Tunc sic: Id, quod facimus tanquam constitutum in nostrâ potestate, tunc facimus, quando ipsum facere volumus. At, nihil magis constitutum est in nostrâ potestate, quàm ipse actus liber volendi: ergo tunc ipsum facimus quando facere volumus: & in hoc stat, iuxta August. fieri tanquam subiectum libertatis dominio. Quomodo autem nihil hoc faueat Iansenianis expendemus alibi. Interim legi poterunt P. Annatus *lib. de Incoacta libert*. P. Dechamps *contra Iansen. lib.* 2. vbi probat egregiè Iansenium esse D. August. corruptorem. *Secūdò* idem Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 3: ait. *Non enim possum aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo interuallo mox, vt volumus præsto est*. Et quidem tam *nullo prorsus interuallo*, vt ipsam velle, & ipsam esse idē sint, vt de affectû immediate libero defendimus. Aug. Annat Dechamps.

32 *Tertiò.* Ex communi sensu ad actum liberum opus est prænoscere num expediat ipsum ponere, vel omittere: ergo, quia ponitur amando ipsum. Si enim ponitur, amato præcisè obiecto directo, non verò amato ipso affectu, quorsum necesse, est præmittere notionem, non solùm ostendentem bonitatem obiecti; sed etiam ipsius affectus? Antecedens probatur. Nam ex communi sensu ad actum liberum opus est deliberatione, & consilio rationis; soletque liber censeri, iuxta deliberationis mensuram; nempè plene liber, si deliberatio sit plena; semiplenè, si semiplena. At, præuia deliberatio, non est præcisè notitia de ipso obiecto; sed notitia num expediat ipsum affectum ponere; vel omittere: ergo, &c. Minor probatur. Nam deliberatio, & consilium rationis sunt de actibus nostræ libertati subiectis. Nam, vt optime dicebat Euseb. *de præpar. Euang. lib. 6. cap. 7. circa finem: Solummodo de his, quæ agere possumus deliberare solemus.* At obiecta affectuum liberorum sæpissimè non subduntur nostræ libertati, vt patet, quando obiectum est Deus: ergo deliberatio, quæ semper ad actum liberum requiritur, de ipso actu est. ¶ Idcirco D. Thom. ad dominium libertatis postulat iudicium de proprijs actionibus; indeque concludit, liberum arbitrium in solis intellectualibus inueniri. Etenim *in 2. sent. dist. 25. q. 1. art. 1. corp.* ait. *Iudicium de actione propria est solùm in habentibus intellectum, quasi in potestate ipsorum constitutum sit eligere hanc actionem, vel illã: vnde, & dominium sui actus habere dicuntur, & propter hoc, in solis intellectum habentibus, liberum arbitrium inuenitur.* Vbi expende, nõ tradere dominium libertatis per id præcisè, quod in potestate nostra constitutum sit hanc, vel illam actionem ponere; sed hanc, vel illam actionem *eligere.*

33 *Quartò*, & à priori. Actus immediatè liber est actus, quo voluntas *se determinat* liberè ad ipsũ actũ. At, se determinare liberè ad illũ est ipsũ velle, & electiuè præferre opposito: ergo actus immediatè liber est actus, quo volũtas ipsũ actũ vult, & electiuè præfert opposito. Maior est certa. Nã, ex eo, quòd sit liber, se determinat volũtas ad ipsũ, vt ex superioribus liquet, & ex eo, quòd sit immediatè liber nõ determinatur ad ipsũ ante ipsũ; sed per ipsũ. Minor probatur. Volũtatẽ se determinare liberè ad ipsum est se habere ad ipsũ modo libero; ac proinde, vitali, & affectiuo; modo quoq; incõpossibili cũ nolitione efficaci ipsius. Quis enim nõ videat inter se pugnare quòd nos determinemus

terminemus liberè ad ponēdū id ipsū, cuius positionē nolumus efficaciter. At, volūtatis habitudo ad aliquid vitalis, affectiua, pugnans cum efficaci nolitione illiûs est huiûs volitio, vt ex terminis ipsis videtur euidens: ergo se determinare liberè ad actum est ipsum velle, &c. ¶ Vtque præcludatur effugium, quod parari posset: confirmatur argumentum. Nam hoc est, inter alia, discrimen quando aliquem affectum exercemus necessitati ab alio; & quando affectum exercemus nosmetipsos determinantes liberè ad illum, quòd in primo euentû possumus simul, & illum affectum exercere; & illum absolutè nolle, de quo videri potest *disp. 6. à num. 16.* At, in secundò euentû non possumus illum exercere, & illum absolutè nolle. At, huius discriminis alia solida ratio nequit assignari, nisi, quod liberè se determinare ad actum imbibit volitionem absolutam ipsius, proindeque id, quod pugnat cum absolutâ nolitione eiusdem: ergo nostrum intentum est verum.

134 *Quintò.* Nequit voluntas se determinare ad operationem externam, nisi talis operatio appareat aliquatenus bona: ergo neque ad affectum internum, nisi talis affectus appareat aliquatenus bonus. Nam tam difficilè, vel impossibile apparet, citra contentionis studium, se determinare ad affectum internum, qui nullâ ex parte bonus appareat, quàm ad operationem externam, quæ nullâ ex parte appareat bona. Iam sic vltra. Si se determinare ad affectum internum nō esset ipsum velle, non requireretur ad tale se determinare prænoscere affectum vt bonum. Id requiritur, vt vidimus: ergo, quia se determinare ad affectum est affectum velle. ¶ *Sexto.* Intellectualia, & bruta, prout attinet ad rem præsentem, conueniunt dupliciter. *Primò*, quòd sicut intellectualibus per notionem spiritualem proponūtur ex parte obiecti amabilis motiuum inducens ad amorem; & motiuum ab illo retrahens; ita brutis per sensationem materialem proponuntur ex parte obiecti appetibilis motiuum inducens ad appetitionem; & motiuum ab ipsa retrahens, vt supra dicebam. *Secundò*, quòd sicut intellectualia habent appetitiones spirituales spontaneas; ita bruta appetitiones materiales spontaneas. At, non habent bruta appetitiones materiales liberas, nempè, ad quas se determinent dominio libertatis: ergo, quia munus istud se determinandi perfectionem quandam subtiliorem, & altiorem importat in ordine appetitiuo, quam potentem cadere in bruta:

met

lem crassitiem. Hæc autem perfectio est reflexio illa, per quam intellectualia cum attentione ad proprios actus interiores ipsos volunt, & eligunt. Nulla enim aptior ad rem præsentem assignari poterit. Ergo.

35 *Septimò*. Comparemus animam rationalem ex ex vnâ parte cum assensû intellectûs circa obiectum obscurè propositum, quòd hinc apparet, vt verum; ideoque allicit in actû primo ad assensum; inde verò apparet, vt falsum, ideoque retrahit in actû primo ab assensû. Id quod frequenter contingit, quando motiua dantur, quæ probabiliter suadent vtranque partem contradictionis. Tunc sic. Vt animus rationalis se determinet ad prædictum assensum non sufficit ipsum ponere, ita vt in actû primo hinc inuitetur ad ipsum, & inde retrahatur; sed necesse est accedat voluntatis imperium, quo tandem determinetur indifferentia obiectiua. Nam alioquin, ad actum fidei diuinæ necessaria non esset voluntatis affectio: ergo similiter, vt anima se liberè determinet ad effectum voluntatis, non sufficit illum ponere, inuitarique, & retrahi ex parte obiecti; sed necesse est accedat reflexio circa ipsum, per quã ametur, & eligatur. Præterea. Si concipiamus animum rationalem ex vi propositionis obiecti indifferentem ad assensum; non autem concipiamus ipsum, vt volitiuum assensûs, non cõcipimus animum, vt se determinatiuũ ad assensum: ergo, quia se determinare ad alteram ex partibus, quibus obiectum dat optionem, importat eam velle. Rursus. Vt animus determinet assensum præ dissensû, non sufficit, quod ex parte obiecti; quamuis aliquomodo appareat, vt falsum, repræsentetur aliũde verum esse; sed vltra requiritur, quod appareat assensus, vt bonus, vt ea propositio dirigat ad eligendum assensum, præ dissensû: ergo, vt animus determinet amorem præ odio, v.g. non sufficit, quòd ex parte obiecti appareat bonitas; sed vlterius necesse est, quod appareat bonitas ex parte ipsiûs amoris, vt talis apparentia ducat ad eligendum amorem præ odio.

36 *Octauò*, & vltimo probatur, suppositâ opinione, quæ cõmunissima est de determinatione Dei, quoad indiuiduationem effectuum. In quâ opinione duo dicuntur. *Primum* est. Quando voluntas exercet amorem A. & non B. omninò similem, non se determinare pro suo dominio ad vnum præ alio; sed ad illum, quem elicit præ omissione ipsiûs. *Secundum* est.

Ideo

Ideo non se determinare potest dominatiuè ad vnum præ alio, quia non discernit vnum ab alio. In quâ opinione sic disputo, & infero. Ergo, vt voluntas pro suo dominio se determinet ad vnum extremum præ alio necesse est discernat vnum ab alio; proindeque, vt se determinet ad affectum præ omissione, necesse erit cognoscere, non solùm obiectum affectûs; sed affectum ipsum. Huius autem nulla alia ratio potest assignari, nisi, quod se determinare ad affectum sit ipsum velle; atque ad ipsum volendum necesse est illum cognoscere: ergo fatendum est, quod se determinare ad affectum sit affectum velle. Explicatur. Vel se determinare ad affectum indiuidualem A. præ affectû indiuiduali B. est illum velle; vel non? Si hoc: quorsum ad illam determinationem requiritur illum affectum prænoscere? Si primum: ergo etiam se determinare ad affectum præ ipsiûs omissione, & ad amorem præ odio erit velle affectum, & velle amorem.

37. *Dices*: non ideo impossibile esse voluntatem se determinare ad actum singularem A. præ actû B. quia isti non discernuntur; sed quia ex parte obiecti amabilis non apparet ratio inclinans ad A. præ B. Propter rationem autem contrariam, tametsi non discernatur amor ab odio, poterit voluntas se determinare ad amorem præ odio, scilicet, quia ex parte obiecti apparet bonitas inclinans ad amorem potius, quàm odiū. Hæc tamen solutio reijcitur. Sufficit enim ad hoc, vt voluntas se determinet ad actum A. præ B. quòd liberè ponat A. & liberè omittat B. Sed ad hoc non requiritur apparere ex parte obiecti amabilis rationem inclinantem ad A. præ B. ergo neque id requiritur; vt se determinet ad A. præ B. Maior patet. Si enim liberè ponit A. & liberè omittit B. sanè omittit B. potens ipsum ponere: ergo non ponit A. necessitata ad non ponendum in suâ specie alium affectum præter A. siquidē etiā potest ponere B. Si ergo liberè ponit A. liberèque omittit B. non est necessitata quoad indiuiduationem ad A. & consequēter ponendo A. præfert illud pro sua libertate affectui B. quippè huic prelationi solùm obesse poterat necessitas ad A. quanuis non quoad exercitium, sanè quoad indiuiduationem. Iam, minor nostri discursûs probatur sic.

38. Nam, iuxta aduersarios ad ponendum liberè actum A. non requiritur illum velle; neque ad liberè omittendum B. requiritur velle talem omissionem; sed sufficit, quòd adsint ra-

tiones

tiones inclinantes ad talem positionem, talemque omissionẽ; & quòd ad nihil istorum prædeterminemur aliunde. At, in his non inuoluitur proponi ex parte obiecti amabilis rationem inclinantem ad affectum A. præ B. sed solùm proponi rationem inclinantem ad ponendum affectum A. necnon, rationem inclinantem ad omittendum affectum B. idque benè stat citra propositionem rationis inclinantis ad A. potius, quàm ad B. vt iam explico. Solutio ergo tradita insufficiens est. Explicatur. Possumus nanque in ordine ad aliquem finem eligere liberè vnum medium, & omittere liberè aliud, quanuis ratio, quæ inclinat ad eligendum illud, quod liberè ponitur, inclinet æqualiter ad eligendum illud, quod omittitur liberè. Stat ergo, aliud eligi liberè, & aliud liberè omitti, tametsi ratio inclinans ad electionem vnius, inclinet æqualiter ad electionem alterius. Antecedentis veritas manifestis exemplis cernitur. Vnum sufficiat. Potest enim intendens Madritum attingere, duplicem videre viam æqualiter aptam ad attingendam metam, æqualesque per omnia quoad eligibilitatem? Quis dubitet, hunc hominem posse libere carpere viam A. propter aptitudinem, quam habet ad attingendum optatum terminum; interim tamen omittere liberè viam B. quanuis ratio inclinans ad ineundam illam, æqualiter inclinet ad ineundam hanc.

CAP. V.

Argumenta contraria opposita, & soluta.

39 OBijcies primò. Nam, ad amandum liberè Deum sufficit cognoscere bonitatem diuinam; & non cognoscere ipsam eâ claritate, quæ rapiat necessario voluntatem ad amorem Dei; non autem requiritur cognoscere ipsum amorem, & huius bonitatem. At, hoc requireretur, si amare liberè Deum importaret amare ipsum amorem: ergo id non importat. Nego maiorem. Quia liberè amare Deum importat se determinare deliberatè ad amorem; ac proinde, amorem eligere consilio rationis ostendentis conuenientias amandi; & non solùm bonitatem obiecti amati. ¶ At, contra obijcies secundò. Ad odium liberum sufficit odisse obiectum directum; non verò requiritur odisse ipsum odium: ergo ad amorem liberum sufficit amare obiectum directum; non verò requiritur amare

ipsum

ipsum amorem. Nego consequentiam. Nam se determinare liberè ad aliquod extremum; importat quidem illud amare, & præ opposito eligere; non autem illud recusare, & ab ipso fugere. Vnde, quia liberè amare est se determinare ad amorem, ideo est amare amorem; quia verò liberè odisse peccatum, v.g. non est recusare odium, & ab ipso fugere; sed ad ipsum se determinare; ideo non est odisse odium; sed potius amare odiũ.

40 Obijcies tertiò. Seclusâ cognitione amoris, & odij, eo præcisè; quod obiectum appareat sub aliquâ ratione boni; subque aliâ ratione mali, nostraque voluntas non prædeterminetur siue determinatè ad amorem; siue determinatè ad odium, poterit amare obiectum, quia bonum; & odisse, quia malum. At, cum ad neutrum istorum affectuũ sit prædeterminata, neutrum potest elicere necessariò: ergo quẽlibet potest in isto casũ elicere liberè: neutrũ autem potest velle, quia loquimur quando deest ipsorum notitia: ergo ponere liberè affectum non importat ipsum velle. Negatur maior. Nam in eâ hypothesi neque poterit elicere necessariò amorem; neque liberè (idem dicatur de odio.) *Non quidem necessariò*. Nam ad hunc modum eliciendi requiritur, quòd independenter à determinatione ad amorem ex proprio libertatis dominio exercendâ, determinetur aliunde: positio autem est, hanc determinationem deesse. *Non liberè*, quia deficiunt principia prærequisita ad hunc modum eliciendi amorem. Deficit nanque notitia ipsiûs, quæ requiritur, vt voluntas pro suo dominio se determinet ad illum, electiuè præferendo ipsum opposito sui. Simile inuenies in intellectû: qui, si habeat rationes probabiles pro vtrâque parte contradictionis, & neque voluntas posit velle, quòd hanc partem præ illâ sequatur; neque determinetur aliũde, neutram partem sectabitur.

41 Obijcies quartò. Nam, quando amamus Deum immediatè liberè non determinamus eum amorem Dei per alium amorem præuium. Nam alioqui contra suppositum, iam amor Dei non esset immediatè liber. At, neque determinamus, volumus, & eligimus eum amorem per ipsum amorem: ergo nullo modo. Minor probatur. Si enim eodem actû Deum amamus, & ipsum amorem, sequitur eisdem gradibus intensionis. ac proinde æquè intensè amare nostrum amorem, ac Deum. At, sequela est absurda, saltem loquendo vniuersaliter in omni casũ, in quo Deum amamus immediatè liberè. Nam, incredibi-

dibile est sanctissimos viros, quibus cætera cuncta comparata cum Deo vilia sunt, æquè intensè amare suos actus, bonitatéque diuinam. Ergo. ¶ In primis, hoc argumentum multis modis infringi posset. Sufficiat exemplum electionis formalis, per quam amatur medium pręcisè propter finẽ. Nam, ea electio est amor finis; & quidem amor intensior finis, quam medii; & tamen nulli sunt gradus in eo actû tendentes affectiuè in finem, qui non tendant affectiuè in medium propter finem. Deinde resp. Negata minori. Ad probationem dicatur: sy ly *eisdem gradibus, &c.* supponatur intensionem prædicti affectûs consistere in aggregatione plurium graduum distinctorum, falsam esse suppositionem. Censeo nanque voluntatis affectus, tametsi sint indiuisibiles, posse intensius tendere affectiuè circa alia, quàm circa alia obiecta, quatenus voluntas plenius vniatur affectiuè cum vno obiecto, quàm cum alio. Vnde in nostro casû, vbi eodem indiuiso actû intẽsius amatur Deus, & minus intensè noster amor, id contingit, quia plenius adhæret voluntas affectiuè Deo, quàm amori creato. Idque in eo stat, quòd tales tendentiæ sint eius naturæ, vt rectè comprehensæ secundùm quod dicunt in ordine affectiuo, præscindendo ab aliis prædicatis, statim appareret, longiùs distare voluntatem à volendo non esse Deum, quàm à volendo non esse amorem creatum Dei. Cui doctrinæ, quam olim tetigi, breuiterque confirmaui tract. de Sacramentis in genere, fauet P. Sfortia Pallauic. disput. 3. de Voluntar. quæst. 6. artic. 5. num. 6.

Sfortia.

42 Obiicies quintò. Ex eo quod amor, quo immediatè liberè Deum amamus sit immediatè liber, est amor sui. At, hæc reflexio, nempè amor amoris Dei est etiam immediatè libera, cum neque illam volũtas eliciat necessariò; nec per prævium amorem determinetur, vt facilè cuique constabit: ergo vlterius ea reflexio amabitur, & de hac tertiâ reflexione redit argumentum, & sic in infinitum. Hoc autem est clarè absurdum. Nam alioquin ad amandum Deum opus esset attẽdere ad infinitas reflexiones reflexè determinãdas, & amandas. Ergo nostra doctrina falsa est. Destinguo minorem. Ea reflexio est immediatè libera materialiter, & confuse, concedo minorem; formaliter sub expresione talis reflexionis negò minorẽ. Vnde solùm est consequens, materialiter, & in confuso amari; non formaliter, & expresè. Rem explico. In primis ea reflexio est

immediatè libera; saltem materialiter. Nam, ea reflexio, vel electio amoris idẽtificatur iuxta dicta cum amore immediatè libero. Quod autem cum immediatè libero identificatur est, materialiter saltèm, immediatè liberum.

43 At, ea reflexio, vel amoris electio, etsi materialiter sit immediatè libera; potest non esse formaliter, & expresse libera: & sic fortè plerunque contingit. Ratio est. Quia forsan plerunque contingit, vt quando voluntas amat liberè Deum, intellectus præuie attendat præcisè ad bonitatem diuinam, & ad conuenientiam amandi; & non expresse ad conuenientiam eligendi amorem. Tunc autem poterit voluntas expresse se determinare ad amorem eum eligendo; non autem expresse se determinare, & eligere ipsam electionem amoris, quæ sub expressione electionis amoris cognita non est. Quamobrem, cum actus sit liber, iuxta proportionem, quâ voluntas se determinat ad ipsum; si non se determinat ad electionem amoris formaliter sub expressione talis electionis, non erit libera talis electio sub eâ expressione; quamuis alioqui sit materialiter libera. Sic, quando ex imperio voluntatis exercemus motum progressiuum; imperando quidem motum progressiuum; non verò expresse hunc motum singularem A. cuius singularitatem non discernimus, hic motus, formaliter prout hic, non est nobis expresse liber imperatiuè. Et sicut non inde infertur, hunc motum quantum ad suam singularitatem esse nobis necessarium, quia potentes simpliciter impedire omnem nostrum motum progressiuum, possumus impedire hunc, qui est idem cum aliquo talium motuum; ita ex eo quòd amorem eligamus, quin ea electio sub expressione talis electionis sit nobis libera, non infertur quantum ad eam formalitatem esse nobis necessariam, quia possumus ipsam impedire; eo quod sit ipse amor, quem possumus impedire. Itaque, talis electio amoris materialiter est libera; non autem est formaliter libera sub expressione talis electionis, quia vt sic non eligitur expresse à voluntate: cum quo stat nullatenus esse necessariam; quia potest voluntas ipsam impedire impediendo amorem identificatum cum ipsâ.

(:§:)

DIS-

DISPVT. DECIMASEXTA.

Quatenus posſit facultas libera ſe determinare difformiter cum vniformitate principiorum.

HVIVS rei deciſio conſectaria eſt ad munus ſe determinandi, quod in agentibus liberis hactenus explicuimus.

CAP. I.

Statuuntur nonnulla nobis certa.

1 Contingere poteſt, vel duos homines pro eodem inſtanti, vel eundem pro diuerſis inſtantibus inſpectis cauſis inclinantibus ad cōſenſum, ac diſſenſum æqualiter prorſus in actu primo, vel vt aiunt, pro priori ad vſum libertatis, inclinari ad conſenſum, & diſſenſum: item inæqualiter inclinari. Dubium eſt, an poſitis Petro, & Paulo in hoc inſtanti (idem proportione ſeruatâ dicatur de eodem in diuerſis inſtantibus) cum æquali allicientia ad cōſenſum, & cum æquali retardatione ab eodē, poſsit contingere, vt Petro cōiungente cōſensū cū prædictis, nullo alio ſuperaddito præuie impellēte ad conſenſum, Paulum oppoſito modo ſe habere coniungēdo diſſenſum, cum circumſtantijs æqualibus præuenientibus; imò an poſsit contingere, vt ſegnius, omnibus inſpectis inclinatus ad conſenſum coniungat, cum ea inclinatione conſenſum: & alius coniungat diſſenſum cum inclinatione vehementiori ad conſentiendum. ¶ Autores noſtræ Societatis partem affirmatiuam quoad vtranque partem iure optimo defendunt agendo de auxilijs ſupernaturalibus gratiæ præuenientis. Ibi eos nominatim retulimus: idemque conſequenter tenent in puncto præſenti, vbi ſermo non eſt de auxilijs ſupernaturalibus diuinæ gratiæ; ſed intra limites naturæ de principijs inclinātibus ad actus liberos: in quibus principijs adeo inſigne diſcrimen Thomiſtæ inueniunt, cōparatis inter ſe conſentiēte, ac

ac

ac dissentiente, vt sentiant, nunquam accidere, nec posse accidere cõsensum nisi dependenter ab impulsû quodã præuio, quo volũtas ita prædeterminetur ad cõsensum, vt cum eo impulsû nequeat componere dissensum.

2 Prior nostrorum DD. sententia mihi est verissima. Si enim, vt Petrus consentiat, non præuenitur prædeterminatione ad consensum: ergo omnia, quæ præueniunt consensum indifferentia sunt ad consensum, & dissensum, proindeque, sicut illis potuit Petrus adiungere consensum, potuit quoque dissensum adiungere: ergo similiter potuit Paulus cum æqualibus viribus præuenientibus dissensum componere. Aliunde nõ impedit hanc potestatem reduci ad actum dissentiendi, quòd cum æqualibus viribus Petrus consenserit. Quia, si semel vires, vt quatuor suapte naturâ sint cum effectu coniungibiles, & effectû frustrabiles pro libertate, nihil prohibet, quod in vno subiecto pro istiûs libertate sortiantur effectum, & in alio pro eiûs libertate frustrentur effectû: ergo nihil obest, quominus vera sit ista copulatiua * Petrus cum his viribus præuenientibus, alijs non adiectis, consentit; & Paulus cum æqualibus dissentit * Idemque argumentum fieri potest, vt nihil impediat hanc copulatiuã esse veram * Petrus dissentit cum his viribus præuenientibus ad consensum; & tamen Paulus cum minoribus, omnibus pensatis, consentit. *

3 *Secundò*. Deus alios homines comparatiuè ad alios rubore suffundit, eisque exprobrat, quòd tali occasione malè se gesserint; cum tamen alij in aliâ opportunitate se gesserint benè. At, hæc exprobratio comparatiua, neque satis esset idonea, vt confusionem pareret; neque satis esset Deo digna, nisi contingeret alios homines se benè gerere; & alios malè cum æqualibus viribus præuenientibus prouocantibus ad bonum: ergo contingit, quod intendimus. Maior negari non potest, vt constat *ex tract. de Scient. disp.* 20. *c.* 2. *à n* 7. necnon ex Chrisost.. Hil. Euthim. Theop. Hieron. Ansel. Glos. ordin. August. & Thoma apud. Ruiz *de Scientia disp.* 62. *sect.* 5. Hi nanque PP. significant exemplum benè operantium opponi malè operantibus, vt pudore afficiantur. Minor patet. Nam, exprobratio comparatiua reprehendit, & arguit à paritate. Argumentum autem à paritate, si apta disparitas adhibeatur euanescit. Vt verò mirum non sit, hunc in tali occasione malè se gesisse; & alium in aliâ occasione benè, apta ratio dis-

Chrisost. Euthim. Hilar. Hieron. Theoph. Ansel. Glossa. Aug. Thom. Ruiz.

criminis est, hunc habuisse meliores vires ad bonum, quam alium. Neq; idoneum erit, vt malè operans pudore afficiatur, opponere illi alium, qui benè quidem operatus est; sed instructum ad bonam operationem vi fortiori.

4. *Tertiò*. Nam, viri spirituales, qui humiliter de se ipsis sentiunt, iudicare solent, quòd alii cum æqualibus, & minoribus incentiuis ad studiosos virtutis actus æquè benè; imò & melius se gererent. Id, quod ad humilitatis exercitium cōferre probat B. Bonau. tom. 1. opusc. vltimo. & S. Vincent. de vita spirit. cap. 3. Dicendum ergo est, posse interdum prædictum iudicium esse verum, & consequenter veram esse nostram sententiam, ne alioquin dicatur, hoc sanctorum iudicium piam esse fallaciam, quæ nunquam non potest à veritate aberrare. ¶ *Quartò*. Vel nunquam exercemus nostras electiones liberas cum æquali indifferentiâ ad oppositum ex parte præuenientium ad eas electiones; vel aliquando exercemus illas cum eâ indifferentia? Si hoc secundum: æquè facilè potuimus facere oppositum, vnde, nihil prohibebit, quominus alius cum simili indifferentiâ se gerat opposito modo. Si dicatur primum: contra est. Tum, quia obluctaris contra manifestam experientiam. Nam, artifex, qui pro ædificio eligit lapidem hunc præ alio penitus simili, & scholasticus, qui pro studio eligit emptionem huiûs libri potius quàm alterius penitùs similis, coguntur ipso naturæ lumine experire se has electiones exercere cum æquali prorsus indifferentiâ ante ipsas, vt, eis omissis, alias exerceant.

Bonauē. S. Vinc.

5. Tum, quia, si quoties vnam partem eligimus præ alia, determinamur ab alio prius quàm eam electionem faciamus, pugnatur contra omnes Philosophos, qui fidentissimè libertatem comprobant ab experimento, quod ipsis notissimum apparet. Hoc enim experimentum non aliud fulcrum habet, nisi, quod nobis appareat, quasi manibus ipsis illud tāgeremus, nostras electiones ita sæpè exercere, vt præuiè ad ipsas nullam ad aliam præ aliâ prædeterminationem habeamus; sed maximam ad opposita vertibilitatem. Quod si fallimur, ruit experimentum à Philosophis celebratissimum, & argumentum inde petitum prorsus inane est, quod ipsi Philosophi viderint, an concedere velint prædeterminatoribus. Confirmatur. Pone innumeros ferè homines hîc, & nunc habentes æqualem indifferentiam libertatis ex parte actûs primi,

mi, vt eligant statum religiosum; vel matrimonialem. Tunc sic. Statim, ac proponitur iste casus: ipsâ naturâ duce; lumen rationis inuenit magnam difficultatem in eo, quòd libertates istæ, & inter se non subordinatæ, & omninò inconsultæ sic se gerant, vt omnes conueniant in electione statûs religiosi. At, hæc difficultas benè percipitur, si, citra prædeterminationem ab alio, proditurae sunt immediatè in suam electionem; nō verò, si ante hanc electionem interuenire oporteat prædeterminationem diuinam: ergo fatendum est illud prius; & negandū posterius.

6 Minor pro primâ parte facilis est. Nam, innumeros se ipsis, ac purè ex libito suo resistere æquali inclinationi talium libertatum ad electionem statûs matrimonialis, statim apparet longè difficilius, quàm aliquos duntaxat resistere. Minor eadem pro secundâ parte probatur. Quod enim Deus Autor naturæ vniformiter se habeat cum similibus causis creatis, antequam ab ipsis determinetur ad difformitatem, difficilè non est. At, prædictæ libertates similes sunt, & ante ipsarum determinationem Deus alias ipsarum prædeterminat ad electionem statûs religiosi: ergo, quod reliquas sic prædeterminet difficilè non est. Hoc autem posito, omnes, quanuis neque subordinatæ, neque consultæ inter se, prodibūt in electionem status religiosi: ergo, quòd sic res habeant, difficilè nō est in sententiâ prædeterminationum.

7 Ex quibus infertur primò. Potest contingere, vt qui in hoc instanti A. consentit cum incitamento, vt quatuor, ad consentiendum, dissentiat in instanti B. cum æquali, similique incitamento ad consensum: quia cum hoc incitamento potestatem habet in B. vt dissentiat; & quod in A. consenserit non pugnat cum eo, quod dissentiat in B. Propter eandem rationem infertur secundò; posse contingere, vt dissentiat in B. quanuis ad consentiendum habeat maius incitamentum, quàm illud, quo consensit in A. Infertur tertiò. Potest contingere, vt qui non consentit in hoc instanti cum magno ad consentiendum incitamento, v.g. vt sex; consentiret in eodem instanti pro suo libito cum incentiuo minori, v.g. vt tria. Quia cum incentiuo, vt tria; esset libertas ad consentiendum; & aliunde hoc extremum: *Non consentit cum incitamento vt sex* non pugnat cum hoc: *Consentiret tamen pro suo suo libito cum minori.* Sicut benè stat, quod ille ipse,

qui grauiori tentationi non vult succumbere, vellet pro suâ libertate cedere leuiori. ¶ Quæ cum ita sint: duos reperio preclaros Theologos ex nostrâ Societate, nempè P. Sfortia Pallauic. 1. 2. *disput*. 4. *quæst*. 2. *artic*. 15. *num*. 5. P. Antonium Quiros *tom*. 1. *in* 1. *p*. *tract*. 4. *disput*. 54. *à sect*. 2. qui reuocant in dubium, an eadem persona, & in eodem tempore posſit pro suâ libertate difformiter operari liberè absque aliâ ex parte principiorum varietate, quàm indiuiduali, quæ minimè discernatur. V.g. consentit nunc voluntas Petri cum cogitatione A. Peto, an cum hoc stet, quod idem Petrus, & in hoc eodem instanti dissentiret, si loco cogitationis A. alliceretur ad consensum per cogitationem B. omnino similem, quamque Petrus haudquaquam discernit à cogitatione A. Hæc esse incomposſibilia putant præcitati Theologi. Videamus, quibus motiuis.

Sfortia.
Quiros.

CAP. II.

Motiua opinionis relatæ.

8 PRimum est. Contradictoria virtualia opponuntur, vt patet in assensû, ac dissensû circa idem obiectum; in volitione, ac nolitione efficaci eiusdem obiecti, &c. At, hæc extrema sunt contradictoria virtualia: *Petrus conuertitur cogitans cogit. A. in hoc instanti de passione Christi.* Ac deinde: *Non conuerteretur, si in eodem instanti cogitaret de passione Christi per cogitationem B. omnino similem, quam non discernit ab A.* ergo hæc extrema opponuntur. Minor probatur. Nam, satis conspicuè cernitur virtualis contradictio in eo, quod quis nunc eligat ouum A. qui tamen non eligeret ouum B. simillimum, si occurreret loco oui A. (quorum numericam distinctionem non discernit) ergo similiter extat virtualis contradictio in extremis assignatis in minori. Explicatur, & firmatur. Finge Petrum habere propositum retinendi per quatuor instantia ouum sibi præsens, idque ouum sit A. Tunc sic. Nequit Petrus persistens in eodem proposito in secundo instanti nolle retinere tale ouum, vt patet. At, similiter, si ipso inscio, loco oui A. poneretur B. nequiret nolle retinere B. ergo cum persistētia illiûs propositi

æquè

quę pugnat nolle retinere B. & nollę retinere A. quia scilicet in ordine ad affectus Petri non discernētis ipsa, perinde se habet, ac si essent idem ouum, & consequenter, quod pugnat cum nolitione vniûs pugnat cum nolitione alterius. Tum vltra.

9 Ergo eâdem ratione, sicut inter se pugnāt Petrū nunc esse cōuertendū cū cogitatione A, & non esse cōuertēdū cū eādē; ita quoque, cōuertēdū esse nunc cū cogitatione A. & nō cū B. omnino simili, si daretur. Tū, quia istæ duæ cogitationes indiscretæ à Petro perinde se habent, ac si eadē prorsus essent. Tū, quia si cogitationes numericè distinctæ sufficerent ad hoc, vt difformia sint exercitia libertatis; etiam sufficerēt, saltem indirectè obiecta numericè distincta, cum cogitationes de obiectis numericè distinctis distinguantur numericè: ergo ab opposito, si ea distinctio numerica obiectorum non sufficit ad eam difformitatem vsuum libertatis; neque sufficiet distinctio numerica cogitationum. Tum, quia argumentum factum in obiectis transfertur facilè ad cogitationes. Si enim dum quis proponit retinere per quatuor instantia ouum A. contradictio est, vt eo proposito persistente nolit in secundo instanti retinere ouum B. quod non discernit ab A; similiter, dum quis proponat consentire per quatuor instantia cum cogitatione A. contradictio erit, vt eo proposito persistente nolit in secundo instanti consentire cum cogitatione B. quam non discernit ab A.

10 Respondeo, concessa maiori, negatur minor cum sua probatione. Sicut enim non sunt contradictoria virtualia hæc extrema * Petrus consentit nunc, non tamen consentiret, si existeret in alio instanti, quod ab hoc non discerneret * ita neque illa, quæ nobis obijciuntur. Si enim libertatis varietas petita ex purâ variatione instantium, quæ non discernuntur, & quæ solo numero distinguuntur, impedit contradictionem virtualem eorum extremorum; similem contradictionem impediet libertatis varietas petita ex purâ variatione cogitationum similium, tametsi ab agente libero non discernantur. Ad confirmationem, concesso toto syllogismo posito *num.* 8. neganda est subillatio posita *initio num.* 9. Nam in casû eiûs confirmationis datur in secundo instanti aliquid, quod excludat nolitionem oui B. tunc occurrentis. Hanc enim nolitionem excludit persistentia propositi retinendi ouum A, coniuncta cum existimatione, quod ouum in

eo secundo instanti occurrens est A. (esto reipsa sit B.) si enim neque explicitè; nec implicitè daretur hæc existimatio, posset voluntas nolle ouum tunc occurrens, etsi perstaret propositum retinendi ouum A. hoc enim propositum non determinat ad retinendum ouum, quod non putatur A. Atque idem propter eandem rationem dicendum est in casu, quem excogitat tertia probatio subillationis negatæ. At verò, casû, quo voluntas consentiat cum cogitatione A. restat adhuc probandum, dari aliquid, quod excludat, quòd eadem voluntas in eodem instanti dissentiret, si eius libertas constitueretur per cognitionem B. omnino similem A. talem enim dissensum non excludi per consensum cum cogitatione A. est nostrum intentum, & oppositum incumbit aduersario probare.

11 Hinc ad primam probationem subillationis dicatur. Tametsi prædictæ cogitationes similes, & ab agente libero indiscretæ perinde se habeant, ac si eadem essent in ordine ad hoc, vt nequeat voluntas eos actus exercere circa ipsas, qui petunt discerni distinctionem; tamen constituunt libertates numericè distinctas, saltem inadæquatè, idque sufficit, si aliud non obstet, quòd hîc non obstat, vt vnius istarum libertatum consensus non inferat, quòd altera si daretur consentiret. Ad secundam probationem eiusdem subillationis dicatur. Interdum cogitationes numericè distinctæ, & consequenter obiecta numericè distincta, ex quibus ea distinctio cogitationum desumatur, sufficiunt, vt pro libito voluntatis difformiter exerceatur voluntas. Interdum autem id non sufficit. *Sufficit*, quando aliud non extat, quàm voluntatem cõsentire sub vnâ cogitatione, quod inferat non fore dissensuram sub aliâ simili, si daretur: hoc enim vltimum non infertur ex illo primo, vt iam tetigimus, & amplius probabitur cap. seq. *Non sufficit*, quando aliquid aliud præterea datur inferens, quod voluntas consentiens sub vnâ cogitatione consentiat sub aliâ: vt datur in casû, quo voluntas proponat consentire sub cogitatione A. per instans A. & B. & eâ persistente in eodem proposito in instanti B. detur tunc cogitatio B. quæ existimetur A. Hoc autem speciale non est in cogitationibus similibus solo numero distinctis. Idem enim contingeret, si in instanti B. Daretur cogitatio dissimilis, quæ tamen putaretur cogitatio A. Ad tertiam iam diximus.

12 *Secundum est*. Si existerent simul in voluntate cogitatio A. & cogitatio B. omnino similes, & quoad vsum subiectæ beneplacito voluntatis, non posset voluntas vti pro suo libito ad consentiendum cogitatione A. præ B. quia scilicet vnam ab aliâ non discernit: ergo voluntas consentiens in hoc instanti sub cogitatione A. consentiret etiam si loco huiûs daretur B. omnino similis. Si enim necesse est, vt cum illis duabus simul existentibus se gerat voluntas eodem modo, quia nõ discernit ipsas, planè necesse erit, vt eodem modo se gereret, si deficiente A. daretur B. Tunc enim non discerneret, num quæ existit sit A. num B. nũ vtraque. Cõfirmatur, Volũtas proximè potens ad amorem A. & amorem B. omnino similes, & quos minime discernit, nequit se pro suo nutû determinare ad vnum quin se determinet ad vtrunque. Nam, alioquin posset pro suo nutû se determinare ad vnum præ alio, in quo stat se determinare quoad indiuiduationem, quod iuxta communem opinionem censetur impossibile nobis: ergo similiter voluntas nunc eliciens actum A. eliceret eo ipso actum B. si in hoc instanti esset ad hunc potens loco A.

13 *Respond*. Concesso antec. negatur conseq. Ratio est. Nam, in casû antecedentis, voluntatem vti per consensum cogitatione A. est impedire se ipsam ad non vtendum per consensum cogitatione B. simul existente, vt statim explico. Proinde, nihil mirum non posse voluntatem vti nunc per consensum cogitatione A. & cum hoc cõponere non vti B. simul existente. At verò, voluntatem vti nunc per consensum cogitatione A. non existente nunc cogitatione B. non impedit, quòd casû, quo loco hujûs libertatis constitutæ per cogitationem A. seque exercentis per consensum daretur nunc alia libertas proxima constituta per cogitationem B. hæc libertas exerceretur per dissensum. Idcirco, nihil prohibet voluntatem consentire nunc cum A. dissensuram cum B. si B. daretur loco A. Prior pars solutionis ideo est vera, quia dupliciter stat voluntatem liberè acceptare per consensum cogitationem A. vel eligendo explicitè acceptationem huiûs singularis cogitationis potiùs, quàm alteriûs: & hoc fieri non potest nisi discernendo indiuiduationẽ A. cumque simus in casû vbi talis abest discretio, non datur hic modus acceptandi liberè cogitationem A. Vel, eligendo implicitè acceptationem huius cogitationis, quatenus eligit liberè vo-

luntas acquiescere cognitioni *præsenti* præallicienti non eligens vni acquiescere præ aliâ. Et hic est modus acceptandi liberè cogitationem A. cumque peræquè sit acceptare B. vt terminos introspicienti patet, planè fit, voluntatem impedire liberè non acceptationem cogitationis B.

14. Posterior pars solutionis ideo est vera, quia in eo casû non relinquitur existens acceptatio libera cogitationis A. quia iam sumus in casû vbi deest cogitatio A. ac proinde deest voluntatem illi acquiescere reipsa, & actualiter. Vnde, quando loco cogitationis A. deficientis datur existens libertas constituta per cogitationem B. talem libertatem exerceri per dissensum non impeditur ex eo quòd existente hâc libertate constitutâ per B. detur absolutè, & actualiter actualis acceptatio cogitationis A. non enim datur talis acceptatio. At, quod voluntas per consensum acceptaret cogitationem A. si illam haberet, non impedit, quod quando non habet illam, sed B. resistat huic per dissensum. Saltem, oppositum restat adhuc aduersarijs probandum. Ergo hucusque non satis suum intentum promouerunt. Ex quibus, si attente perpendantur, patet, indiscretionem illam cogitationum, cui tantoperè insistunt aduersarij; plurimum quidem conferre in casû antecedentis, vt voluntas non possit liberè diuidere vsum cogitationis A. ab vsû cogitationis B. simul præallicientis. Parum autem ea indiscretio confert, vt voluntas consentiens A. inferatur consensura cum B. si deesset A, eiusque loco adesset B.

¶ Hinc patet ad confirmationem, concesso antec. & negatâ conseq. Ratio discriminis est. Quia non discretis à voluntate amore A. & B. quos proximè potest elicere, voluntas se determinans ad amandum non se determinat pro suâ electione ad vnum amorem præ alio; sed expresè, aut implicitè dicit * Volo amare, vt possum * Hoc autē est se pariter impedire ab omittendo amore A. & ab omittēdo amore B. quos æquè potest. Quid ergo mirū, nō posse in casû antecedētis cōponere omissionē liberā amoris B. cū eo quòd liberè se determinet ad A. siquidē ex modo se determinandi, se pariter determinat ad vtrunque? At, in casu cōsequētis, vt iam diximus, nempè, deficiente potestate ad actū A. & loco illiûs adueniente potestate ad actū B. nihil est, quòd, positâ hâc potestate posteriori, impediat ipsam se exercere per dissensum; tametsi quando detur prior potestas se exerceat per consensum.

15 Ter-

15 *Tertium* argumentum formabitur meo iudicio clarius, si duo præmittantur: *Primum* est, voluntatem nostram, iuxta communem nostrorum sententiam, non esse liberam quoad indiuiduationem actuum: quando nanque amat v. g. tametsi libertatem habeat, vt amet, & omittat amorem; non tamen, vt se determinet pro suo placito ad singularem amorem A. præ singulari amore B. *Secundùm est*. Eo ipso, quòd nostra voluntas non habeat prædictam libertatem, quoad indiuiduationem, consequens est, vt quando amat, non magis *ex se ipsa* se determinet ad amorem A. quam B. Nam, id circo non habet eiusmodi libertatem, quoad indiuiduationem, quia cum amor A. & B. sint omnino similes, eosque voluntas non discernat, vim non habet, vt ex ipsiùs placito determinet A. præ B. quare cum amat, non determinat ex se A. præ B. sed quatenùs est ex se determinat se indiscriminatim ad totam speciem; ideoque ponitur A. potius quam B. quia Deus non præparando cōcursum ad B. non tribuit voluntati facultatem proximam, vt illum ponat. Vnde, cum solum ad A. talem potestatē habeat, necesse est, vt vel nullum amorem ponat; vel ponat A. Ex quibus tandem infertur, voluntatem se determinantem ad amorem A. ex eo solùm non ponere B. quia non habet potestatem proximam ad ipsum.

16 His positis, quæ videntur manifesta, semel admissa sententiâ de impotentiâ nostræ voluntatis, vt se determinet quoad indiuiduationem, sic potest argumentum formari, primâ quidem facie satis efficax. Quoties tota ratio, vt aliquis effectus deficiat est defectus potestatis proximæ ad ipsum, manifestè infertur, extiturum fore talem effectum, si non deficeret ea potestas. At, quandò voluntas se determinat ad amorem, tota ratio, vt deficiat amor B. est defectus proximæ potestatis ad ipsum: ergo manifestè infertur ex eo, quòd voluntas se determinet ad amorem, vt si loco potestatis, quam habet ad amorem A. similem haberet potestatem ad B. existeret amor B. & consequentèr benè stat exercitiū amādi nūc sub vna potestate proximâ inferre infallibiliter, quod eâ potestate deficiēte, & loco illius succedente simili potestate similiter daretur amor.

17 Hoc argumentum ingeniosum est, in quo tamen latet, ni fallor, haud exigua æquiuocatio. At, vt fallacia detegatur, insto in primis argumentum. Bene nanque compossibilia sunt voluntatem se determinare nunc ad amorem, & conse-

quen-

quenter se determinare quatenus est ex se ad totam speciem amoris; simulque verificari, quòd, & si nunc voluntas haberet potestatem proximam ad amoremB. tamen eum non eliceret: ergo voluntatem se determinare, quatenùs est ex se, ad totam speciem amoris, non infert, quod eliceret amoremB. si haberet potestatem proximam ad ipsum. Consecutio patet, & antecedens probatur. Nam bene componuntur voluntatem se determinare nunc ad amorem per vocationem ardentissime inclinantem; & tamen, quòd non se determinaret ad amorem B. si deficiente eà vocatione ardentissimâ, daretur loco illiûs alia tepidissima, & simul cum illâ constitueretur voluntas proxime potens ad amorem B. ¶ Deinde resp. Concessâ maiore (nomine nanque *totius rationis*, vt aliquis effectus deficiat intelligimus illam, quâ sola absente, cœterísque manentibus, iam effectus existeret) distinguo tamen minorem: est defectus eius potestatis manente suppositione illâ *, quod voluntas se determinet ad amorem, concedo minorem; non manente, nego minorem. Deinde, nego consequentiam. Nam deficiente potestate A. ex qua nunc oritur se determinare voluntatem ad amorem; dataque loco eius potestatis potestate B. non manet voluntatem se absolute determinare ad amorem per potestatem A, vt constat; neque manet aliud inferens, quod per aliã potestatem se determinat voluntas ad amorem. Nam, quòd se determinaret per A. si daretur, non infert, quòd data B. se determinat per ipsam. Vnde, nihil est, quod impediat non se determinare voluntatem ad amorem per potestatem B. datam loco potestatis A. non existentis, cum qua, si existeret, se determinaret voluntas ad amandum. Sic, si nunc efficaciter decernas omnia præcepta seruare, tibique non occurrat iam vrgere præceptũ eleemosynæ, profectò tota ratio nõ dandi eleemosynã, salua existentia eius propositi, est non occurrere vrgẽtiã præcepti, & tamẽ si supponatur ita occurrere nũc vrgẽtiã præcepti, vt illud propositũ efficax nõ maneat, nõ erit ratio inferẽs collationẽ eleemosynæ, quòd nunc occurrat vrgere præceptũ.

18 *Quartum* argumentum est. Petrum consentire cum cogitatione collata à Deo ex intentione misericordiæ infert infallibiliter, quòd foret consensurus, etiam si non esset collata ex fine misericordiæ: sed amicitiæ: ergo similiter Petrum cõsentire cum cogitatione A. infert infallibiliter, quod foret cõsensurus, etsi non haberet cogitationem A. sed B. omninò similem,

lem, quam non discernit ab A. Antecedens probatur ex eo, quod ex hac, vel illa intentione conferri cogitationem inclinantem ad consensum, cum in nihilo cogitationem, vel causam liberam immutet; sed ijs sit prorsus extrinseca, se habet impertinentèr ad variationem consensus, ac dissensus: & quidem non minus impertinenter, quàm eandem cogitationem dari nunc, saltante Turca; vel dari nunc, non saltante Turca. Quamobrem, sicut voluntatem cum hâc cogitatione consentire nunc, saltante Turca, infert infallibilitèr, quòd eodē modo consentiret, si nulla alia daretur variatio, quàm Turcam non saltare; similitèr dicendum est de variatione prædictarum intentionum. Iam consequentia probatur. Tum, quia sicut cogitatio ad consensum est aliquod constitutiuum proximæ libertatis; ita etiam Deum præparare suum concursum. At, distinctio harum præparationum petita ex eo, quòd vna sit ex fine misericordiæ, & alia ex fine amicitiæ, non sufficit, vt iam voluntas consentiat, iam dissentiat: ergo neque ad hoc sufficit distinctio numerica, quæ non discernitur à nobis, cogitationū similium. Tum, quia distinctio hæc cogitationum, quæ à nobis non discernitur, perinde impertinentèr se habet ad variationem consensûs, ac dissensûs, ac distinctio intentionum, ex quibus detur eadem cogitatio. ¶ Confirm. Si quis videat adesse sibi adiutorium sufficiens ad leuandum pondus; non tamen discernat; an sit Petri, an Pauli, certè quod sit Petri, potius quam Pauli, vel contra impertinenter se habet ad variandas determinationes leuandi: ergo idem dicendum, siue cogitatio sit A. siue B. quarum distinctio non discernatur.

19 Ad argumentū respōt iam olim respondebam prænotando, circumstantias, in quibus voluntas se liberè determinat, esse in duplici differentiâ. Aliæ sunt illæ, quæ non solùm nihil sunt ipsiûs liberæ determinationis; sed etiam sunt extra totam libertatem in actû primo ad consensum, ac dissensum; proindeque, adæquatè distinguuntur, & ab exercitijs libertatis, & ab ipsâ libertate in actû primo. Aliæ verò sunt, quæ libertatis constitutiua, inadæquata saltèm, sunt. Variatio earum, quæ pertinent ad primum genus, impertinentèr se habet ad difformitatem exercitiorum libertatis. Nam, quod nullatenus immutat libertatem, in ratione libertatis, nequit deseruire, vt libertas difformiter se exerceat. At, variatio illarum, quæ pertinent ad secundum genus conferre potest ad difformitatem

nitatem exercitiorum libertatis. Nam, vbi libertates sunt distinctæ, quamuis distinctio sit tantum inadæquata, sane, si aliud non obstet, possunt difformiter exerceri. Quapropter, voluntas constituta per vocationem fortissimam in ratione liberæ ad amandum Deum, potest se exercere per amorem Dei; tametsi se exerceret per omissionem amoris, si constitueretur libera per vocationem languidiorem, in quibus casibus eadem esset præcipua libertatis pars, nempè ipsa voluntas. Hinc

20 Respondeo ad argumentum. Verum est antecedens; quando eadem adæquatè libertas est collatis cogitationibus ex vnâ, vel alia illarum intentionum. Vt, si res ita ponantur, quòd tales intentiones cum nullo constitutiuo proximæ libertatis identificentur. Falsum tamen est antecedens, si tales intentiones sint, inadæquatè saltem, cōstitutiuæ libertatis. V.g. si tales intentiones identificentur, vel cum exclusione principiorum necessitantium; vel cum eo, quòd Deus paratus sit ad concurrendum nobiscum ad nostros actus. Tunc enim ex vna earum intentionum simul cum alijs constitutiuis libertatis consurget vna libertas proxima; & ex alia intentione libertas alia proxima, saltem inadæquatè distincta, nihilque prohibet, quominus istæ libertates difformitèr se exerceant, vt partim ex dictis, & partim ex dicendis constabit. Deinde, nego consequentiam: quia in casû consequentis dantur libertates inadæquatè distinctæ. ¶ Ad confirm. Si, præsente adiutorio Petri, alia esset cogitatio constituens libertatem ad volitionē circa leuandum pondus; alia vero præsente adiutorio Pauli, libertates istæ inadæquatè distinctæ possent difformiter se exercere; secùs, si in vtroque casû eadem omninò sit libertas, vt constat ex dictis.

CAP. III.

Quid dicendum?

21 STandum nobis est sententiæ, quæ, ni fallor, est iuxta communem mentem nostræ Societatis. Quare. *Conclusio sit*. Potest causa libera se determinare in hoc instanti ad consensum, se determinatura in eodem instanti ad dissensum, si loco cogitationis A. ad consensum allicientis, alliceretur per cogitationem B. idque quamuis hanc cogitationem non discernat

cernat ab illa. Probatur. *Primò*, quia nullam in hoc implicationem misceri constat ex solutione argumentorum, quæ studiosè congesserunt aduersarij. *Secundò*. Quia distinctas numero libertates, tametsi inadæquatè duntaxat distinguantur, stat difformiter se exercere, vt patet, si Petrus, & Paulus in hoc instanti allicerentur ad amorem Dei eadem numero cogitatione diuinitùs infusa animabus vtriusque. Tunc enim posset componi Petrum cum ea cogitatione amare liberè Deum; Paulum autem omittere amorem Dei. Libertates autem vtriúsque inadæquatè duntaxat distinguerentur: quia vna pars earum libertatum, nempè prædicta cogitatio, esset vtrique libertati communis. At, in casu conclusionis, libertas nunc existens in Petro, quæ per cogitationem A. constituitur, est numero distincta inadæquatè à libertate, quæ constitueretur per cogitationem B ergo potest Petrus se determinare nunc per cogitationem A. ad consensum, se determinaturus ad dissensum, si loco libertatis constitutæ per cogitationem A. daretur libertas constituta per B.

22 Dices, voluntatem non discernere A. & B. Ex quo fit, aiunt aduersarij, voluntatem formalitèr, vt se determinatiuam ad exercitia suæ libertatis perinde se habere, ac si nulla prorsus esset variatio libertatis; sed præcise varietas in aliquo impertinente ad libertatem, vt saltare; vel non saltare Turcam. *Sed contra*. Nam si conferamus Petrum nunc instructum cogitatione A. quam bene discernat, cum se ipso instructo loco cogitationis A. cogitatione simili B. quam bene etiam discernat, contingens est, iuxta aduersarios, consentire in primo casu; dissentireque in secundo; ideoque in ijs casibus principium determinatiuum sufficienter variatur ad difformitatem exercitiorum libertatis: ergo etiam data cogitatione A. vel non data hac; sed data B. loco illiùs, tametsi voluntas eas cogitationes non discernat. Probo consequentiam. Nam illi euentus earum cogitationum discretarum distinguuntur solo numero, sunt omninò similes, & ex parte actus primi neque magis, neque minus, neque dissimilitèr inclinant ad consensum. At, pensatis ijs omnibus, cum tanta similitudine, solaque numerica distinctione, eaque inadæquata libertatum, stat varietas sufficiens ad difformitatem exercitiorum libertatis: ergo etiam in euentibus earum cogitationum, quæ physicè sunt numero distinctæ; ab intellectu tamen indiscretæ.

23 Nec

23 Nec refert ſi dicas, non obſtante tanta ſimilitudine, & æqualitate inclinationis ad exercitia vniformia, poſſe voluntatem, ſi ſemel diſcernat cogitationem A. & B. ſe difformitèr exercere. Dicere nanque poteſt: *Volo acquieſcere A.* ſi autem inſtrueretur cogitatione B. dicere poſſet. *Nolo acquieſcere B.* Sicut, cum Deus cum eadem inclinatione ad productionem huius, & illius indiuidui ſimilium, quæ penitiſsimè diſcernit, dicere poteſt, *Volo A. nolo tamen B.* Non, inquam, refert. Sic enim arguo. Non enim obſtante prædicta ſimilitudine, & æqualitate, poteſt voluntas in caſibus diſcretionis ſic ſe habere, vt in vno dicat expreſse, ac ſignate: *Volo acquieſcere cogitationi A.* hac vero cogitatione deficiente, poſitaque B. *Nolo acquieſcere cogitationi B.* ergo in caſibus indiſcretionis contingens erit ſic ſe habere, vt in caſu A. dicat: *Volo acquieſcere inclinationi, quam habeo ad amorem*; deficiente verò cogitatione A, & poſita B. dicat: *Nolo acquieſcere inclinationi, quam habeo ad amorem.* Nam vtrobique datur inadæquata libertatum omninò ſimilium diſtinctio indiuidualis, & non magis pugnant inter ſe, vt ex cap. præced. patet, ea exercitia difformia non reflectentia expreſsè ſupra cogitationes A, & B. quàm illa reflectentia.

24 Firmantur hæc omnia, ſumptis ex vnâ parte libertatibus inadæquatè diſtinctis, eâque diſtinctione, quæ ſolùm eſt penès id, quod vna importet maiorem inclinationem ad conſenſum; & alia minorem, eaſque diſcretas; ex alia veró parte, ſumptis quoque libertatibus inadæquatè diſtinctis cum æqualibus, & omninò ſimilibus inclinationibus, eiſque indiſcretis, ad conſenſum. Nunc ſic. Difficilius apparet, priores illas libertates propter ſuam diſtinctionem ab intellectû diſcretam, ita difformiter ſe habere, vt quanuis nullum ſit diſcrimen niſi maioris, & minoris inclinationis ad conſenſum, conſentiat minus inclinata, diſſenſura, ſi magis inclinaretur; quam æquè ad cōſenſum inclinatas inclinationibus indiſcretis ab intellectû, ſic ſe habere, vt inclinata per A. conſentiat, diſſenſura, ſi inclinaretur per B. longius enim eſſe apparet à diſſenſu cum inclinatione vt octo ad conſenſum, qui cum ſola inclinatione vt quatuor conſentit, quam à diſſenſu cum inclinatione, vt quatuor, qui cum aliâ inclinatione, vt quatuor conſentit. Illud autem, quod apparet difficilius, eſt contingens: ergo, & aliud, quod non adeo difficile appareat. Iam verò, vt veritas noſtræ

ſen-

sententiæ firmior consistat, breuibus illationibus occurrimus ijs, quæ obstare posse videntur.

25 Infertur primò ex dictis, variationem loci præcisè sumptam non conducere, vt in alio, & alio loco difformia sint exercitia libertatis. V.g. si ego nunc instructus in hoc cubiculo libertate A. ad amandum Deum, Deum amo, pariter Deum amarem, si nunc instructus eâdem libertate essem in alio cubiculo. Nam, eiusmodi vbicationes extra totam libertatem sunt, eamque in nihilo immutant præcisè sumptæ. Quæ autem huius sunt generis non conducunt ad difformitatem exercitiorum libertatis, vt dicebam *num.* 19. Locutus sum de vbicationibus *præcisè sumptis*. Non enim est dubium, diuersitatem loci, quandoque occasionem esse diuersæ temperiei, & hanc interdum causare diuersitatem in cogitationibus constituentibus libertatem proximam, quæ diuersitas cogitationum valdè conducit ad difformitatem exercitiorum libertatis: ac proinde, diuersitas loci potest occasionaliter deseruire ad difformitatem exercitiorum libertatis, sicut etiam locus, vt cognitus: vt, si videas te esse in loco sacro, vel in prophano, quia tunc ex his cognitionibus libertates resultant aliquâ ex parte distinctæ.

26 Infertur secundò, variationem durationum præcisè sumptam conducere ad difformitatem exercitiorum libertatis. Nam, vt eodem *num.* 19. dicebam, variatio eorum, quæ constituunt aliquâ ratione libertatem proximam, eo ipso vtilis est ad difformitatē exercitiorum libertatis. Variatio autē durationum est huiusmodi. Durationes nanque constituunt aliqua ratione libertatem proximā: sumus enim proximè apti ad operandum liberè, eo quòd potius existamus, quam extiterimus, vel exstituri simus. Existere autem, prout distinctum ab extitisse, & extiturum esse, durationem præsentem importat: ergo libertas, vt proxima, durationem imbibit. ¶ Infertur tertio (vt quorundam argumentorum occasionem amputemus) si cum debita proportione ratiocinemur ex vna parte de durationibus, aut instantibus constituentibus inadæquatè libertatem; & ex alia de cogitationibus, non esse ab omnibus agnoscendum discrimen in ordine ad vniformitatem, vel difformitatem exercitiorum libertatis, vt aduersarij putant. Debitam autem proportionem voco, durationes indistantes comparare cum cogitationibus eiusdem durationis; & durationes,

tiones distantes comparare cum cogitationibus successiue existentibus. Si nanque ex eo, quòd Petrus consentiat nunc cum cogitatione A. infertur, vel illatione metaphysice, vel moraliter infallibili, quod consentiret casû, quo nulla esset variatio, præter quàm dari loco A. cogitationem B. similem; eadem ratione, ex eo, quòd Petrus consentiat in hoc *nunc* constitutus in illo per durationem A. infertur metaphysicè, vel moraliter, quod consentiret, nulla alia variatione facta, quàm constitui in hoc *nunc* per durationem B. similem A. Deinde, si ex eo, quod consentiat nunc, nullatenus infertur quòd consentiret postea similiter vocatus, pariter ex eo, quod consentiat cum cogitatione A. nunc existente, nullatenus infertur, quòd consentiret cum cogitatione B. simili, si postea daretur.

27. Rogabis, an saltem sit moraliter necessarium, vt Petrus consentiens nunc cum cogitatione A. consentiret in eodē nunc, si nulla alia variatio esset, quàm loco A. dari B. omninò similem, citra discretionē ipsiûs ab A? Res mihi satis anceps, & lubrica. Nam, si consulamus apprehensiones statim exurgentes, admittenda videtur ea saltèm moralis necessitas. Si enim quis videret Petrum conuerti cum cogitatione A. statim sibi persuaderet, quòd similiter conuerteretur casu, quo non esset alia variatio, quàm habere cogitationem B. omninò similem. Aliunde, si consulamus rationem, oppositum videtur verius. Tum, quia, si in eodem instanti duo homines constituātur liberi similibus omninò libertatibus (&, si placet, constituti s eisdem numero cogitationibus) ad consensum, & dissensum, ita contingens est consentire vnum, & alium dissentire, vt vnius consensus non fundet certitudinem moralem de consensu alterius. Nam alioquin à fortiori consensus duorum similitèr liberorum, trium, quatuor, & sic innumerorum fundaret certitudinem moralem de consensû alteriûs: quod tàm à veritate abest, vt potius sit moralitèr impossibile tot causas liberas, citra omne pactum antecedens, se vniformitèr determinare. Tum, quia consentire in hoc instanti cum cogitatione A. segnitèr inclinante ad consensum; & quidem ejus cogitationis viribus benè ab intellectû discretis, non fundat certitudinem moralem de consensû futuro, si loco eiûs cogitationis poneretur alia vehementius inclinans, eaque vehementia benè discerneretur. Quemadmodum, iuxta aduersarios, hic non tenet illatio metaphysica, quanuis teneat ex consensû cum vnâ

cogita-

cogitatione ad consensum cum aliâ simili indiscretis ab intellectu. Tandem, quia inspectis casibus cogitationum similium, ac durationum similium discretarum ab intellectû, ex consensu sub vno casu non infertur metaphysice consensus sub alio casu, vt aduersarij benè sentiunt: ergo neque datur illatio moralis: quia vel nihil hanc illationem probat, vel probat metaphysicam, vt *ex cap. 2.* constat: ergo neque tenet illatio moralis ex consensu cum vna cogitatione ad consensum cum aliâ simili indiscretis ab intellectu. Nam, sicut in hoc casu statim, atque videat aliquis consensum sub vna, sibi persuaderet consensum sub alia; sic in casibus de cogitationibus similibus ab intellectû discretis non minus allicientibus inter se discretis, quam confusis: idque ipsum cernere est in alijs casibus in hoc num. positis. Videtur ergo fallere apprehensio assignata *initio huius num.*

28 Fallere quidem videtur. Quia distincta dominia insubordinata, inconsulta, & purè pro suo libito se determinantia ad operandum, videntur esse talia suapte natura, vt parum referat vni placere vnum, vt alteri simile placeat. Radix deceptionis forsàn est: Quia solenne nobis est ex patentioribus abditiora scrutari: quo, licèt sæpè veritatis attingamus scopum; non semèl ab eodem aberramus propter maximam dissimilitudinem, quæ non semel est inter occulta, & nota. Porrò autem, causæ necessariæ similes frequentissimè nobis occurrunt, semperque vniformiter operantes. At, causa libera in hoc instanti vno modo disposita, & in eodem instanti non sic disposita; sed alio simili modo vice illiûs, nunquam nobis occurrit, neque quî se haberet in ea rerum exigua varietate. Quoniam ergo ex illis notis iudicium subitò ferre solemus de his incognitis, ideò statim censemus, quòd causa libera similitèr disposita, similitèr se determinaret. Forsàn tamen fallimur, aliterque iudicaremus re maturè discussa. Quid igitur demum dicendum? Magis quidem propendeo, vt negem eam necessitatem moralem. Eorum tamen seuerum tribunal timeo, qui adeò tenaciter apprehensionibus subitò irrepentibus præoccupantur, vt rationi correctrici viam præcludant.

DISPVT. DECIMASEPTIMA.

De dependentia actuum liberorum à constitutiuis libertatis.

HVius discussio non est inutilis ad naturã actuum liberorum plenius indagandam.

CAP. I.

Comparatur consensus liber cum cogitatione, quæ ab ipso retrahit.

NOto primò. Multiplicia sunt constitutiua libertatis proximæ ad consensum, v.g. *Primò*. Ipsa substantia animæ, vt instructa facultate volendi. Non disputamus de dependentia consensus à eiusmodi constitutiuo libertatis. Nã, consensus dependet in genere causæ efficientis à substantia animæ; facultateque volendi; & sicut dependentia reliquorum effectuum à suis causis efficientibus stat in actione, per quam ab illis efficiuntur; ita dependentia consensus liberi ab anima, & voluntate non est aliud; quam actio, per quam ab illis efficitur. *Secundò* est constitutiuum libertatis proximæ cogitatio voluntatem alliciens ad consensum. Quomodo autem dependeat consensus in genere motiuo à cogitatione alliciente ad ipsum, explicuimus satis *disp.* 11. Tertiò, solet annumerari inter proxima constitutiua nostræ voluntatis ad consensum decretum quoddam diuinum, quo Deus paratam habet suam omnipotentiam, vt exequatur effectiuè consensum pro nostro placito. Hoc decretum communitèr existimatur præuia conditio se ipsa immediatè iuuans ad executionem nostri consensus. Hac autem opinione admissã, constat similitèr ex ea *disp.* 11. quomodo exponenda sit dependentia nostri consensus ab eo decreto. Mihi verò probabilius fuit tract. de Prædestin. *disp.* 9. *cap.* 3. ante executionem consensus liberi non alitèr Deus habere paratam suam omnipotentiam ad executionem ipsius,

ipsius, quam positis principijs effectiuis, & motiuis, & exclusa praeuia necessitate volũtatis, vt ipsum ponat. Quamobrem, exposita dependentia consensus liberi ab eis principijs, eáque necessitatis exclusione, nihil est, quod dicamus de dependentia ab eo decreto praeparatorio omnipotentiae.

2 *Quartò*, constitutiuum est proximae libertatis ad cõsensum cogitatio retrahens voluntatem à positione ipsius consensus. Ratio est: quia libertas ad consensum claudit potestatem proximam ad dissensum. Haec autem potestas proxima voluntatis ad dissensum includit cogitationem inuitantem ad ipsum: ergo libertas proxima ad consensum claudit cogitationem inuitantem ad ipsum: ergo libertas proxima ad consensum claudit cogitationem inuitantem ad dissensum. Inuitare autem ad dissensum est à consensu retrahere: ergo constitutiuum est proximae libertatis ad consensum cogitatio retrahens ab ipso. Videbimus nunc, quomodo consensus cum ea cogitatione se habeat. *Quintò*, constitutiuum est proximae libertatis ad consensum exclusio illius, quo voluntas ineuitabilitèr necessitetur ad consensum; necnon exclusio eius necessitatis, qua ineuitabilitèr voluntas necessitetur ad dissensum. Videbimus etiam in hac disput. quomodò se habeant actus liberi cum his exclusionibus necessitatis. ¶ Prius tamen, noto secundo ex *disp*. 18. & 19. Actus, vel actiones liberae sunt in duplici differentia. Aliae sunt intrinsecè, & essentialitèr liberae, nempè illae, quae habent intrinseca praedicata, quorum iure nullatenùs possunt fieri à voluntate necessariò; sed solùm liberè. Alia, quae non sunt intrinsecè, & essentialiter liberae; sed potius, quanuis hìc, & nunc libere exerceantur; ipsis tamen ab intrinseco non repugnat exerceri à voluntate necessariò. His positis.

3 *Assero primò*. Cogitatio retrahens voluntatem â consensu libero non datur pure pro posteriori naturae respectû consensus liberi. In hoc omnes, ni fallor, conueniunt, breuiterque probatur. Nam, praedicta cogitatio ita datur; vt deseruire possit ad impediendum consensum. At, non potest impedire consensum, vt existens pure pro posteriori naturae ad consensum. Nam, vt orta ex consensu (in quo stat esse posteriorem naturâ consensu) non potest coniungi cum impeditione consensus. Oportet igitur aliter existere, quàm pure pro posteriori naturae respectu consensus. ¶ *Assero secundò*. Cogitatio retrahens

voluntatẽ à cõsensu præcedit positiuè prioritate naturæ ad cõsensum intrinsece, & essentialiter liberũ. Probabitur clariùs, & expeditiùs cõclusio si prænotes, quæ sequuntur. *Primũ.* Actio cõsentiẽdi ab intrinseco libera sortitur ab intrinsecis duo prædicata, & esse actionem consentiendi, & esse exercitium superandi conatum, quo nititur in oppositum cogitatio retrahens. Quemadmodum, actus audaciæ, quo decernas cum hoste validissimo pugnare, sortitur ab intrinseco duo prædicata, si sit ab intrinseco actus audaciæ, & esse decretum aggrediendi pugnam, & esse exercitium superandi rationes, quibus animus retrahitur, quominus id aggrediatur, quod tantis periculis obnoxium est. *Secundum.* Voluntas per cogitationem retrahentem à consensu constituitur directe inclinata ad impediendum consensum, vt patet. At, indirecte saltem constituitur inclinata ad hoc; vt casu, quo eliciat actionem consentiendi, eliciat potius eam, quæ sit ab intrinsecis exercitium superandi conatum eiùs cogitationis retrahentis, quàm illam, quæ non sit talis. Ratio est.

4 Quia causa virtutem habens, vt exerceat actiones diuersæ naturæ, constituitur in actu primo proximo ad alias præ alijs inclinata per coexistentiam cum illis circumstantijs, quæ cũ sint distinctæ ab eis actionibus, necnon independenter ab eisdẽ existentes, vtiles potius sunt, vt tales, quã vt tales actiones exerceantur; neque vt res contra se habeant adest exigentia præpõderans. Vnde primò, his cõcurrentibus, vt Sol exerceat potius actionẽ indurandi, quã liquefaciẽdi, illam actionẽ præ ista exercet. Vnde secundò, si autor naturæ stare velit naturæ legibus, oportet, vt, his adstantibus, ad actionem potius talis naturæ, quàm alterius suum concursum exhibeat. At, nostra voluntas, vt nunc ponimus, virtutem habet, vt exerceat, tùm actiones consentiendi essentialiter liberas; tùm etiam liberas accidentaliter. Deinde, si præter cogitationem allicientem ad consensum, habeat retrahentem, coexistit cum hac cogitatione retrahente, quæ distincta est ab actionibus consentiendi, necnon existens indepedenter ab ipsis, & vtilis potius vt existant actiones essentialiter liberæ, quæ ex se ipsis sunt exercitia superandi conatum eius cogitationis, quã accidentaliter liberæ, quæ se ipsis nullum habẽt commerciũ cum ea cogitatione, tanquam cum conducente ad ipsarum existentiam; ac demum in isto casu non adest exigentia præponderans, per

quam

quam postuletur potiori, vel æquo iure actio consentiendi accidentaliter libera. Ergo per cogitationem retrahentem voluntas constituitur, indirectè saltem inclinata, vt casû, quo eliciat actionem consentiendi, eliciat essentialitèr liberam; & ideo, positâ cogitatione retrahente, oportet, vt autor naturę tribuens concursum ad actionem consentiendi, tribuat illum potius ad liberam essentialitèr, quàm accidentalitèr.

5 Probatur iam facilè nostra assertio. Nam, ad actionem consentiendi essentialiter liberam præcedit naturâ, quod ad illam conducit, & constituit voluntatem ad illam inclinatam præ accidentaliter liberâ, & cum iure naturali, vt Autor naturæ ad illam præ aliâ concursum exhibeat. Sed, hæc omnia cõueniunt cogitationi retrahenti, vt constat *ex num.* 4. ergò pręcedit naturâ ad actionem consentiendi essentialitèr liberam. Quemadmodum ad actus spei, & audaciæ animum erigentes ad bonum spectatũ, & ad facinus, quod aggredimur, si ab intrinsecis sint victoriæ conatuum, quibus contranituntur arduitatis, & periculorum notitiæ, præsupponuntur istæ notitiæ prioritate naturæ.

6 *Assero tertiò*. Cogitatio retrahens voluntatem à consensû, tametsi quâdam prioritate naturæ præcedat ad actionem accidentalitèr liberam acceptam secundùm rationem liberæ; non tamen acceptam secundum suam substantiam. Hæc assertio vnum supponit, duoque affirmat. Supponit, voluntatem constitutam in ratione liberæ ad consentiendum, ac dissentiendum posse consentire exercendo actionem liberam accidentalitèr, quæ inspectis prædicatis intrinsecis ipsiùs potuit exerceri necessariò. De hoc supposito dicam *disput.* 18. Prior pars, quam affirmat, probatur facilè. Pars cõstituens aliquod concretum præcedit aliquatenus prioritate naturæ tale concretum, nempè, in genere causæ intrinsecæ componentis illud. At, prædicta cogitatio retrahens est pars constituens in ratione liberæ actionem consentiendi accidentaliter liberam: ergo præcedit aliquatenus talem actionem in ratione liberæ. Minor probatur. Nam, esse liberam actionem cõsentiendi accidentaliter liberam, aliud non est, vt *ex ea disp.* 18. cõstabit, quàm esse coexistentem cum constitutiuis libertatis in actu primo ad consensum, & dissensum. Vnum autem ex eiusmodi constitutiuis est prædicta cogitatio retrahens: ergo liberam esse talem actionem est esse coexistentem tali cogitationi. Pa-

tet autem in ratione coexistentis tali cogitationi partialiter constitui per talem cogitationem, vt existentem. ¶ Hinc obiter colliges, aliquatenus similiter præcedere prioritate naturæ ad eam actionem in ratione liberæ exclusionem necessitatis antecedentis. Nam, sicut libertas in actu primo partim constituitur per existentiam cogitationis retrahentis; ita etiam per non-existentiam necessitatis antecedentis.

7 Difficilior est posterior pars assertionis, nempe cogitationem retrahentem non præcedere prioritate naturæ ad actionem consentiendi accidentaliter liberam acceptam intrinsece, ac substantialiter. Probatur tamen. Cogitatio retrahens nullum circa consentiendi actionem munus exercet prioritatem naturæ importans circa talem actionem. Igitur eam prioritatem non sortitur. Cõsecutio patet. Antecedens probatur. Nam *primò*, talis cogitatio non habet munus conducentię ad talem actionem; potius enim cõducit, vt ea actio non existat, quippe animum ab illâ retrahit, eandemque difficilem reddit, cum tamen eius natura non sit (sicut natura actionis ab intrinseco liberæ) existere vincendo difficultatem ortam à cogitatione retrahente. *Secundò*, talis cogitatio est quidem pars libertatis in actu primo tribuentis ei actioni denominationem extrinsecam liberæ. Hoc tamen munus prioritatem naturæ nõ importat ex præcisâ ratione tribuẽdi denominationem extrinsecam. Nam, aliquibus subiectis tribuunt denominationes, ea quæ non præcedunt naturâ substantiam ipsorum; sed subsequũtur, vel comitantur. Sic actio subsequens ad substantiam causę efficientis denominat ipsam agentem actualiter. Sic ego existens denomino mihi coexistentem Paulum aliunde existentẽ: & tamen non habemus ordinem prioritatis, & posterioritatis; sed concomitantiæ. Sic actio, quæ, iuxta sententiam mihi veram, non præcedit; sed concomitatur terminum denominat ipsum productum: & similiter, iuxta probabilem sententiam gratia habitualis, tametsi non se habeat præuie; sed concomitanter ad aliqua opera honesta hominis iusti denominat illa meritoria de condigno. At, quia hæc nõ negabunt aduersarij, non immorenur.

8 *Tertiò*, talis cogitatio constituit quidem potestatem, qua voluntas queit impedire actionem consentiendi. Hoc tamen munus, etsi bene arguat eam cogitationem prioritate naturæ præcedere ad actum impedientem actionẽ consentiendi, quippè

quippè talis cogitatio causa est eius actus; non tamē arguit sic præcedere ad actionē cōsētiēdi. Ratio est. Nā, vt vol..tas per cogitationē retrahentē accomodatè se habeat ad impediēdā actionem consentiendi, sufficit, eam cogitationem habere suā existentiam independentèr ab eâ actione; sicut enim, si suam existentiam haberet purè dependenter ab eâ actione, existeret ineptè ad eam impediendam, sic, ad hoc munus exercendum existet accōmodatè, si existat independētèr ab ea actione. At, existere independentèr ab illâ nō importat positiuè præcedere ad eandem; sed ab eâ non causari: ergo, &c. Quocirca, Recentior quidam ingeniosus meus olim auditor, iā verò magnæ expectationis Magister, qui totos acuminis sui neruos intēdit, vt hanc nostrā sententiam impugnaret, tradere debuisset imprimis, in quo stet hæc prioritas naturæ cogitationis retrahē-tis, quæ neque prioritas veræ causalitatis est, neque veræ cōducentiæ ad actionem consentiendi intrinsecè spectatam. Vereor esse tādem litē deuoluendā ad quæstionē vocalē. At, dum mihi concedantur res, quas volo; ac deinde nō addātur alia, quæ addenda non iudico, quomodolibet loquaris iungemus dextras.

9. Confirmatur, & explicatur. *Primò*. Quia, iuxta cōmunē Theologiā, de quâ egi *disp.* 9. idcirco ignorantia comitans rectè censetur comitans; nō verò subsequens, aut antecedens ad operationem secundùm circumstantiā ignoratā: quia neque est effectus eius operationis, neque ad existentiam eius operationis conducit, tametsi reddat eam operationem non-voluntariam secundum circumstantiam ignoratam. Adde: talis ignorantia potest quodā modo deseruire ad impeditionē eius operationis, nempè, vt voluntas ita se exerceat * Nolo iaculationē, si quidē, quē video non est meus hostis, quē vnicè traijcere vellem. * At, cogitatio retrahens ab actione consentiendi, neque est effectus huius actionis; neque ad illam intrinsecè spectatā cōducit: ergo rectè censetur comitans; non verò subsequens, aut antecedens ad actionē cōsentiendi intrinsecè spectatā; licet ei actioni tribuat denominationē liberæ, possitque conducere ad eiusdem actionis impeditionē. ¶ *Secundò*. Cogitatio retrahens ab actione consentiendi exercitâ in instanti A. non constituit in instanti B. temporaliter succedente potestatem, per quam voluntas in instanti A. possit impedire talem

actionem consentiendi. Deinde, vt hanc potestatẽ constituat; non requiritur præexistentia taliscogitationis in instanti ordine temporis anteriori ad A. sed sufficit existere simul tempore cum ipsa actione consentiendi: ergo similitèr, licèt cogitatio retrahens non existat accõmodatè ad constituendam libertatem impeditiuam actionis consentiendi, si existat in signo posteriori ad eam actionem ordine naturę; non tamen requiretur existere in signo priori; sed sat erit in simultaneo. Cur enim, sicut simul tempore cum actione consentiendi datur potestas impeditiua ipsius, non dabitur simul naturâ, dummodo talis potestas suam habeat existentiam independentèr ab eâ actione? Ex hac confirmatione magna ex parte eneruabuntur postea contrariorum motiua.

CAP. II.

Illationes, quibus occurrimus his, quæ possent obstare.

10 PLura ex his, quæ inferemus videbuntur in idem recidere. Placuit tamen distinctè tradere, quoniam argumentis occurrunt, quæ veluti distincta proponuntur ab aduersarijs. *Infertur primo.* Actio extrinsecè libera, quæ ex eo, quòd libere procedat à voluntate, dicitur procedere ab illa electiuè, dominatiuè, potenteque ipsam suspendere, non ideo hæc habet, quia formaliter procedat ab omnibus constitutiuis potestatis suspensiuæ, inter quæ annumeranda venit cogitatio retrahens; sed quia procedit à voluntate aliàs habente potestatem suspendendi talem actionem. Sic emissio sagittæ exercita ab homine ignorante per ignorantiam comitantem circumstantiam homicidij annexam tali actioni, dicitur procedere ab homine talem circumstantiam ignorante, cur proinde talis circumstantia non imputatur; non tamen ideo ab ignorante procedere dicitur, quòd procedat formalitèr ab illâ ignorantiâ: nam alioquin illa non esset comitans; sed antecedens; sed ex eo, quòd ab homine procedat, qui habet aliàs eam ignorantiam. Sic actus honestus religionis, qui cõdignè meritorius euadit, ideò eã cõdignitatẽ sortitur, quia procedit ab homine iusto; nõ tamẽ ideò dicitur procedere ab homine iusto (in sẽtẽtiâ, quæ defẽdit iustitiã se habere cõcomitãter cũ illo) quòd procedat formalitèr à iustitiâ, quę proinde

non

non concomitans; sed antecedens esset ad eum actum; sed quia procedit ab homine, qui iustus alias est; independenter ab eo, quod exerceat talem actum religionis. Et quidem, ipsi aduersarij dicere tenentur, lyr *actionem liberam consentiendi procedere à voluntate potente illam suspendere*, non sic accipiendū esse, quasi procedat formaliter à cogitatione retrahente inclusâ in eâ potestate suspensiuâ. Nam, ly *procedere*, sonat causalitatem: ipsique nolunt cogitationem retrahentem antecedere ad eam actionem ex munere causalitatis; sed ex alijs muneribus.

11 *Infertur secundò*. Quomodo intelligendum sit, cogitationem retrahentem non posse ab amore retardare, nisi existat, *quando* possumus amare. Hoc sanè non est intelligendum, quasi inter præeuntia secūdum ordinem naturæ ad amorem annumeranda sit cogitatio reuocans ab amore: ea enim duntaxat sic præcedunt, quæ in ordine ad amorē habent causalitatis conducentiam, eamque non habet cogitatio retrahens ab amore. Quamobrem, quasi admiranter dicere * Quomodo ab amore retardabit, quod non est inter præcedentia ad amorem ordine natura ad amorem?* idem sonat iuxta communem Philosophiam, ac si diceres * Quomodo ab amore retardabit, quod non habet conducentiam causalitatis ad positionem amoris?* Igitur, cogitationem retrahentem ab amore non posse ab amore retardare nisi existat *quando* possumus amare, intelligendum est primò: quia in eodem instanti temporis, in quo retardat ab amore, coexistere debet cum voluntate potente amare. Non enim retardatur nunc quominus amet, principium, quod impotens est nunc ad amandum. Intelligendum est secundò, quatenus ita debet coniungi cum potestate ad amorem cogitatio retrahens ab illo, vt ea cogitatio suam existentiam obtineat independenter ab amore, & cum amore inconnexam. Nam alioquin non existet modo idoneo ad impediendum amorem, vt existere debet cogitatio fungens munere retardantis. Vide, quæ diximus *assert. 1.*

12 *Infertur tertiò*, Quomodo intelligendum sit, nostram potestatem ad amandum se habere, vel non se habere diuerso modo *antecedenter* ad determinationem amoris, quādo est in nostrâ potestate omissio amoris; vel cum ea omissio in nostrâ potestate non est. *Primò*, Quando voluntas amat sine potestate cohibendi amorem, solet aliquid dari ex parte

præ-

præcedentium ad amorem, quod non datur existente potestate cohibendi amorem: scilicet aliquid positiuè, & ineluctabiliter prædeterminans ad amorem. *Secundò*, contingens est, nostram potestatem ad amandum non aliter se habere *positiuè antecedenter* ad amorem, quando potestatem habet cohibendi amorem, quàm cum illam non habet. Quia potest illam habere ex eo, quod cum reliquis constitutiuis libertatis ad amãdum coexistat cogitatio retrahens ab amore existens independenter ab ipso amore; & potest eam potestatem non habere, non aliâ variatione factâ, quàm eam cogitationem retrahentem deesse: cumque vbi nulla alia varietas est, quàm eam cogitationem retrahentem existere, aut non existere, non sit varietas in præuijs ad amorem; contingens est, non esse varietatem in his præuijs, casû, quo voluntas possit amare cum potestate suspensiuâ amoris; & casû, quo possit amare sine tali potestate, eorumque euentuum varietas in eo consistet; quòd voluntas simul cum potestate ad amorem, habet in vno casû independenter ab actuali exercitio amoris cogitationem, quâ constituitur potens illum suspendere; in altero autem casû caret eâ cogitatione, potestateque suspensiuâ amoris.

13 *Infertur tertiò*. Quomodo intelligendum sit, rationes ab amore reuocatiuas non proponi mihi iam amanti. Non enim sensus verus est, non esse mihi propositas in instanti reali, in quo amo, vt patet; quia in eo ipso instanti amo liberè, & difficulter, quia rationes ab amore reuocatiuas propositas habeo. Quamobrem, loquendo de instantibus temporis, sensus verus est, eas rationes ineptè mihi proponi postquã iam amaui. Dico ergo similiter, loquendo de instantibus naturæ (in quo ordine non alia instantia cognosco, quàm causalitatis) eas rationes neque mihi proponi præuie ad amorem, quia eum nõ causant; neque subsequenter, quia earum propositio ab amore non causatur; sed concomitanter; independenter tamen ab eo, quod amor causetur existit earum propositio, ideoque aptè, vt causet omissionem amoris. Et sic tenentur aduersarij dicere de ordine causalitatis, quamuis eam propositionẽ præcedere dicant ad amorem, in alio, quem nescio naturæ ordine, qui causalitatis non est. *Infertur quartò*. Quomodo intelligẽdum sit, proponi rationes reuocantes ab amore *antequam* amem. Nam sicut ordine temporis ly *antequam* accipitur negatiuè, iuxta nuper dicta, id est, non postquam iam amaui; ita etiam

etiam in ordine naturæ, id est, non quidem dependenter ab eo, quod exerceam amorem; sed independenter, & sic aptè vt cohibeam.

14 *Infertur quintò.* Quando quis decernit emittere sagittam, habendo aliàs notitiam, quòd inde sequetur homicidium, eâque notitiâ non alliciente; sed potius retrahente, quominus eam operationem exerceat, imputatur illi ad culpã homicidium, non quidem, quia pro signo positiuè præcedente ordine naturæ ad tale decretum exiſtat talis notitia, quæ illud minimè causat; sed quia illa notitia existens independenter ab eo decreto, existit aptè, vt pro tuo libito sequatur ex illa impeditio eius decreti. Patet autem optimo iure tibi imputari homicidium, si potens liberè ipsum impedire, non impedis ipsum; sed potius operationem exerces, ex quâ fore vides ipsiûs subsecutionem. Vnde *fit sextò*, proximam potestatem, vt sagittanti sit voluntarium homicidium in decreto emittendi sagittam non esse adæquatè præcedentem positiuè ad tale decretum; sed coalescere partim ex positiuè præcedentibus, & partim ex aliquo præcedente negatiuè, nempè non subsequente; ea enim proxima potestas ad homicidium, vt voluntarium in causâ, coalescit partim ex viribus causatiuis prædicti decreti, quæ sunt positiuè præcedentes ad ipsum ordine naturæ; partimque ex eâ notitiâ retrahente, quæ licet non sit positiuè præcedens ordine naturæ ad tale decretum; benè tamen negatiuè, eo quòd existens est independenter ab eo decreto. Inde.

15 *Fit septimò.* Inspectis præcisè signis positiuè antecedentibus ordine naturæ ad decretum de emissione sagittæ, signoque ipsiûs decreti præcisè accepti, non reperiri in illis quicquid requiritur, vt homicidium sit voluntarium in causâ: quia signum præcedentium positiuè, præcisè importat ea, quę causant tale decretum, inter quæ non est cogitatio retrahens ab homicidio. Signum decreti præcisè accepti, importat præcisè tale decretum; non eam cogitationem. Hæc autem requiritur ad eam voluntarietatem homicidij; ac proinde præter positiuè antecedentia determinationem voluntatis, atque ipsam determinationem, necessaria est prædicta cogitatio existens independenter ab ea determinatione. *Fit octauo.* Tametsi in prædicto casû cogitatio homicidij neque subsequatur ad determinationem voluntatis; neque positiuè præcedat; sed

præ-

præcisè existat independenter ab eâ determinatione, potest esse mihi imputabilis coniunctio meæ determinationis cum eâ notitiâ. Licet enim ea coniunctio contingat præter meam intentionem, ideoque non sit mihi directè voluntaria; non tamẽ contingit citra meam notitiam, per quam cognosco, fore, vt existat talis coniunctio, si ego meam determinationem exerceam; idque sufficit, vt ea cõiunctio, si aliud nõ obstet, sit mihi indirectè voluntaria, proindeque non contingens modo mihi prorsus inimputabili.

16 *Fit nonò*. (Præ oculis habe nos semper loqui de actionibus extrinsecè liberis) In nullo signo indiuisibili esse adæquatam libertatem in actû primo ad eliciendum, & omittendum amorem. Quia talis adæquata libertas imbibit cogitationem inuitantem ad amorem, quæ non clauditur in potestate ad omittendum: imbibit quoque cogitationem retrahentem ab amore, quæ in potestate ad amandum non includitur. Quocirca, libertas adæquata coalescit ex duplici signo, altero præcedentium ad amandum, & altero præcedentium ad suspendendum amorem. Vbi nihil falsitatis, vel absurditatis esse constabit amplius *ex seqq. consectar.* Et quidem, id mihi non magis est absonum; imò mihi est idem, atque illud, quod aduersarij fatẽtur, nempè, in aggregato principiorum ex munere causalitatis præcedentium ad amorem non includi cogitationem retrahentem. *Hinc decimò*. Dominium libertatis ad eliciendum, & suspendendum amorem non præcedit positiuè se toto ad quemlibet vsum; sed secundùm distributionem accommodam, vt aiunt; scilicet, quâ parte importat potestatẽ ad eliciendum amorem, pręcedit ad amorem; ad suspensionem autem, qua parte importat potestatem ad ipsam. *Hinc vndecimò*. Voluntas, inspectis præcisè antecedentibus ad amorem liberum, præscindit ab eo, quod sit causa necessaria, vel libera amoris: erit enim causa necessaria si illis non adiungantur constitutiua potestatis ad suspendendum amorem; sin adiungantur, libera.

17 *Hinc duodecimò*. Dominium, & libertas adæquata constat ex duabus cogitationibus, quæ, secundùm distributionem accommodam, præueniunt positiuè vsus dominij: inuitans enim ad amorem præuenit positiuè amorem; retrahens verò præuenit positiuè suspensionem, quin positiuè ante amorem præcedat voluntas vocata, & reuocata in actu primo ab amo-

amore: quamuis sit verissimum, quòd præuiè negatiuè ad amorem, idest, independenter ab eius exercitio actuali, voluntas alijs rationibus allicitur, & alijs retrahitur ab amando. *Hinc* 13. In nullo signo indiuisibili voluntas est instructa omnibus requisitis in actû primo ad eliciendum, & suspendendum amorem; sed in signo diuisibili coalescente ex his, quæ positiuè præcedunt ad amorem, quæ saltem negatiuè præcedunt ad suspensionem; & ex ijs, quæ positiuè præcedunt ad suspensionem, quæ negatiuè saltem præcedunt ad amorē. Hęc non egent explicatione, suppositis anterioribus. *Hinc* 14. Me esse liberum in actû primo ad eliciendum, & suspendendum amorem, non est positiuè prius secundùm totum, quod importat, quàm me amarè liberè; sed secundùm aliqua, quæ importat est prius positiuè; secundùm alia negatiuè. *Fit* 15. Quomodo sit affirmandum, vel negandum, tunc primitùs existere cogitationem retrahentem ab amore, quādo primitus existit ipse amor. Hæc locutio falsa est, si velit idem esse existere vnum ex illis, & existere aliud. Nam, existentia cogitationis retrahentis est independens, & separabilis ab existētia amoris, necnon è contra. Propter eādem rationem falsa est locutio, si velit ea extrema sic existere, vt mutuò se ipsis egeant ad existendum. Est autem vera, si nihil aliud velit, quàm cogitationem retrahentem, tametsi existentem independenter ab amore, nō tamen respectiuè ad amorem seruare ordinem prioritatis, vel posterioritatis naturæ, ad modum, quo ea extrema non seruāt ordinem successionis temporalis, neutrumque altero ad existendum eget.

18. *Fit* 16. Cogitationem retrahentem animum ab amore, eo ipso, quòd independenter ab amore existat, ideoque aptè, vt causet impeditionem amoris, quamuis non habeat aliam præcedentiam positiuam ad amorem, existere accōmodatiùs, cæteris paribus, ad reddendum difficilius amorem fieri, quàm si talis cognitio non existeret. Tum, quia ex ipsis terminis satis notum apparet, difficilius, cæteris paribus, amare, qui independenter ab amore habet, quo reuocetur ab amore, quàm nihil habens, quod amorem remoretur. Tum, quia, vt vna causa ponat suum effectum, cæteris paribus, difficilius, sufficit, quòd illum ponat, existente aliâ causâ conante in oppositum; illudque potente inducere; seclusâ omni aliâ præcedentiâ positiuâ: vt igitur voluntas ponat amorem, cæte-

teris

teris paribus, difficilius positâ, quàm ablatâ cogitatione retrahente, sufficiet ponere amorem, existente cogitatione retrahente nitente impedire amorem; & accommodatè existente, vt illum impediat, nempè, existente indepēdenter ab eo, quòd amor sit iam elicitus. Quo fit, cogitationem retrahentem hoc modo existentem sufficienti existere modo, vt ponere amorem sit vincere eius conatum in oppositum, sit eius conatum frustrare, sit ei conatui resistere. Quocirca, gratia Dei inclinans ad consensum pium, & coniuncta cum dissensû prauo; etsi non habeat præcedentiam positiuam ad dissensum prauum, eo pręcisè, quod existat independenter ab eo dissensû, potensque pro nostro placito causare consensum, iam posito dissensû repellitur, negligitur, eiusque conatus irritatur. Igitur, vt hæc omnia euanescant, non consideres cogitationem à cōsensû retrahentem, ita positiuè concomitando consensum, vt eam cogitationem existere, quasi imbibat coexistere cum eo consensû; sed eam considera existentem independenter à consensû, & præter hanc independentiam (quæ respectiuè ad consensum est præcedentia negatiua) nullo alio fungentem munere, in quo stet præcedentia positiua ad consensum.

19 *Fit* 17. Amorem liberum non esse aptum exercitium acquirendi actualiter cogitationem retrahentem ab amore. Ratio est, quia vel sermo est de amore essentialiter libero, vel de amore indifferente, vt sit liber; vel necessarius? Si primum, ad illū amorem præsupponitur essentialiter cogitatio retrahens iuxta dicta *num.* 3. vnde talis amor nequit esse acquisitio eiûs cogitationis. Si secundùm; cum talis amor sit indifferens, vt sit liber, vel necessarius non habet connexionem cum cogitatione retrahente, cuiusmodi connexio est de ratione acqusitionis actualis, per quam actualiter comparatur ipsiûs existentia. ¶ Vt hæc omnia planiora sint, vnum offendiculum amouendum superest. Sic enim obijci potest. Nam, ad amorem liberū, quanuis libertas sit actibus extrinseca, pręcedere positiuè debet totum dominium libertatis, per quod voluntati datur optio, vt amet; vel non amet. At, hoc est falsum, iuxta doctrinam traditam, vt constat *ex illat.* 10. Falsa ergo est doctrina tradita. Maior probatur. Nam, amare liberè est amorem præeligere, & ipsiûs omisioni præferre. Atque, ad hanc præelectionem præcedit positiuè potestas sumendi amorem, & potestas ipsum reliquendi: quia præeligere est ipsum

sum sumere cum facultate liberâ relinquendi, atque in eis duâbus potestatibus consistit integrum libertatis dominium. Ergo.

20 Negatur maior. Nam, vt sæpè diximus, ad amorem extrinsecè liberū præcedit positiuè aliqua dominij pars; nempè, quæ in ipsum influit; quæ autem in ipsum non influit; nempè cogitatio retrahens, præcedit negatiuè, scilicet, existit independenter ab existentia amoris cum vi inducendi omissionem ipsiûs. Ad probationem in contrarium respon. Amare liberè est partim intrinsecè; & partim extrinsecè præferre amorem omissioni. Quia præferre amorem omissioni est *amare cum potestate libera non amandi*, quorum primum, nempè amare, est ipsum *esse* intrinsecum amoris; secundum autem; nempè, quòd id contingat cum potestate liberâ non amandi, extrinsecum est amari. Dico ergo, ad prædictam liberam prælationem amoris, secundùm quod præcisè dicit intrinsecum *esse* amoris, non præcedit positiuè tantum dominium libertatis. Vt enim sæpè diximus, ad amorem ita intrinsecè spectatum nō præcedit positiuè cogitatio retrahens, quæ pars est eiûs dominij. At verò, ad totum illud complexum, in quo stat ea prælatio adæquatè sumpta; nempè * Amare cum potestate liberâ non amandi * præcedit constitutiuè potestas libera non amandi; proindeque cogitatio retrahens in eâ potestate inclusa, iuxta dicta *num. 6*. Vnde argumentum nihil probat contra nos. Idem cernere est, datâ voluntati optione, vt eliciat actum misericordiæ, vel religionis, præferaturque misericordia religioni. Nam, ad actum misericordiæ, intrinsecè spectatum non præcedit positiuè cogitatio alliciens ad religionem; præcedit autem constitutiuè ad istud aggregatum * Ponere actum misericordiæ cum potestate proxima ponendi, loco ipsiûs, actum religionis. *

CAP. III.

Explicatur actualis dependentia actionis liberæ ab exclusione necessitatis antecedentis.

21 C*Ertum est primò* ex dictis *num. 6.* exclusionem necessitatis antecedentis ad actionem consentiendi; & ad actionem dissentiendi præcedere cōstitutiuè ad tales actiones

nes extrinsecè liberas, si accipiantur formaliter, vt liberæ: sic enim acceptæ partim constituuntur per exclusionem talium necessitatum; ex qua proinde exclusione constitutiuè pendent in ratione liberarum. *Certum est secundò*, iuxta principia tradita, *tum in metaph. tum etiam tract. de Scientia Dei*, actionem essentialiter liberam dependere essentialiter à priori, & in genere causæ efficientis ab exclusione necessitatis antecedentis ad ipsam, necnon ab exclusione necessitatis antecedentis ad exercitium oppositum, similiter essentialiter liberum. Ratio est: quia necessitas antecedens ad hæc exercitia essentialiter libera est omnino impossibilis, vt patet ex terminis: ergo talis necessitatis exclusio est omnino necessaria. At, ex locis citatis, quoduis omnino nessariũ est idẽtificatum cum Deo, & à Deo dependent essentialiter à priori, & in genere causæ efficientis omnes actus liberi creati, sicut & omnes creaturæ: ergo actiones createę essentialiter liberæ depẽdent essentialiter à priori in genere causæ efficiẽtis ab exclusione prędictarum necessitatum.

22 *Certum est tertiò*, exclusionem necessitatis antecedentis ad dissentiendum non esse posteriorem natura, quàm actionem liberam consentiendi. Ratio est. Tum, quia dominium libertatis ad consentiendum, ac dissentiendum ex nullâ parte est posterius naturâ consensũ, vt ex superioribus liquet. Vna autem pars dominij ad cõsentiendum, & dissentiendũ est exclusio necessitatis antecedentis ad dissensum. Tum, quia nihil melius excludit necessitatem antecedentem ad dissensum, si non inueniat illam aliunde iam exclusam, quàm ipse consensus, cum nihil magis, quam consensus pugnet cum necessitate antecedente ad dissensum: cum igitur consensus non sit posterior naturâ se ipso, patet, non esse posteriorem naturâ consensû exclusionem necessitatis antecedentis ad dissensum. *Certum est quartò*, exclusionem necessitatis antecedentis ad consentiendum liberè, tametsi loquamur de consensû intrinsecè libero, non esse posteriorem naturâ ipso consensû libero. Probatur. *Primò*. Nam, exclusio necessitatis antecedentis ad amandum liberè existit modo apto ad constituendum in potestate, ac dominio voluntatis suspendere amorem. At, non sic existit, si existat non aliter, quam pro posteriori ad amorem, cum potestas, ac dominium suspendendi amorem nõ adueniat

post

post iam exercitum amorem: ergo ea exclusio nō aduenit post exercitium amoris.

23 *Secundò*. Nam, exclusio necessitatis antecedentis ad actionem amandi purè consequens ad eam actionem est implicatoria: ergo non est purè consequens, &c. Antecedens probatur. Nam, ea exclusio posset, & non posset impediri per omissionem liberā amoris. Prima pars probatur. Nam, quod est purè consequens ad amorem liberum, potest impediri per omissionem liberam amoris, cum deesse causam, ex quâ vnicè pendet effectus, sit impediri effectum, vt patet. Secunda pars probatur. Nam, impediri exclusionem necessitatis antecedētis ad amandum, est poni necessitatem antecedentem ad amādum. At, per omissionem liberam amoris nequit poni necessitas antecedens ad amandum; talis enim omissio pugnat cum amore; ideoq; cum necessitate antecedente ad amandum: ergo per omissionem liberam amoris, non potest impediri exclusio necessitatis antecedentis ad amorem. ¶ His tanquam certis statutis, vnum mihi disputandum relinquitur, scilicet, an actio extrinsecè libera dependeat à priori secundùm suum esse intrinsecum spectata ab exclusione necessitatis antecedentis ad ipsam?

24 Pars affirmatiua placet RR. satis ingeniosis. Omissis autem argumentis, quæ satis diluimus cap. 4. Arguitur primò in fauorem ipsiûs. Actio libera non ideo fit, quia prædeterminatur voluntas ad illam eliciendam: ergo, quia voluntati proximè liberæ ad vtrumlibet placuit amare: ergo talis actio dependet à priori ab eâ proximâ libertate. At, per nos in tali libertate clauditur exclusio necessitatis antecedentis ad amandum: ergo ab hâc exclusione dependet à priori talis actio amandi. Resp. Concesso antecedente. Distinguo consequens. Si ly *quia* significet, non aliam determinationem ad amandum esse rationem, vt existat talis actio, quàm beneplacitum voluntatis liberæ, concedo consequentiam. Si ly *quia* significet, totam integram libertatem in actu primo esse causam eiûs actionis, nego consequentiam. Quocirca, non benè subinfertur, talem actionem liberam dependere à priori, id est, vt à causâ, à tota libertate in actû primo includente carentiam necessitatis antecedentis ad talem actionem amandi. ¶ Itaque, quia actio libera non fit per prædeterminationem alienam, infertur fieri, citra aliam determinationem, præter

beneplacitum voluntatis. Infertur etiam, fieri à voluntate indifferente ad exercendam, & omittendam eam actionem; non tamen infertur, totum id, ex quo sumitur ita indifferentem esse voluntatem, præcedere positiuè prioritate naturæ ad talem actionem; ideoque non infertur, eam necessitatis exclusionem inclusam in eâ indifferentiâ sic præcedere ad talem actionem. Sicut in sententia probabili, quamuis sit vera hæc propositio * Hæc actio, eo ipso, quòd sit meritoria de condigno procedit à iusto * non tamen est verum, ita ab illo formaliter quà iusto procedere, vt iustitia præcedat naturâ ad talem actionem: sufficit enim si comitanter se habeat.

25 Arguitur secundò. Actio libera dependet hîc, & nunc entitatiuè, & à priori à potestate proximâ, quæ ad ipsam datur. At, hic, & nunc non datur ad hanc actionem liberam potestas necessitata ad ipsam; sed potestas libera: ergo dependet hîc, & nunc entitatiuè, & à priori à potestate liberâ: in hâc autem potestate clauditur exclusio necessitatis antecedentis ad eam actionem: ergo dependet entitatiuè, & à priori ab eâ exclusione. Confirmatur. Potestas, quæ hîc, & nunc datur ad hanc actionem liberam non est potestas sufficienter expedita ad eliciendam illam liberè; vel necessariò; sed determinatè tribuens facultatem ad eliciendam illam liberè sine præuiâ necessitate determinante ad vnum. Quando namque voluntas elicit actionem liberè non datur, vt ipsam eliciat præuia necessitas, & per hanc necessitatem completur potestas eliciendi necessariò talẽ actionẽ. At, potestas determinatè tribuens facultatem ad eliciendã liberè hanc actionem claudit intrinsecè exclusionẽ præuiæ necessitatis ad eam actionem: ergo talem exclusionem claudit potestas, quæ hîc, & nunc datur ad hanc actionem. Cum igitur, hæc actio depẽdeat hic, & nunc entitatiuè, & à priori, à potestate, quæ hîc, & nunc datur ad ipsam, consequens est, ita dependere ab exclusione prædictæ necessitatis.

26 *Resp.* Distinguo maiorem. Dependet, &c. à potestate proxima, quæ ad ipsam datur, quâ parte talis potestas importat, quæ causatiuè conferunt ad eam actionem, concedo maiorem: quâ parte tali potestati accedunt alia, quæ causatiuè non conferunt ad talem actionem, nego maiorem. Deinde, concessâ minori, concedenda, & neganda est consecutio sub eâdem distinctione. Rursus, minorem subiunctam distinguo.

In

In eâ potestate clauditur exclusio necessitatis antecedentis ad eam actionem, quâ parte talis potestas importat præcisè, quæ causatiuè conferunt ad talem actionem, nego minorem: quâ parte talis potestas est non solùm potestas ad eliciendam eam actionem; sed etiam ad omittendam, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque, dependet à priori hæc actio ab illis constitutiuis potestatis liberæ ad ipsam, quæ ad eiûs existentiam causatiuè conferunt, cuiusmodi sunt facultas volendi, notitia alliciens ad eam actionem, &c. Quia verò exclusio necessitatis præuiæ ad talem actionem non conducit positiuè ad ipsam: hæc enim actio propior erit ad statum suæ existentiæ, positâ necessitate antecedente ad ipsam; quàm ea necessitate exclusâ, idcircò, talis exclusio non est tale liberę potestatis constitutiuum, á quo dependeat prædicta actio entitatiuè, & à priori.

27 Ad cõfirmationem, concessâ prima maioris parte, quæ benè ibi probatur, respondeo, talem potestatem posse bifariam sumi. *Primò*, non solúm secundùm ea, quæ importat causatiuè conferentia ad exercitium talis actionis; sed etiam secundùm alia, quæ talem potestatem circumstant, cuiusmodi sunt exclusio prædictæ necessitatis, & omnia cõstitutiua proximæ potestatis ad omissionem eiûs actionis. Et hoc modo ea facultas determinatè confert ad hoc, vt talis actio exerceatur liberè. *Secundò*, talis potestas accipi potest præcisè secũdum ea, quæ importat causatiuè conferentia ad talem actionẽ. Ab eâ potestate, vt sic accepta, dependet entitatiuè, & à priori talis actio. Ea potestas sic accepta non importat positiuè completionem, & expeditionem, vt talis actio fiat liberè, vel necessariò, quia neque importat, vt sic præcisè accepta, potestatem proximam ad omissionem eiûs actionis, eaque potestas est de complemento facultatis ad exercendam liberè talem actionem; neque importat necessitatem antecedentem ad eam actionem, eaque necessitas est de complemento facultatis ad exercendam eam actionem necessariò. Ea igitur potestas, vt sic præcisè accepta, est potestas completa ad exercitium talis actionis substantialiter sumptum; etsi donec adueniant alia adiuncta non habeat completionem, vt talis actio libertate, vel necessitate afficiatur, vt facilè posset varijs exẽplis illustrari.

28 Arguitur tertiò, Actio nostra libera dependet enti-

titatiuè, & à priori à decreto diuino indifferente, per quod ponit Deus in nostrâ manû suam omnipotentiam, vt eâ vtamur; vel non vtamur, quoad exercendam talem actionem. At, hoc ipsum decretum est exclusio necessitatis antecedentis ad exercitium huiûs actionis: ergo talis actio dependet entitatiuè, & à priori ab ea necessitatis exclusione. Maior est apud nostros communis. Nam, actiones nostræ dependent entitatiuè, & à priori à decreto, per quod Deus applicat omnipotentiam ad executionem ipsarum. Prædictum autem decretum indifferens habet hoc munus respectiuè ad actiones nostras liberas. Minor probatur. Nam, per hoc decretum indifferens non solùm ponitur in manû nostra actio amandi; sed etiam suspensio talis actionis. Non autem in nostra manû est suspensio actionis amandi, nisi exclusa necessitate antecedente ad eam actionem. In primis, non vrget argumentum, si vera sunt, quæ diximus *tract. de Prædest. disput. 9. cap. 4.* vbi diximus, antecedenter, id est, independenter ab actuali vsû libertatis, vel, quod idem est, antecedenter negatiuè ad vsus libertatis, non requiri alia decreta Dei, quâm productiua voluntatis cũ cogitatione inuitante ad actũ, & cum cogitatione retrahente ab eodẽ vsũ; necnõ decreta excludentia necessitatẽ antecedentem ad actum, & necessitatem antecedentem ad omissionem. Iuxta hanc doctrinam, adiunctis his, quæ in hac disputat. diximus, dicendum est, actionem amandi extrinsecè liberam non dependere entitatiuè, & à priori ab omni ea decretorum congerie, per quam ponitur in manu voluntatis talis actio, & eiûs omissio; sed ab eis decretis, quæ causant illa, quæ ad talem actionem causatiuè conferunt; non ab aliis. Proinde, iuxta dicta *in hac disput.* talis actio non dependet entitatiuè, & à priori, siue à decreto ponente cogitationem retrahentem, siue ab excludente necessitatem antecedentem ad talem actionem.

29 Quod si hæc omnia præstarentur eodem indiuiso decreto, tunc sanè cum talis actio dependeat à priori, vt à causa remota, ab aliquo, vt sic loquar, eius decreti; sic dependet à toto: quia in eo decreto aliquid illiûs, & illud totum sunt idem, realiter loquendo, quidquid sit ex modo nostro cõcipiendi, de quo non est curandum. Eadem ratione: si cogitatio ad amorem alliciens, & ab eodem retrahens sit eadem indiuisa cogitatio, vt possibile est, tunc actio amãdi

depen

dependens entitatiuè, & à priori à cogitatione inuitante, similiter dependebit, realiter loquendo, ab retrahente. Quare, nostra doctrina negans prædictas dependentias à priori non loquitur in his casibus. ¶ Præterea solutio, quâ olim vtebamur, probabilis est, nimirum, esto non semel decretum indifferens concurrendi ad hanc actionem extrinsecè liberam sit decretum suo modo excludens necessitatem ad eam actionem; posse tamen dari decretum indifferens Dei ad eam actionem, & ad oppositam, applicans disiunctiuè omnipotentiam ad vtranque; & tamen non excludens necessitatem antecedentem ad hanc actionem; sed de se permittens eam necessitatem dari; vel excludi, quamuis alioquin ea necessitas excludatur. Id accideret, si Deus circa hanc actionem amandi sic se haberet: *Statuo Petrum exercere hanc actionem, vel actionem oppositam nolendi ex motiuo honesto, siue antecedẽter necessitatum ad alteram, siue non necessitatum.*

30 Vbi nota primò. Per hoc decretum secundùm se præcisè sumptum non est simul in manû voluntatis elicere vtranque actionem; sed per illud, vt coniunctum cum exclusione necessitatum antecedentium ad eas actiones: non enim est potestas libera ad extrema opposita, donec necessitates antecedentes sint exclusæ. Vnde, tale decretum initiatiuè; non verò cõpletè dat libertatẽ ad eas actiones. *Secundò*, quãuis tales actiones depẽdeant à priori ab eo decreto secũdũ se; certè, cũ illud secũdũ se non sit exclusiuũ necessitatis antecedẽtis, nõ sequitur, eas actiones depẽdere à priori ab exclusione necessitatis antecedentis. *Nota tertiò*, cum nostra doctrina solùm sit, actionem liberam, tunc non dependere à priori ab exclusione necessitatis antecedentis, quando ea exclusio aliàs non identificatur cum alio principio causatiuè conferente ad talem actionem, nihil contra nos eam dependentiam dari, quando talis datur identificatio. ¶ Clausula ergo sit, actionem extrinsecè liberam non dependere à priori intrinsecè spectatam ab exclusione præuię necessitatis ad ipsam, quando talis exclusio distinguitur ab omnibus principijs conferentibus causatiuè ad eam actionem. Tunc enim ea exclusio non iuuat causatiuè ad eam actionem, quæ potius propior existentiæ esset eâ necessitate non exclusâ, eoque iuuamine causatiuo sublato, non est munus, in quo stet ea prioritas. Et quidem, sicut probatio *à priori*, vel *à posteriori* idem so-

nat, ac probatio à causâ, vel effectû; sic idem mihi sonant dependentia *à priori*, & dependentia *à causa*.

DISPVT. DECIMAOCTAVA.

An sint possibiles actus creati extrinsecè liberi?

VT in ipso disputationis vestibulo inania vocum dissidia resecemus, nomine actûs extrinseci liberi vocamus illum, qui non est per prędicata secum identificata determinatus, vt liberè fiat potius, quàm necessariò; sed, eis prædicatis inspectis, indifferens est; vt hoc, vel illo modo fiat, quamuis re ipsa per aliquid sibi accidentale habeat liberum esse potius, quàm necessarium. Quocirca, disputandum non est de nomine cum P. Arriag. *de actib. hum. disput. 7. sect. 3. sub. 1. num. 14.*

Arriag.

CAP. I.

Probabilior est possibilitas eorum actuum, etiam quoad actiones.

Valent. Suar. Vazq. Salas. Amic. Recup. Becan. Molina. Rain. Tanner. Arriag. Obiedo. Vander. Auersa. Ripald. Sot. Duran.

1 SIc à fortiori sentiunt quotquot opinantur, actus liberos de facto existentes esse liberos ab extrinseco, etiã quoad actiones. Quam sententiam defendunt grauissimi Autores. P. Valentia. P. Suar. (cum limitatione tamen, quam in seqq. commemorabimus) P. Vazq. P. Salas. P. Amicus. P. Recupitus. P. Molina. P. Becanus. P. Rainaud. quos referunt, & sequuntur P. Tanner. *disp. 2. de actibus hum. q. 1. dubit. 2.* P. Arriag. *sup. & præcipuè disp. 8. de Anima sect. & subs. 4.* P. Obiedo *de Anima controu. 12. punct. 8;* P. Vander. BeK. *in opere de libertate tract. 2. disp. 3. cap. 1.* Auersa *hic quæst. 10. vers. Sic inquam, ac deinceps*, qui pro se affert Scot. & Dur. Eandem sententiam plurimi alij tuentur, quos prolixum esset recensere, eamque supponit sæpè in suis operibus P. Ripalda. Itaque docent isti Autores actum amoris, v. g. &

ctionem ipſam, per quam producitur; eatenus exerceri liberè, quatenus coexiſtunt cum voluntate non ſolùm, vt potente elicere talem actum; ſed etiam, vt proximè potente ipſum omittere; eum tamen actum, & actionem, inſpectis ſuis prædicatis intrinſecis, indifferentiam ſortiri, vt exerceantur neceſſariò: potuerunt namque exiſtere à voluntate habente duntaxat potentiam proximam ad eorum exercitium; & non habente potentiam proximam ad ipſorum omiſſionem.

2 Hæc ſententia mihi ſemper placuit quoad rei poſsibilitatem. Quid verò ſentiendum ſit quoad factum, videbimus infra. Rei poſsibilitas ſuadetur communi ratione. Nomine autem actionis amandi intelligo indiſcriminatim actum amoris, & actionem, quâ producitur. Sic igitur diſputo. Non repugnat actionem amandi fieri à voluntate potente illam ponere, & omittere; ita tamen, vt ad poſitionem eiûs actionis per accidens ſe habeat conſtitutiuum aliquod poteſtatis proximæ ad ſuſpenſionem: ergo non repugnat actio amandi extrinſecè libera. Conſecutio patet. Nam, ea actio erit libera, quatenus exercetur à voluntate potente ipſam iam ſuſpendere; eaque libertas erit ipſi extrinſeca, quatenus per ſe non requiritur ad ipſam poteſtas ad eiûs omiſsionem. Minor, quoad ſecundam partem, quæ ſolùm eſt difficilis, probatur. Notitia proponens voluntati motiua retrahentia ab actione amandi eſt conſtitutiuum poteſtatis proximæ ad ſuſpenſionem eius actionis. At, ea notitia exiſtens, quando exercetur actio amandi, poteſt ſe habere per accidens ad actionem amandi. Nulla enim repugnantia in eo aſsignabitur, quòd ea notitia independenter ab amore exiſtens ſe contineat intra puros limites reuocatiuæ ab amore, poſitiueque conferentis ad omiſsionem amoris, nullumque ſortiatur munus poſitiuè conferendi ad actionem amandi intrinſecè ſpectatam: ergo poteſt habere ſe per accidens ad actionem amandi conſtitutiuum aliquod poteſtatis proximæ ad ſuſpenſionem.

3 Confirmatur, & explicatur. Demus Petro præcipi actionem internam miſericordiæ, vel religionis; fieri tamen ipſi optionem, vt eligat, quam maluerit. Tunc ſic. In hoc euentu ſic Petrus inſtruitur notitijs allicientibus ad actionem miſericordiæ, actionemque religionis, vt notitia propo-

nens motiuum ad actionem religiosam per accidens se habeat ad actionem misericordiæ: quapropter, actio misericordiæ non euadit ab intrinsecis; sed ab extrinseco libera libertate prælatiuâ ipsiûs actionis religiosæ: ergo, si Petrus instruatur notitijs allicientibus ad actionem amandi, & eiusdem suspensionem, notitia proponens motiuum suspensionis poterit se habere per accidens ad actionem amandi; proindeque talis actio non euadet ab intrinsecis; sed extrinsecùs libera libertate prælatiuâ ipsiûs suæ suspensioni. Subillatio patet, & illatio probatur. Magis distat cogitatio proponens motiua suspendendi amorem ab eo, quod positiuè conferat ad actionem amoris; quam cogitatio proponens motiua religionis ab eo, quod positiuè conferat ad actionem misericordiæ. Hæc enim cogitatio, tametsi non proponat rationes, quæ ánimam inclinent ad misericordiam; saltem non proponit, quæ auertant; illa verò cogitatio proponit rationes, quæ animum auertunt ab amore. Si ergo cogitatio alliciens ad religionem potest se habere per accidens ad misericordiam; à fortiori, cogitatio alliciens ad suspensionem amoris poterit se habere per accidens ad amorem.

4. At, quia nostra conclusio solùm pugnat pro rei possibilitate, præcipuè suadebitur solutis repugnantiæ rationibus, quas nonnulli afferunt, maximè ex nostris RR. Arguitur primò. Actus amoris, v. g. nequit constitui liber per sui existentiam ex vnâ parte; & aliunde per indifferentiam voluntatis ad amandum, & non amandum: igitur ad eam constitutionem aliquid aliud requiritur. At, non aliud, quam fieri per actionem essentialiter dependentem ab eâ indifferentiâ voluntatis; ac proinde essentialiter liberam: ergo impossibile est, actum esse liberum sine actionne essentialiter liberâ. Primum antecedens patet. Nam, si detur in hoc instanti A. indifferentia libertatis ad amandum, & non amandum; non verò in hoc instanti detur amor; qui tamen in sequenti instanti detur non liberè; sed necessariò, erunt sanè in rerum naturâ indifferentia libertatis, & amor; non tamen erit in rerum natura amor, vt liberè positus. Hinc patet consequentia; nempè, amorem, vt liberè positum, aliquid aliud esse præter illa duo. Tum, quia, si amorem liberè poni nihil esset præter illa duo; sanè, datis illis duobus, si non simul, saltem successiuè, daretur successiuè in

rerum

rerum natura id; quod est amorem liberè poni, quod patet esse falsum, ampliusque patebit ex sequentibus. Tum, quia ex eo, quòd possibile sit, dari Petrum in rerum naturâ, & dari hoc tempus in rerum naturâ; nec tamen Petrum hoc tempore dari; rectè infertur aliud esse ab illis duobus Petrum hoc tempore dari: ergo ex eo, quòd possibile sit, dari libertatis indifferentiam in rerum naturâ, & similitèr in rerum naturâ dari amorem; quin tamen detur in rerum naturâ amorem liberè fieri, rectè infertur hoc esse aliud ab illis duobus. Iam minor subiuncta constat. Quid enim hoc aliud esse queit, nisi actio illa, quæ in argumento assignatur? Quod argumentum ingeniosè promouet P. Linceus in metaph. tract. 19. cap. 2. Lync.

5 Communis solutio benè explicata mihi est vera: scilicet, amorem fieri liberè, non in eo præcisè consistere, quòd in rerum natura dentur indifferentia libertatis, & amor; sed in eo, quòd amor efficiatur à principio rationali per actionē coexistentē cū eo, quòd tale principiū habeat potestatē suspensiuam eius amoris. Quia verò, & ipsi amori, & ipsi actioni, per quam ponitur, est extrinsecum, quòd in hoc instanti, in quo exercentur existat ea potestas suspensiua, idcircò, ipsis est ex parte extrinseca libertas in actu secundo. Vt tamen pluribus contra hanc solutionem via præcludatur: obserua *primo*, quòd actio amandi v.g. liberè exerceatur includit essentialitèr durationem eius actionis; includit enim essentialitèr coexistentiam cum potentia suspensiuâ ipsius; ea verò coexistentia importat talem actionem durare simùl cum ea potestate. *Secundò*, exerceri libere talem actionem, non potest esse quid natura posterius ad ipsam, vt videbimus *disp. vltima.* Vnde *tertiò* consequens est, durationem eius actionis esse non posse naturâ posteriorem tali actione. *Quartò*. Talis duratio nō potest esse naturâ prior eâ actione. Nam, alioquin actio amandi non esset immediatè libera, quippè, ad illam naturâ præcederet, quod est cum ipsa ineuitabilitèr connexum, nempè ipsius duratio. Vnde tandem fit, eam durationem, vel cum ea actione identificari, vel esse modum, neque ordine naturæ antecedentem; neque subsequentem ad eam actionem; sed concomitantem ipsam.

6 At contra hanc solutionem oppones primò ex P. Linceo sup. si voluntas absolueretur diuinitùs ab omni tempore posset se exercere liberè. Tunc autem non coexisterent dura- Linc.

tiue tale exercitium, & ipsa voluntas: ergo; quòd voluntas liberè se exerceat non importat essentialitèr prædictam durationem. Nego maiorem. Nam voluntatem se exercere dicit essentialitèr voluntatem se exercere quando aliquatenus retrahitur ab eo exercitio. Ly autem *quando*, significat tale exercitium, & voluntatem, vt aliquatenùs ab eo retractam in eadem duratione esse. ¶ Opponit secundò. Nam, ex solutione traditâ sequeretur, posse supernaturalitèr aliquam actionem voluntatis neque liberam; neque necessariam esse. Demus enim voluntatem indifferentem ad amandum, & nō amandum producere amorem; non verò durationem, per quam hæc productio coexistat tali indifferentiæ; Deo scilicet negante concursum ad productionem huiûs durationis. In hoc euentû actio amandi non erit necessaria, quia non procedit à principio determinato; sed indifferente. Nec etiam erit libera, quia indifferentiæ voluntatis per modum durationis non coexistit.

7 *Resp*. Hypothesis, quæ hîc excogitatur tanquam diuinitùs possibilis est implicatoria. Positio enim est, Deum non necessitare voluntatem ad actionem amandi; sed relinquere voluntatem cum dominio proximo indifferentiæ, vt eam actionem exerceat, & omittat. Quo iam aditus est interclusus, vt eam actionem exerceat necessariò. Secundo, Deum necessitare voluntatem, vt non producat durationem, per quam reddat actionem amandi coexistentem dominio libertatis. Quo iam via præclusa est, vt eam actionem exerceat liberè. Tum, propter dicta nuper in solutione primi, quod opponitur. Tū, quia voluntatem se exercere libere per actionem amandi, est acquiescere cogitationi inuitanti ad amorem; & resistere retrahenti. Hoc autem est reddere coexistentem actionem amādi cum voluntate, vt inuitata ad amorem, & vt retractâ ab eodem: & in reddendo actionem amandi hoc modo coexistentem inuoluitur essentialitèr, producere modum durationis, per quem talis actio coexistat dominio indifferentiæ. Cum his autem pugnat tertium, quod importat ea positio, nempè, voluntatem se exercere per actionem amandi. Quomodo enim se exercebit per illam, si, vt aduersarius supponit, implicatorium est se exercere per illam, & neque liberè; neque necessario; & aliundè impedita prorsus est tâm, vt exerceat illam liberè, quâm vt necessariò? Omitto alia, quæ contra nos non esse cōstabit ex seqq.

8 Op-

8 Opponit tertiò contra eandem solutionem nostræ Societatis Recentior; præclari quidèm acuminis, supponendo id, quòd verissimum est; nimirùm; siuè actio amandi v.g. secum identificet suam durationem, siuè secùs; munera tamen esse formalitèr saltem diuersa munus actionis, & munus durationis. Nam actio est determinatio effectus ad causam; duratio determinatio rei ad tẽpus, sicut vbicatio ad locũ. Tũc sic. Quod non est à voluntate formalitèr, vt voluntas est, nõ est de ratione intrinsecâ exercitij liberi. At, duratio actionis amandi, formalitèr, vt duratio, non est à voluntate formalitèr, vt voluntas est: ergo non est de ratione intrinsecâ exercitij liberi. Maior patet: quia tota ratio intrinseca exercitij liberi est esse vltimam determinationem, per quam voluntas se determinat pro libito ad affectum, quem valet impedire. Constat autem, totam hanc rationem esse à voluntate formalitèr quatenus voluntas est. Minor primi syllogismi probatur. Nam, à voluntate formalitèr, quatenùs voluntas est, id solùm existit, quod est affectus in fieri, vel facto esse. Neutrum autem habet duratio ex munere durationis, potiùs quàm vbicatio, & intellectio: quippè, duratio ex munere durationis nihil amat, vel odit, solumque respicit tempus, non, vt obiectum; sed, vt mensuram. Ergo, &c. Confirmatur. Nam voluntas, prout habens dominium libertatis, se determinat vltimò per volitionem, vel huius effectionem, secluso quolibet alio. Proinde, neque potentia constituitur libera ex eo, quòd possit facere durationem; neque peccamus, quia præstamus amori turpi durare; sed quia illum facimus: ergo duratio non est de ratione intrinsecâ exercitij liberi. At, vt initio argumenti probatum est, aliud est de ratione intrinsecâ exercitij liberi præter amorem, & dominium libertatis: ergo hoc aliud erit, quòd amor sit à voluntate per actionem essentialitèr dependentem à dominio libertatis.

9 *Respondeo* (vt omittam alia minùs expedita) voluntatẽ accipi posse formalitèr quatenùs volũtatem præcisè; vel quatenùs voluntatem proximè liberam. Dico ergo: quod non est à voluntate præcisè, & formalitèr, quatenùs voluntas est, posse benè esse de ratione intrinsecâ exercitij liberi, modò sit à voluntate formalitèr, quatenùs est voluntas proximè liberâ. Deinde. Transeat, durationem actionis amandi, & amoris nõ esse à voluntate formalitèr quatenùs præcisè voluntas est (de

quo;

quo, tametsi, me quidem iudice difficili, nunc mihi cura non est) ea tamen duratio est de ratione intrinsecâ exercitij liberi: quia est à voluntate, quatenus est voluntas proximè libera. Cuius ratio iam tradita *num*. 7. ea est: quia voluntas, vt proximè libera formaliter est adhoc, vt ipsa voluntas allecta ad exercitia opposita vnum alteri præferat acquiescendo pro suo placito motioni ad vnum, & resistendo motioni ad alterum. Hoc autem est componere actionem amādi v.g. cum inclinatione ad ipsam; necnon, cum inclinatione ad oppositum: id verò componere est præstare tali actioni coexistētiam cum prædictis inclinationibus, in eaque coexistentiâ clauditur formalissimè duratio. Vnde patet, quoad præsens, discrimen durationis ab vbicatione, & alijs.

10 Explico. Voluntas præcise, & formaliter quatenus voluntas, tametsi importet capacitatem, vt per amorem reddatur volens; tamen in opinione Scoticâ satis probabili, quæ ad hoc non requirit, quòd ipsa voluntas producat actiue amorem, profectò, præcise vt voluntas non importat vim actiuam amoris; proindeque ipsius exercitium eidem præcise, qua voluntati correspondens non importat actionem, quâ producatur amor ab ipsa voluntate. Verùm, quia ex communi sententiâ libertas creata formaliter, & ex suo conceptû est ad agendum, inde consequens est, voluntatem creatam formaliter, vt voluntatem creatam liberam importare non solùm capacitatem, vt amet; sed etiam actiuitatem, vt producat amorem; & idcirco, exercitium correspondens ipsi, quâ voluntati creatæ liberæ non solum importat amorem; sed huius productionem. Dico ergo similiter importare durationem, per quam voluntas reddat ipsum coexistens inclinationibus ad opposita propter rationem traditam. *Hinc ad confirm.* Nego anteced. Si per ly *secluso quolibet alio*, secludas durationem, vt secludit arguens. Quamobrem dicatur, potentiam constitui liberam, ex eo, quòd ita possit affici circa obiecta, vt possit eos affectus efficere, eisque præstare coexistentiam cum motionibus ad opposita, in quo formaliter clauditur eis præstare durationem: neque ideo præcise peccamus, quia per amorem materialitèr turpem amamus, eumque facimus; sed quia eum exercemus liberè, idest *cum* potestate suspensiua, contemnentesque rationes ab eo retrahentes, & eisdem contra rectam rationem refragantes. Ly autem *cum, contemptus, resistentia, &c.* important,

tant,

tant, vt diximus, reddere talem amorem coexistentem potentiæ suspensiuæ, notitijsque retrahentibus ab illo, & in ea coexistentia clauditur duratio. Confirmationes alias Recentioris laudati *num*. 8. expendemus in seqq.

CAP. II.

Alijs argumentis obuiam fit.

11 ARguitur secundò contra nostram assertionem. Actio libera amandi v.g. dependet actualitèr à toto dominio libertatis ad ipsam. At, huiusmodi dependentia actualis consistit in intrinsecis prædicatis eiùs actionis: ergo actio libera dependens est per sua intrinseca prædicata à toto dominio libertatis. Cum igitur sit manifestum in eo consistere, quòd sit intrinsece libera, fit plane, liberam esse intrinsecùs. Maior videtur certa. Tum, quia dominiũ libertatis existit pro priori naturæ ad actionem liberam; hæc autem pro posteriori: quæ autem existunt pro posteriori naturæ dependent actualiter ab his, quæ existunt pro priori. Tum, quia totum dominium libertatis est ad suos liberos vsus: ergo vsus liberi, vel, quod idẽ est, actiones liberæ, dependent actualiter à toto dominio libertatis. Minor probatur. Tum, quia talis actio non dependet per aliam ab eo dominio libertatis, vel, vt non sequatur processus in infinitum, vel, ne sequatur, non esse immediate liberam; sed mediante alia præuiâ connexa ineuitabiliter cum ipsa: ergo talis actio pendet à dominio libertatis *se ipsa*, & quod hinc sequitur per sua intrinseca prædicata. Tum, quia talem actionem *dependere actualiter* ab eo dominio libertatis, non consistit in eo, quòd ipsa potens non dependere ab eo dominio coexistat cum collectione cunctorum constituentium tale dominium; talis enim coexistentia stare potest citra eam dependentiam, v.g. si pro posteriori ad actionem amandi iam exercitam infundat Deus cogitationem, quæ si non veniret posterius natura existeret consentaneè ad constitutionem dominij: ergo talem actionem dependere actualiter ab eo dominio in eo stat, quòd talis actio per sua prædicata intrinseca essentialiter alligetur ei dominio. Tandem, quia actionem, quæ est exercitium actiui dependere actualiter ab actiuo stat in prædicatis identificatis cum actione: ergo actionem, quæ est exer-

exercitium dominij libertatis, dependere actualiter ab eo dominio ſtabit ſimiliter in prædicatis identificatis cum actione.

12 Hoc argumentum non conuincit, præſertim ad probãdum, impoſſibilem, etiam diuinitus eſſe actionem liberam, quæ non ſit eſſentialitèr libera. Duplex enim argumenti ſolutio colligitur *ex anterioribus diſpp.* Prima. Nam, iuxta doctrinam *diſp.* 17. poterit negari maior. Non enim neceſſe eſt, entitatem actionis liberæ dependere à priori, ſiue à cogitatione retrahente ab eâ actione; ſiuè ab excluſione neceſſitatis antecedentis ad ipſam; quæ tamen cogitatio, & excluſio conſtituunt ex parte dominium libertatis. Deinde, conſtat *ex eadem diſp.* non obſtare probationes maioris negatæ factas *n.* 12. Non prior. Quia, vt diximus *diſp. cit.* prædicta cogitatio, & excluſio, tametſi conſtituant dominium libertatis ad actionem amandi, non oportet, vt poſitiuè ante ipſam actionem detur prioritate naturæ; ſed ſat eſt, dari prius negatiuè; ſcilicèt, independenter ab ea actione, vt iam exercita. Non poſterior. Nam, vt *ex eadem diſp.* conſtat, dominium libertatis non ſe habet indiuiſibilitèr cauſatiuè, & antecedenter prioritate naturæ ad omnes ſuos vſus; ſed accommoda diſtributione, nempè, ſecundùm conſtitutiua poteſtatis ad agendum habet ſe prædicto modo ad actionem; & ſecundùm conſtitutiua poteſtatis ad impedimentum agendi, ſimili modo ſe habet ad hoc impedimentum.

13 Secunda ſolutio eſt, permittere maiorem; negare tamen minorem, quatenus contendit (prout contendere debet ad militandum contra nos) talem dependentiam non poſſe diuinitus ſtare, quin talis actio eſſentialiter alligetur toti dominio libertatis. Conſtat enim ex *diſp.* 11. *à cap.* 4. poſſe hanc dependentiam explicari, quatenùs talis actio ſe ipſa ſit conditionalis dependentia ab aliqnibus conſtitutiuis eius dominij, v.g. à cogitatione retrahente; ita quidem, vt ea actio, quatenùs eſt ex ſe, permittat non exiſtere talem cogitationem; ac proinde, non exiſtere dominium libertatis adæquatè conſtitutum, quanuis ea cogitatione exiſtente independentèr ab hac actione, ac deinde hac actione exiſtente, compleatur his duobus abſoluta, & adæquata dependentia huius actionis ab ea cogitatione. Vnde patet ad probationes minoris negatæ. *Ad primam*, quia licet non pendeat talis actio per aliam actionem ab eo dominio, non inde ſequitur dependentiam adæquatam,

&

& absolutam ipsius stare præcise in prædicatis cum illa identificatis; sed, citra aliam actionem, consistere in ipsa, vt coniuncta cum eo dominio existente independenter ab ipsa. *Ad secũdã*: quia iam vidimus, in quo possit ea depẽdẽtia stare. *Ad tertiam*: quia, diuinitùs loquendo, idem est dicendum de dependentia actionis ab actiuo, *iuxta eam disp*. 11. vbi notauimus, quæ possunt hîc desiderari.

14 Arguitur tertiò. Principium liberum, vt liberum importat diuersam perfectionem, ac principium necessarium; scilicèt, indifferentiam dominij electiui oppositorum: ergo specialem perfectionem tribuit suis actionibus, quam non tribuit principium necessarium: quia pro varietate perfectionum residentium in principijs variæ perfectiones splendent in actionibus. At, eiusmodi specialis perfectio, quam principium liberũ, vt liberum, tribuit suis actionibus, nequit esse aliud, quam intrinseca libertas in actu secundo; per quam tales actiones determinentur, vt à principio libero, vt libero potius, quam ne-
...rio dependeant: ergo libertas in actu secundo est intrin-
...ctionibus liberis. Confirmatur argumentum multiplici-
...*imò*. Principium, vt volitiuum, vitale, & vt præditum
...us supernaturalibus, tribuit suo exercitio rationem intrinsecam volitionis, vitalitatis, & supernaturalitatis: ergo, vt liberum tribuit perfectionem intrinsecam libertatis. Si enim necesse est eas perfectiones (de quibus loquitur antecedens) se tenentes ex parte principij splendere intrinsecè ex parte actûs: ergo necesse paritèr erit, perfectionẽ libertatis se tenentẽ ex parte principij splẽdere intrinsecè ex parte actûs liberi.

15 *Secundò*. Nã actio ex sua intrinseca ratione est egressio effectus à principio actiuo, vt actiuo: ergo actio libera est ex intrinsecâ suâ ratione egressio affectûs à principio libero, vt libero. At, intrinsecè libera est actio, quæ ex intrinseca sua ratione est egressio affectus à principio libero, vt libero: ergo actio libera est intrinsecè libera. *Tertiò*. Quòd actus sit liber in exercitio actuali sumi debet à formâ se tenẽte ex parte actus, neque minoris actualitatis, quàm effectus formalis. Proinde, album actuale non potest esse tale ab albedine purè possibili; ergo forma constituens actum liberum in ratione liberi actualitèr, & in exercitio, non potest esse potentia voluntatis, vt ipsum eliciat, & omittat; sed aliquid intrinsecum se tenens ex parte actûs liberi non pertinens ad lineam potentiæ; sed ad lineam

neam actûs. *Quartò*. Actiones liberæ, quâ liberæ, differunt ab actionibus brutorum spontaneis. At, ab his intrinsecè differunt: ergo sunt intrinsecè liberæ. *Quintò*. Intrinsecè diuersi sunt affectus postulantes diuersas notitias diuersas proponentes rationes obiectiuas. At, ita se habent affectus liber, & affectus necessarius. Nam; liber postulat iudicium indifferés proponens rationes obiectiuas pro partibus oppositis; secus autem necessarius: ergo affectus liber, & affectus necessarius sunt ex his nominibus intrinsecè diuersi. *Sexto*. Exercitium immediatè liberum est prælectio sui præ sui omissione. Id, quod præcipuè consonat nostris principijs, *iuxta disp*. 15. At, prælectio huiûs præalio supponit ex intrinsecâ suâ ratione potestatem ad vtrumlibet: ergo exercitium immediatè liberum supponit ex intrinsecâ sua ratione potestarem ad ipsum, atque ad eiûs omissionem: &, quod hinc sequitur, est intrinsecè liberum.

16 Ab his abstinere non debui, maximè cum illorum pluribus multùm fidant docti Thomistæ contra grauissimos nostros Doctores Valent. Molin. Suar. & Vazq. *Ad argumentum resp*. Principium liberum, vt liberum, potest bifariam accipi. *Primò* radicalitèr. Et hoc modo est ipsum principium substantiale volitiuum, quatenus suapte natura aptum, vt adiunctis cœteris prærequisitis ad exercitium liberum, se exerceat liberè. *Secundò* proximè, & formalitèr. Et hoc modo est prædictum principium, vt coniunctum cum prædictis prærequisitis. Principium liberum vtrouis modo acceptum importat, debita seruata proportione, diuersam perfectionem, ac principium necessarium. Si enim comparetur radicaliter liberum, nempè principium rationale, cum alio principio, quod neque radicalitèr est liberum, nempè irrationale, illud importat perfectionem idonei suapte natura, vt pro suo placito se determinet ad partes oppositas; secùs istud. Si autem comparetur proximè, & formalitèr liberum cum non ita libero, illud importat perfectionem habendi iudicium prærequisitum, cœteraque prærequisita, vt pro placito se flectat ad extrema opposita, quam perfectionem non habet principium proximè, & formalitèr non liberum. Hoc statuto, in quo conuenimus disputantes.

17 Hoc est discrimen inter principium radicaliter liberũ, & principium proximè, & formalitèr liberum comparata cũ suis

suis actibus, & actionibus liberis, v.g. cum actione amandi. Principium enim radicalitèr liberum, quâ tale, se habet per se, causatiuéque ad prædictam actionem amandi. Quamobrē, illi tribuit, quod intrinsecè sit idonea, vt exerceatur liberè. Proindè, talis actio est intrinsecè radicalitèr libera: quod nullus Autor nostræ sententiæ negat, nec negare potest, cum habeat talis actio prædicata apta, vt ea actio liberè exerceatur: & in hoc stat eam actionem esse intrinsecè liberam radicalitèr. At, principium proximè, & formalitèr liberum, quâ tale, non se habet per se, causatiuéque, secundùm omnia, quæ importat, ad talem actionem amandi. Importat enim, vt proximè, ac formalitèr liberum cogitationem retrahentem ab ea actione, & exclusionem necessitatis antecedentis ad illam: quæ quidem non se habent per se, & causatiuè ad talem actionem amandi, vt vidimus *num. 2. & 3*. Iam verò, cum illæ principij perfectiones, quæ non se habent per se, & causatiuè ad intrinsecum *esse* actionis, nihil intrinsecum ipsi tribuant; consequens planè est, perfectionem intrinsecam actionis liberæ non prouenire ab omnibus constitutiuis proximæ, formalisque libertatis. Quare nihil mirum, talem actionem non euadere intrinsece liberam proxime, & formaliter; sed solum radicaliter. Poterit argumentum contra aduersarios retorqueri *ex num. 3*.

18. Cui occurres in formâ, concedendo antecedens, ac distinguendo consequens. Specialem perfectionem tribuit suis actionibus principium liberum; si accipiatur secundum eam rationem, quâ se habet per se; causatiuéque ad intrinsecum *esse* talium actionum, concedo conseq. Quâ se habet per accidens, & concomitanter, nego conseq. Et quia hoc posteriori modo se habet secundùm aliqua constitutiua proximæ libertatis, idcirco nullam intrinsecam perfectionem tribuit eis actionibus proxima libertas adæquate sumpta, & propterea tales actiones non sunt intrinsece liberæ proxime, formaliterque. *Ad primam confirm.* concesso anteced. distinguo consequens, vt liberum radicalitér tribuit suis actionibus perfectionem intrinsecam libertatis radicalis, concedo conseq. vt explicui *num.* 18. vt liberum proxime, formaliter, & adæquate, nego conseq. quia nonnulla constitutiua proximæ libertatis per accidens se habent ad eas actiones, vt iam exposui; proindéque nullam illis intrinsecam perfectionem exhibent,

hibent. Et, vt plene diluatur ea confirmatio: ratio volitionis est intrinseca amori, quia essentia amoris est esse formam constitutiuam volentis, vt volentis. Ratio vitalitatis est intrinseca amori, quia, quouis modo explicetur vitalitas, amor eo ipso, quòd sit amor, & actio amandi, eo ipso, quod talis, differunt ab omni termino, & actione non vitalibus. Ratio supernaturalitatis est intrinseca amori supernaturali, quia amorem esse supernaturalem est ex intrinsecâ suâ præstantia esse supra vires, & exigentiam naturæ nudè sumptæ. At, actum, & actionem liberam non esse proximè, & formalitèr liberam per pura prædicata intrinseca nihil prohibet, vt partim ex dictis, plenéque ex dicendis constabit.

19 *Ad secundam conf.* concesso antecedente, negatur consequentia. Discrimen est. Nam tota actiuitas proxima principij per se, & causatiuè influit in *esse* intrinsecum actionis. Vnde, nihil mirum, quod tribuat ei *esse* prędicatum intrinsecum actionis. Non autem se habet tota libertas proxima principij per se, & causatiuè ad *esse* intrinsecum actionis liberæ; proindéque, nihil mirum non exhibere ei prædicatum intrinsecum liberæ proximè, & formaliter. Fateor, totam libertatem proximam principij conducere ad hanc actionem formaliter, vt liberam. At, etiam mea visio conducit ad hunc colorem formaliter, vt visum. Quare, sicut hinc non infertur meã visionem communicare quidpiam intrinsecum colori; solumque præstat, quòd extrinsecus sit visus; ita illhinc non infertur proximam libertatem principij conferre actioni liberæ prædicatum aliquod intrinsecum, ratione cuiûs ea actio sit proximè, & formalitèr libera, eaque conducentia stabit, eo præcisè, quòd ea libertas proxima principij, præstet, quòd talis actio sit intrinsecè proximè libera. *Ad tertiam.* Quod actio sit actualitèr, in exercitio, & in actû secundo libera; importat, quod ita existat, vt impediri, & non existere sit voluntati possibile. Quocirca, talis effectus formalis importat talem actionem, vt actualitèr existentem, & eiûs omissionem, vt voluntati possibilem. Primum, quia esse actuale venit formalitèr ab actuali existentiâ eius actionis. Secundum, quia esse possibile venit formaliter à potentia voluntatis impeditiuâ eius actionis. Vbi vides exactam proportionem formarum, & effectuum formalium.

20 *Ad quartam,* Aliud est rem intrinsecè differre ab aliâ, &

& aliud esse intrinsecum omne distinctiuum ipsius ab aliâ: potestque primum esse verum; & secundum falsum. Quocirca, creatura rationalis suapte naturâ radicaliter amabilis à Deo amore amicitiæ, necnon actualitèr amata eo amore, differt ab irrationalibus vtroque nomine. At, ex priori tanquam per differentiam intrinsecam; ex posteriori tanquam per extrinsecā. Similiter ergo dicatur hîc, cum actiones brutorum spontaneæ neque sint liberæ radicalitèr, neque proximè; nostræ verò actiones liberæ sint liberæ vtrouis modo: dicatur, inquam, differe intrinsecè titulo libertatis radicalis; partim autem extrinsecè titulo libertatis proximæ ab actionibus brutorum. Simile dicendum est ab his, qui putant libertatem proximam, quanuis intrinsecam, accidentalem tamen esse. Tunc enim actiones liberæ, vnâ differentia essentialitèr, & aliâ different accidentalitèr ab actionibus brutorum. *Ad quintam.* Fateor, affectus ex intrinsecis postulantes notitias diuersas, &c. differe ex intrinsecis. Nego tamen affectum, qui liber est proximè, & formalitèr postulare ex intrinsecis notitiam diuersam ab ea, quam postulat affectus proximè necessarius. Licet enim affectus proximè necessarius coniungi soleat cum sola notitia alliciente ad ipsum; non verò cum retrahente; liber autem cū vtraque; tamen liber intrinsecè spectatus non postulat cogitationem retrahentem, vt iam explicuimus; sed satis ipsi est intrinsecè spectato illa notitia, qua sola existente, euaderet necessarius. Non tamen inficior cogitationem retrahentem requiri, vt actus liber suscipiat denominationem liberi, vt sup. dixi.

21 *Ad sextam* iam diximus *disp. præc.* actum immediatè liberum tametsi habeat ex intrinsecis esse obiecti, suique ipsiûs amorem; habere tamen posse partim ab extrinseco denominationem *prælectionis* sui præ sui omissione, nempe ex cōiunctione cum potestate proxima impeditiua ipsius ex parte voluntatis, quæ potestas per accidens se habet ad eum actum intrinsecè spectatum, quanuis per se requiratur in genere causæ formalis extrinsece denominantis, vt talis actus suscipiat eam denominationem *prælectionis*. Non ergo ex prælectionis prædicato, quod potest esse partim extrinsecum rectè probatur libertas intrinseca.

CAP. III.

Subtiliores obiectiones diluuntur.

22 ARguitur quartò. Actus malus eſt ex intrinſecis malus moraliter; & actus bonus eſt ex intrinſecis bonus moraliter: ergo actus liber eſt ex intrinſecis liber. Conſecutio patet. Tum à paritate. Tum, quia iuxta ſententiam probabilem, omnis actus liber eſt bonus, vel malus moraliter: cumque aliunde de ratione intrinſeca bonitatis, & malitiæ moralis ſit libertas, conſequens erit omni actui libero libertatem eſſe intrinſecam ſi bonitas, & malitia moralis intrinſeca eſt. Probatur igitur antecedens, claritatiſque gratia loquamur de ſola malitia; poteruntque probationes haud difficulter magna ex parte aptari bonitati morali. Actus malus eſt malus moraliter per malitiam moralem. At, ea malitia eſt ipſi intrinſeca: ergo ex intrinſecis eſt malus moraliter. Probatur minor. Malitia moralis neque poteſt eſſe actus non malus ab intrinſeco: quia talis actus poteſt ſeparari à malitia, & malitia non poteſt ſeparari à ſe ipſa; neque poteſt eſſe aggregatum ex actû non malo ab intrinſeco; & ex obligatione ad omittendum ipſum. Nam, hoc aggregatum eſt cumulus entium non malorũ; proindeque nequit rationabiliter odio haberi à Deo, vt poteſt malitia; ergo tantum reſtat, malitiam eſſe ipſum actum ab intrinſeco prauum. Eſt igitur tali actui intrinſeca. Confirm. *Primò*. Sumamus enim aggregatum ex obligatione ad non peccandum, & ex actû prauo, quo talem obligationem transgredimur. Tunc ſic. Illud ſolùm huius aggregati eſt moralis malitia, quod habetur odio à Deo. At, nõ habetur odio à Deo totum aggregatum, cum Deus non oderit nos obligari ad nõ peccandum; ſoluſque actus, quo talem obligationem transgredimur, odio habetur à Deo: ergò malitia actus praui eſt ſolus ipſe actus. Cum igitur nihil magis intrinſecum actui, quàm, quod ipſe ſolus eſt, patet, nihil magis intrinſecum eſſe actui prauo, quàm moralem malitiam.

23 *Secundo*. Quod non eſt potius diſplicens, quam placens, nequit eſſe potius ratio diſplicendi, quàm placendi. At, aggregatum ex obligatione ad non peccandum, & ex actû

prauo

prauo non est potius displicens, quam placens: tametsi nanque secundum vnam partem displiceat, nempè secundùm, actum prauum; secundum aliam placet, nempè, secundum obligationem non peccandi: ergo tale aggregatum nequit esse potius ratio displicendi, quam placendi, & consequentèr nequit esse malitia in abstracto. Superest ergo huiusmodi malitiam esse intrinsecam actui prauo. *Tertio*. Nam alioquin sequeretur actum moraliter prauum existere Deo authore. Probatur sequela. Sicut actus prauus est odibilis per malitiam cum eo actû non identificatam; ita animus rationalis peccans est Deo odibilis per malitiam non identificatam cum ipso animo. At, hoc non obstante, animus peccantis existit Deo authore: ergo actus prauus existet Deo authore. Vt igitur hoc, & alia similia incommoda vitentur, dicendum erit, malitiam actûs praui identificari cum ipso, proptereaque talem actum non existere Deo authore. Mitto alia, quæ solutionibus istorum eneruantur.

24 *Ad argumentum respond.* Sicut est possibilis actus, qui ex parte sit ab extrinseco liber; ita, non obstante hoc argumento, dici poterit, esse possibilem actum prauum, qui sit ex parte prauus ab extrinseco (quidquid sit, an ex rationibus specialibus probetur impossibilis actus extrinsecè prauus, quibus æquè nón probetur impossibilis actus extrinsecè liber, de quo nunc disputare non placet.) Pro nunc ergo negatur antecedens, minorque probationis. Ad cuius minoris probationem dicatur, malitiam adæquatam actûs praui esse complexum ex actu prauo, & obligatione non perpetrandi ipsum. Neque obstat, hoc aggregatum esse cumulum entium singillatim, & per se non malorum. Tum, quia fœdissima facies, & absurdissima musica constitui possunt cumulo delineamentorum, & vocum per se seorsim, neque turpium, neque absonantium. Tum, quia benè potest aliquid non habens aliquod prædicatum, *vt quod* esse ratio formalis, vel adæquata, vel inadæquata, vt aliud habeat tale prædicatum, vt multis exemplis constitit *disput.* 10. *num.* 7. Et in præsenti ipsa obligatio non peccandi, quæ non est illicita reddit peccatum illicitum. Neque obstat secundò, tale aggregatum non esse rationabilitèr odibile secundùm quamlibet partem, quippè non est rationabiliter odibilis obligatio non peccandi. Nam, bene potest esse malitia, *vt quo inadæquatè*,

 nem-

nempe pars rationis formalis constituentis aliud malum, & odibile, quod secundùm se non est rationabiliter odibile. Tùm, propter rationem nuper datam, & propter dicta *disput*. 10. citatâ. Tum, propter exempla ibidem, & hic adhibita. Dixi: *inadæquatè*, quia malitia adæquata imbibit actum malum, qui rationabiliter odibilis est, positis constituentibus ipsum in ratione mali.

25. Hinc. *Ad primam conf. resp.* Illud solum eius aggregati est malitia, *vt quod, & in concreto*, nempe malum, & execrabile, quod odio habetur à Deo. Nam, quod non habetur odio à Deo non est malum, & execrabile. Non tamen illud solùm, quod odio habetur à Deo est malitia *in abstracto inadæquate*, &, vt aiunt, *vt quo*: quia esse malitiam hoc modo, detracta larua verborum territantium, est esse partem eorum, quorum ratione actus est odibilis, eorumque pars est obligatio cohibendi actum, quæ non habetur odio à Deo. Et quidem, homo, qui peccauit heri est nunc ex parte peccator per non peccatum, nempe per diuinam condonandi nolitionem, quæ peccatum non est. Quid ni ergo actum prauum esse ex parte odibilem per non odibile, nempe per obligationem non odibilem cohibendi talem actum? Ideo autem actus potiùs, quàm obligatio cohibendi ipsum est odibilis, tametsi vtrumque concurrat in genere causæ formalis ad hoc, vt detur peccatum in ratione peccati: quia non dissonat rectæ rationi obligari hominem ad cohibendum hunc actum; dissonat autem tribuere tali actui existentiam, posita ea obligatione. *Ad secundam conf.* Aggregatum illud æqualiter imbibens partem placentem, & partem displicentem, licèt non possit esse ratio formalis, vt ipsum pure displiceat; bene tamen vt aliud, nempe actus prauus, pure displiceat; ac proinde potest esse, *vt quo* pura malitia talis actus, quamuis non sui. Quemadmodum obligatio, quamuis neque ex parte sit illicita, est ratio formalis, vt actus, quem cohibere tenemur, sit illicitus.

26. *Ad tertiam.* Nego sequelam. Ad probationem, cócessa maiore, & minore, negatur consequentia. Discrimen est: Quia tametsi Deus causet animum rationalem, qui aliàs sit suo vitio peccans; causalitas tamen diuina non præstat, quod talis animus sit peccans; sed præcise, quod talis animus *sit*; & ipse animus solus præstat *se esse peccantem*. At, si Deus non solum permitteret; sed etiam causaret nostros actus prauos,

in

in circunstantijs, in quibus eos cohibere tenemur, causalitas diuina non solùm præstaret talem actum *esse*; sed etiam *esse prauum*. Quia ex vna parte præstat Dei causalitas, quòd vrgeat obligatio eum coercendi. Si igitur aliundè præstat, quòd eum ponamus, præstat, quòd ponamus ipsum, vrgente obligatione coercendi. In hoc autem stat non *esse* purè; sed *esse prauum*. Deus ergo causalitèr præstaret, non solùm actum esse; sed esse prauum, quod est hæreticum.

27 Alitèr probari potest illud antecedens de malitiâ intrinsecâ actui prauo; & quidem argumento sic proposito, vt etiam vrgeat pro libertate actui libero intrinsecâ. Nam volitio occidendi pro nostrâ libertate posita differt essentialiter à volitione occidendi nobis necessariâ, & pro solâ libertate diuinâ existente: ergo volitio necessaria, & volitio libera differunt essentialitèr. Nam, si consequens non sit verum, non erit ratio solida pro veritate antecedentis. Antecedens probatur. Volitio occidendi, necessaria nobis, non repugnat de se diuinæ causalitati. At, volitiò occidendi, nobis libera, repugnat de se diuinæ causalitati. Nam, alioquin Deus, cui non est prohibita hominum occisio, posset tanquam supremus Dominus vitæ, ac necis eam volitionem velle, & causare, ac velut in medium assumere, vt occisio sequatur: ergo prædictæ volitiones differunt essentialitèr. Confirm. *Primo*: Nam, vt ait Concilium Senon. *decr.* 15. *liberum arbitrium velut euidenti quodam experimento cognitum omnium mentibus sese inculcat*. Et, vt Athanasius *contra gent.* loquitur elegantèr. *Anima liberum suum ius, arbitriumque intuetur, sentitque se in vtramque partem corporeis membris vti posse tum, ad ea, quæ sunt, tum ad ea, quæ non sunt.* Et sanè liberi arbitrij propugnatoribus solenne est contra hæreticos vti argumento ab experientia ducto. Tunc sic.

Senon.

Athan.

28 In eo, qui amat liberè, & in eo, qui amat necessariò ex prædeterminatione aliquâ Dei possunt esse similes prorsùs notitiæ præuiæ ad amorem, vt *tractat. de Actibus humanis in specie* videbimus. At, amans liberè habet intra se vnde manifesto experimento intueatur se libere amare, vt ex testimonijs adductis patet: ergo, quia libere amans tangit certissime ex parte sui amoris modum quendam tendendi proprium libertatis, per quem tendendi modum ipsi amori intrinsecum constituatur talis amor in ratione vsus domi-

nij, & in ratione victoriæ superantis circa oppositum renitentiam, cui animus cedere possit. Confirmatur secundò. Demus namque Petrum, & Paulum, similibus prorsus notitijs instructos, ita se habere, vt Petrus libere, ac praue velit homicidium; secùs autem Paulus, quia necessitatur à Deo, vt homicidium velit. In hoc euentû sic disputo. Nam ille, qui peccat habet intra se ipsum irrefragabile sui peccati testimoniũ, & condemnationem, adeo, vt si tenebræ non offundantur intellectui, non solum possit sine hæsitatione dicere *. Existimo me peccasse * sed etiam * Peccaui. * At, hoc eatenus ita est, quia ipse prauus affectus eiûs ex intrinsecis naturæ est, vt suam liberam, & præcipitem tendentiam in obiectum clarissime nobis patefaciat: ergo affectus

Paul. prauus est intrinsece liber, & prauus. Maiori, quæ sola difficilis est fidem faciunt Scripturæ, Patrumque monumenta. Paulus ad Rom. 2. 15. *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum,* Et 2. Corinth. 1. 12. *Nam, gloria nostra, hæc est testimonium conscientiæ nostræ, &c.* Deinde, iuxta

Ambr. P.P. hoc testimonium est chirographum illud peccati, quod Christus cruci affixit. Tandem, vt omittam plura, quæ modo necessaria non sunt, legatur Ambrôs. *lib.* 1. *de officijs cap.* 12. vbi ait beatitudinem singulorum æstimandam *Secundum interiorem conscientiam, quæ innocentium, & flagitiosorum merita discernit, vera, atque incorrupta pœnarum, præmiorumque arbitra.*

Suarez 29. Ad hæc respexisse videtur Eximius Doctor *tom.* 1. *de grat. prologom.* 1. *cap.* 5. §. 2. vbi censet, inuariatis intellectûs notitijs, non posse actum iam fieri necessariò, iam liberè, nisi detur variatio actionum, quæ intrinsecè, & essentialitèr differant. Cæterum, cum non videatur sub experimentum cadere diuersitas actionum, quibus producuntur affectus, prout ab ipsis affectibus distinctarum, sanè argumenta facta non solùm videntur probare actionum diuersitatem, quam defendit P. Suarez, sed etiam affectuum diuersitatem, quam negat. At, quidquid de hoc sit, quòd forsàn attingemus disput. vltim. certè, quæ proposuimus non videntur mihi conuincere contra possibilitatem actuum, & actionum habentium ab extrinseco libertatem, quam duntaxat possibilitatem in præsenti tuemur. *Ad argumentũ resp.*

Nego

Nego antecedens loquendo de posſibili. Ad probationem dicatur, volitionem occidendi liberam, & prauam, non repugnare de ſe ipſa; ſed ex circumſtantijs diuinæ cauſalitati. Quia, ſi in circumſtantijs noſtræ libertatis, & obligationis ad cohibendum illam, Deus non ſolùm eam permitteret; ſed poſitiuè cauſaret, non ſolùm eſſet cauſa, vt ea eſſet; ſed vt mala eſſet, vt explicui *num.* 26. quod eſt contra puritatem diuinæ voluntatis, & omnipotentiæ.

30 *Ad primam confirm. reſpond.* In primis, vt verum ingenuè fatear, teſtimonia adducta *num.* 27. tantùm probant experimentum noſtræ libertatis in actû primo; non verò diuerſitatis intrinſecæ actûs liberi ab actû neceſſario. Solum enim contendunt, nos veluti manibus ipſis contrectare, quòd in vtranque partem flecti poſſumus ſentientes intra nos inclinationem ad oppoſita, nullumque ad alterutrum impulſum irrefragabilem: quæ cum ſint phyſicè connexa cum libertate in actû primo, hoc experimentum eſt phyſicè ſaltem euidens circa exiſtentiam eiûs libertatis. Deinde ad ſyllogiſmum poſitum *num.* 28. diſtinguo minorem, prout de facto res eueniunt concedo minorem; prout in alio rerum genere poſſunt euenire, nego minorem: conſecutionem autem concedo; & nego ſub eadem diſtinctione. Similiter ad ſecundam confirm. diſtinguo maiorem, ea conceſſa, prout de facto res eueniunt, quod mihi probant ea, pluriniaque alia, quæ adduci poſſent teſtimonia, probabiliſque ratio tradenda *diſput.* 20. negatur autem eadem maior, prout in alio genere prouidentiæ poſſent res ſe habere. Hoc autem certum experimentum ſuæ libertatis, quod ingerit exercitium liberum ſumitur, vel ex actione, & conatû perceptibili, vel ex perceptibili modo tendendi ipſiûs affectûs, de quo dicemus diſput. 20. Itaque damus his probationibus exercitia libera de facto intrinſecè libera; negamus tamen eis probari implicationem in exercitijs, quæ ſint ex parte ab extrinſeco libera.

(:5:)

CAP.

CAP. IIII.

Concluditur argumentorum solutio.

31 *Linceus* QVintum argumentum pro libertate intrinseca liberarum actionum propositũ inuenio apud P. Lincęũ *eo tract.9.n.17.&18.* quod clarius formabitur, si notetur primò, ex his, quæ dicemus *tract. de Actib. hum. in specie*, vbi de actibus imperãtibus, & imperatis, potestq; interim videri probabiliter ostensum à P. Linceo sup. posse voluntatem nostram simul tempore, ac natura libertatem habere immediatam ad amandum obiectum, & ad imperium efficax eiũs amoris, proposita nimirum voluntati non solùm bonitate obiecti amandi; sed etiam bonitate ipsius amoris. Loco enim citato monstrabimus, libertatem proximam ad amandum non compleri per carentiam imperij, per quod amor imperetur efficaciter. Noto secũdò. Sicut implicat dari libertatem simpliciter ad actũ, & actum poni non liberè: quippè liberè poni non est aliud, quã poni cum libertate simpliciter; ita quoque repugnat dari libertatem immediatam ad actum; & actum poni non liberè immediatè. Idem enim est poni cum libertate immediata, & poni immediatè liberè.

32 Sic igitur argues. Actio amandi immediatè libera excludit ab intrinseco imperium efficax præcedens: ergo est ab intrinseco libera. Consecutio probatur: quia si ab intrinseco excludit imperium efficax præcedens ad ipsam, excludit ab intrinseco, propter æqualem rationem, quoduis principiũ antecedens prædeterminans ipsam. Vnde nihil illi deerit, vt sit intrinsecè libera. Probatur ergo antecedens. Nam alioquin talis actio amandi posset componi cum imperio efficaci sui. Hoc autem implicat. Ergo. Minor probatur. Nam, talis actio composita cum eo imperio efficaci antecedente esset, & non esset immediatè libera. Non esset immediatè libera, quia sequitur necessariò ex imperio efficaci præuio. Esset immediatè libera. Quia in instanti, in quo exercetur datur simul ad ipsam, & ad eius imperium immediata libertas, vt in primâ notatione posuimus; & aliunde, vt posuimus in secundâ, actio est immediatè libera, si, quando exercetur, datur ad ipsam immediatà libertas.

33 Hoc

33 Hoc argumentum ingeniosum est; non tamen efficax. Omissis pluribus, quæ dici possent, expeditior solutio est, negare antecedens. Ad probationem, concessâ maiore, negatur minor. Tametsi nanque, in eo casû imperij præcedentis talis actio non esset immediatè libera; non tamen aliunde sequeretur esse immediatè liberam. Ad probationem eiûs sequelæ respondeo. Quandò talis actio exercetur, datur ad ipsam immediata libertas, quæ est ad ponendam ipsam actionem immediatè liberè diuisim ab imperio efficaci præuio; non verò ad ponendam ipsam immediatè liberè citra talem diuisionem. Vnde, non sequitur, eam libertatem reddere talem actionem immediatè liberam, quando cum imperio efficaci cõiungitur. Explico. Libertas in actu primo illud extremum constituit liberum, & illud extremum constituit immediatè liberum, ad quod ita constituendum refertur. Libertas autem immediata ad actionem amandi, quæ potest eam exercere actionem, & omittere, & simul inimperare, & imperare, est ad constituendam immediatè liberam eam actionem, non in quauis circumstantia, & á qualibet circumstantiâ præscindendo; sed exercita ea actione diuisim ab imperio efficaci ipsius: quippè non aliter talis actio potest exerceri immediate liberè, quâm diuisim ab eo imperio præuio. Proinde, quam primum exerceatur talis actio diuisim ab eo imperio, constituetur per talem libertatem immediate libera. At, cum talis libertas non sit ad constituendam ipsam immediatè liberam in quauis circumstantia, nihil mirum non constituere ipsam immediate liberam in circumstantiâ imperij efficacis antecedentis ad ipsam.

34 Arguitur sextò. Causa libera determinat se ipsam, & alias suas concausas ad operationem, vt latè ostendimus *disput.* 15. At, hoc modo se determinare importat essentialiter, quòd eius exercitium ex modo tendendi sibi intrinseco sit liberum: ergo ita liberum est. Minor probatur diuersimode. *Primò*, quia voluntatem se determinare est suo conatû, & actione supplere defectum virium prædeterminantium ipsam: v.g. se determinare in via per cognitionem obscuram ad amãdum est supplere defectum claræ visionis, per quam determinatur in patria ad eum amorẽ. At, intrinsece diuersa est actio & conatus, per quem causa supplet defectum alienæ virtutis, ab eo, per quem præcise exercet virtutem propriam: ergo mo-

modus ille se determinandi importat intrinsecè diuersitatem ab actione necessaria; proindeque libertatem. *Secundo* paulò aliter. Per actionem se determinandi ad amorem, v.g. exercet voluntas potestatem, & inclinationẽ ad amorem; & impedit inclinationem, potestatemque proximè expeditam ad omissionem amoris: ergo talis actio est essentialiter diuersa ab actione necessariâ amandi; quæ quidem non impedit exercitium alteriûs potestatis proximę ad oppositum, cùm talis potestas desit, quandô actio amandi exercetur necessariò. Probatur consequentia. Tum, quia actio, quæ exercetur in præsentiâ contrarij renitentis differt essentialiter ab eâ, quę exercetur sine contrario: & ideo maior vis requiritur ad producendum calorem in præsentiâ, quàm in absentiâ frigoris contranitentis. Tum, quia experientia constat, diuersum nos admouere conatum ad fortissimum aduersarium, quàm ad debilissimum, vel nullum superandum.

35 *Tertiò*. Quòd per actionem liberam amandi voluntas dominatiuè se ipsam determinet nequit ab aliquo extrinseco tali actioni venire. Ergo id est intrinsecum ei actioni, & cum in eo stet eam actionem esse liberam, patet esse ab intrinseco liberam. Antecedens probatur. Nam primò, non venit ei actioni prædictum munus, quia proueniat à voluntate indifferente, vt per talem actionem se exerceat, vel non se exerceat. Nam, ea actio (ponamus esse actionem supernaturalem amandi Deum) prouenit ab habitû charitatis, & ab auxilijs diuinæ gratiæ indifferẽtibus, vt se exerceant, vel nõ exerceãt, per talẽ actionẽ; & tamẽ per talẽ actionẽ nõ se determinãt dominatiuè prędictæ causæ. Secũdò, nõ venit ei actioni prædictũ munus ex eo præcisè, quòd per illã volũtas alioqui indifferens ad amandum, & non amandũ ponit in se ipsa actiuè, & immanenter amorem. Demus enim casum, in quo idem amor duplici principio volitiuo cõmunis sit, v.g. Angelo Michaeli, & Raphaeli, qui ante actionẽ amandi sint indifferentes ad amãdũ, & non amandum. Tunc sic. In isto casû determinabitur Raphael v.g. à Michaele ad actionem amandi; non contra. Quia nequeunt duo principia in eandem actionem cõuenire, nisi aliud potius, quam aliud determinetur ab altero. Tamen Raphael, qui non se determinat ad actionem amandi; sed determinatione comitante Michaelis determinatur ad eam actionem, elicit actionem, per quam in se ipso, & immanenter ponit amorem

præuiè indifferens, vt tali actione se exerceat; vel non se exerceat: ergo prædicta non sufficiunt ad munus se determinandi per talem actionem. Ergo munus se determinandi per talem actionem importat, quoad suapte natura intrinsecâ sit exercitium dominij penes tale principium potius, quam penes aliud residentis ad eam actionem. Et quidem, simul cooperantibus duobus principijs ante actionem indifferentibus, nunquam satis percipietur, in quo stet alterum, vt liberum, alterum, vt non liberum; alterum, vt se determinans, alterum, vt determinatum ab alio operari, donec assignetur diuersitas petita ex intrinsecâ diuersitate actionis liberæ à necessaria.

36 Confirmatur. Si actio libera amandi, v. g. non esset intrinsecè libera, voluntas liberè eliciens amorem non determinaret suam libertatem propriè, formaliter, & imputabiliter: ergo non esset propriè, & formaliter causa libera amoris: quippè, propriè, & formaliter causans liberè amorem propriè, & formaliter determinat amorem. Antecedens probatur. Illa circumstantia actionis egredientis à voluntate nō est à voluntate propriè formaliter, & imputabiliter, quę actioni prout egredienti à voluntate conuenit casualiter, & per accidens. Quocirca, si quis exerceat actionem de se non connexam cum homicidio, cui actioni casualiter, per accidens, & præter intentionem agentis adiungatur homicidium, adiunctio huius circumstantiæ non est propriè, formaliter, & imputabiliter à voluntate. At, si actio amandi sit extrinsecè libera, conueniet tali actioni casualiter, & per accidens determinare indifferentiam libertatis. Huic enim actioni, si est extrinsecè libera, casuale prorsus, ac purè accidentarium est ita exerceri, vt in voluntate detur potestas suspēsiua ipsiûs, in quo stat determinare indifferentiam libertatis. Ergo, si talis actio sit extrinsecè libera, determinare suam libertatem non est propriè, formaliter, & imputabiliter à voluntate.

37 Hæc satis apparenter intentum suadent; non tamē conuincunt. *Ad argum. ex num.* 34: Nego minorem. Ad primam probationem resp. Etsi dici posit id, quod est voluntatem, se ipsam determinare supplere quodammodo prædeterminari ab alio, de quo parum contendam, tamen supplementum in ordine agendi duplex est: aliud dicens substitutionem vnius agētis præsentis loco alteriûs absentis in ordine ad producendum terminum. Huiusque generis supplementum transeat

scat importare necessarò diuersitatem intrinsecam actionum in casû vnius agentis, vt in casû alterius: quia iuxta communiorem Philosophiam, quæ mihi regulariter loquendo vera est, diuersificatis agentibus effectiuis diuersificantur intrinsecè actiones. Aliud supplementum non dicit loco vnius principij effectiui absentis subrogari principium aliud effectiuum præsens; sed loco agendi in quibusdam circumstantijs non concurrentibus actiuè ad producendum terminû, producere terminum in alijs circumstantijs similiter non concurrentibus actiuè ad productionem ipsiûs. Et hic modus supplementi non arguit necessariò, & in ordine etiam ad potestatem absolutam Dei loquendo, diuersitatem intrinsecam actionum. Quamobrem, in opinione existimantium cognitionem non efficere actiuè amorem, actiones amandi non sunt intrinsecè diuersæ ex præcisâ diuersitate notitiarum dirigentium ad amorem. Dico ergo, nequaquam posse in eo probare implicationem, quòd res necessitans ad amorem non producat ipsum effectiuè, vt si voluntate potente amare, desit cognitio alliciens ad nô amorem, hæc carentia non produceret effectiuè amorem. Similiter implicatio non est, quod in casû libertatis nôn producat effectiuè amorem, id quod potestati actiuæ amoris superaddit potestas impeditiua ipsiûs. Proinde, variatio libertatis, & necessitatis præcisè sumpta non arguit intrinsecam diuersitatem in actione amandi, diuinitùs saltem loquendo.

38 *Ad secundam probationem ex eodem num. 34.* Respond. Actio libera amandi vincit potestatem proximè expeditam ad omissionem amoris: eam autem inclinationem vincere est extrinsecum, & accidentarium ei actioni, quia extrinsecum ipsi est coniungi cum tali inclinatione cui resistat. Deinde nego consequentiam: cuius prima probatio non vrget. Nô enim necesse est, vt actio, quæ fit in præsentia contrarij renitentis sit essentialiter diuersa ab eâ, quæ fieret in absentia contrarij, Nam, agens calidum potest eâ virtutis intensione vigere, vt quemadmodum in hoc subiecto, absente contrario, celerrimè producit calorem, etiam præsente contrario in eodem subiecto, eâdemque velocitate calorem producat propter ingentissimum excessum suæ virtutis supra resistentiam passi. Si enim calidum, vt octo, v.g. congrediens cum frigido, vt duo potest illud exiguo tempore vincere, & in eodem frigido totam, vel ferè totam suam intensionem imprimere, cer-

te poterit eundem effectum præstare in instanti; ac proinde velocissimè calidum vt mille, vel vt centummille, vt in libris de generatione multi docent. Sicut ergo calidum ita intensum potest in eodem subiecto, & in eâdem duratione eundem effectum producere, præsente, & absente contrario, quid ni eadem actione?

39 Porrò, licet ad imprimendum calorem huic passo, quando adest contrarium resistens, maior virtus requiratur, quàm absente contrario, id nõ prouenit ex eo, quòd actio vincens de facto contrarium debeat esse intrinsecè diuersa ab actione, per quam de facto non vincitur contrarium, quod non præcessit vincendum; sed quia, resistente contrario, non debetur concursus ad productionem caloris nisi virtuti excedenti resistentiam illiûs; cum tamen, eo excessû deficiente, deberetur concursus, si contrarium etiam deficeret. ¶ Neque vrget secunda probatio eiusdem consequentiæ. Quia tametsi de facto diuersum conatum admoueamus ad vincendum aduersarium fortissimum, & ad vincendum debilem; eum tamen possumus adhibere conatum ad vincendũ debilem, qui de se sufficiat ad vincendum fortiorẽ. Vnde, contra aduersarios retorquetur ipsorum argumentum. Si enim vir fortissimus cum debilissimo manus conserat, potest fortissimus contra debilissimum eam vim admouere, vt conatû, quo illum vincit nunc, vinceret similiter, etsi nonnihil fortior fieret. At in primo casû robustissimi actio non esset impeditio in actû secundo, vt esset in secundo casû, illius actionis ad quam valeret debilis ille aduersarius nonnihil fortior effectus: potest igitur eadem actio iam in actu secundo impedire; iam non impedire actionẽ potentiæ contranitentis.

40 *Ad tertiam probationem ex num.* 35. resp. negato antecedente. Nam, quod liberè se determinet voluntas per actionem amandi potest ei actioni venire ex aliquibus sibi accessorijs, & ex ipsiûs naturâ non petitis; nempè, ex eo, quòd voluntas non prædeterminetur ad illam, habeatque potestatem suspensiuam ipsiûs. Neque probationes in contrarium *eo num.* positæ obstant. Nam, quòd voluntas potius se determinet liberè ad illam actionem, quàm alia comprincipia antecedenter indifferentia, vt eam actionem eliciant; vel non eliciant, in eo stat, iuxta *disp.* 15. *num.* 21. quòd voluntas imprædeterminata, propositis ipsi intellectualiter rationibus inuitan-

tantibus ad consensum, ac dissensum, ipsa consensus electione exerceat actionem consentiendi ex prædictis rationibus mota, potens conuersim ipsa dissensûs electione ponere actionem dissentiendi ex propositis rationibus. Cumque, nihil, vt putamus, conuincat, hæc omnia esse intrinseca actioni liberæ amãdi, non est vnde iudicetur impossibilis actio libera amãdi, quæ partim ab extrinseco sit libera. Quod si fingatur, vel indicetur possibile, duo agentia voluntaria, & impræ determinata, & ad oppositas actiones indifferentia concurrere concomitãter cum omnibus condicionibus nunc enumeratis, vt eadem volitione velint, tunc sanè vtrumque se determinabit liberè ad concursum vtriusque; neque potius alterum determinabit alterum, quàm conuersim. Pro cuius rei possibilitate legite, si placet, *disp. 10. de Prædest.*

41 *Ad confirmationem ex num. 46.* distinguatur antecedens hoc modo. Voluntas non determinaret suam libertatem propriè, &c. *ad amandum* nego antecedens: aliquando *ad ipsum se determinare liberè* sub hac expressa ratione, concedo antecedens. Ad probationem antecedentis, concessa maiore, distinguo minorem. Si actio amandi sit extrinsecè libera, conueniet illi casu, & per accidens determinare libertatem, ad amandum nego minorem: ad liberam sui determinationem sub hac expressa ratione, subdistinguo: si hæc ratio eueniat citra prçuisionem, & intentionem volentis concedo; si cum prçuisione, vel intentione nego. Deinde distinguendum est cõsequens, sicut primum antecedens. Itaque, quanuis actio amãdi sit extrinsecè libera, voluntas se determinat propriè, & formaliter ad amandum, quia ipsa indifferens ad amandum, & non amandum, & hinc inde incitata ad vtrunque, eligit sectati potius incitamenta ad amandum, quam ad oppositum, potens se habere conuersim. Cæterum, circa hanc expressam rationem se determinãdi partim completã ab extrinseco (idemq́ue est quanuis sit adæquatè intrinseca actioni amandi) potest bifariam se habere: aut eam exercens cum præuisione, quod sortietur rationem determinandi libertatem, & ex intentione vt hoc ita sit: & tunc ad ipsam expressam rationẽ determinationis se determinabit signatè; directè quidem si intendatur; indirectè verò si præcisè præuideatur; aut eam exercens, seclusis præuisione, & intentione: & tunc, siue libertas compleatur partim ab intrinseco, siue non, haud se determinabit

pro

propriè, & formaliter ad ipsam rationẽ expressam se determinandi. Vide *disp*. 15. *cap*. 5. *n*. 42. & 43.

42 Arguitur septimò. Actio libera est proximè impedibilis à voluntate. At, non esset proximè impedibilis à voluntate, nisi id haberet intrinsecè: ergo non est libera, nisi sit intrinsecè proximè impedibilis; ac proinde, nisi sit intrinsecè libera. Cætera patent præter minorem, quæ sic probatur. Si non sit intrinsecè proximè impedibilis; potentia proxima impeditiua ipsiûs non præcedet ad ipsam prioritate naturæ: non enim vllâ ratione conferet ad ipsiûs existentiam: & quod nullatenus est ratio existentiæ alteriûs, nullatenus præsupponitur ad ipsum ordine naturæ. At, potentia impeditiua, quæ non præcedit naturâ ad actionem, nequit actionem impedire: ergo si non sit intrinsecè proximè impedibilis, non erit impedibilis. Vltima minor probatur. Nam, influxus impeditiuus est à priori, sicut effectiuus. Sicut ergo, quod ad rem faciendã non præit, nõ est potestas rei effectiua; ita, quod ad rem impediendã nõ præit, non erit potestas rei impeditiua. Confirmatur *primò*. Quia subitæ cõplacentiæ sunt ex eo necessariæ, quia non præit ad illas potestas impeditiua ipsarum: ergo ad actionẽ non necessariã; sed liberam præire debet potestas impeditiua ipsiûs. *Secundò*. Actus, qui indifferens esset, vt vitaliter, & non vitaliter procederet à suo principio, nõ procederet vitaliter, si solùm prodiret à principio materialiter vitali; nõ verò ab illo, vt formaliter vitali: ergo, neque actio erit libera, si non procedat à volũtate formaliter, vt liberâ. At, eo ipso, quòd procedat à voluntate formaliter, vt liberâ, est actio formaliter libera, vt patet: ergo non est actio libera, nisi sit essentialiter libera.

43 *Tertiò*. Amare liberè non est præcisè amare existẽte potestate ad non amandum, quæ materialiter, & impertinẽter ad amorem se habeat: ergo est amare per amorẽ, vel actionem amandi præsupponentes essentialiter potestatem ad non amandum tanquam potestatem proximam impeditiuam. Hoc autem est amori, vel actioni amandi esse essentialem libertatem: ergo sine hac essentiali libertate non stat amare liberè. Probatur primum antecedens, quod solùm est difficilè. Nam, volũtas indifferens potest ab extrinseco determinari, vt amet: nempè, si Deus infundat illi amorem. Tunc autem non amat liberè, quia ad hunc modũ amandi materialiter, & impertinẽter se habet potestas ad nõ amãdũ. *Quartò tãdẽ*. Quia, si in actio-

ne liberâ non esset quædã specialitas intrinseca tendẽtiæ vitalis diuersissimá ab actione necessaria, posset brutũ naturaliter incapax agẽdi liberè eleuari diuinitus, vt liberè ageret; proindeque ad meritũ, & culpã. Hoc autem est absurdũ contra cõmune, verumque iudicium. Sequela probatur. Nam, potentiæ vitali dupliciter duntaxat repugnat eleuatio: vel ad attingẽdum obiectũ situm extra suã sphærã, quâ ratione oculus corporeus eleuari nequit ad percipiendũ Deũ; vel ad habendum modũ viuendi non cõnaturalẽ. At, bruto, v. g. non repugnat ex primâ radice eleuatio ad agendũ liberè. Nam, bona, & mala, circa quæ versatur appetitus bruti, sunt de se sufficientia, vt attingãtur liberè: ergo ea eleuatio repugnat ex secũdo capite, nimirũ, quia modus viuendi, & prosequendi, vel fugiendi obiecta liberè diuersitatem imbibit intrinsecam à modo viuendi necessario.

44 *Ad argumentũ* negatur minor. Ad probationẽ negatur similiter minor, *iuxta disp. 17.* nunc recognoscendã. Cuiûs secundæ minoris probationi dicatur, influxũ impeditiuũ transeat esse à priori, cõparatã causa impeditiuâ cum re, vt impeditâ; nõ verò est influxus à priori; imò nullus influxus est, comparatâ causâ impeditâ cum re, vt existẽte. Et ratio sumitur ex ipsis dictis arguentis, ex quo nõ influit à priori in alterum, nisi, quod est ratio, vt hoc alterũ sit. Causa autẽ huiûs alteriûs impeditiua, quatenus impeditiua, non est ratio, vt hoc alterũ sit; sed vt non sit: quamuis ergo cõparetur *à priori* cum *non esse* huiûs; non tamen cum *esse*. Negetur ergo causã impeditiuã actionis liberæ, quatenus impeditiuã, habere se à priori ad illiûs *esse*. Videantur multa ad rem *disp. 17.* ¶ *Ad primã confirm.* Subitæ cõplacentiæ non ideo sunt necessariæ, quia non præcurrit positiuè ad ipsas potestas impeditiua ipsarũ; sed quia in instanti, in quo necessariò insurgunt, non adsunt omnia constitutiua proximæ potestatis impeditiuæ illarũ. *Ad secũdã confir.* Trãseat antecedens, & negatur consecutio. Si enim antecedens est verum (de quo disputare nolo, ne omnia vbique misceantur) ideo est, quia nihil est, in quo stare posit talẽ actum vitaliter fieri, præscindendo ab eo, quòd vita, vt vita, in ipsum influat. Est autẽ, in quo stare posit actũ liberè fieri, præscindendo ab eo, quòd libertas, vt libertas, secundùm totum, quod claudit influat in ipsum. Quamuis enim, neque cogitatio ab ipso retrahens, neque carentia necessitatis antecedentis, vt existat, in-

fluant

fluant in ipsum, erit liber, si fiat à voluntate, quæ independentèr ab eo, quòd illum exerceat, sic se habeat, vt proximè possit ipsum impedire.

45 *Ad tertiam confir. ex num. 43.* resp. Amare liberè non importat præcisè voluntatem indifferentem ad amandum habere vtcumque amorem; sed voluntatem habentem proximam potestatem ad agendum, & suspendendum pro suo placito amorem, agere amorē pro suo placito, potentē similiter pro suo placito non agere, licet non se habeāt per se, & formaliter ad agendum pro placito cuncta constitutiua potestatis ad non agendum. Vnde, Deus nequit impedire, quòd amor fiat liberè à voluntate, seruatis eum fieri à volūtate, & hanc habere prædictas potestates, tametsi non omnia constitutiua potestatis proximæ ad non agendū se habeant per se, & formaliter ad agendum. Sicut nō posset voluntas creata præstare, quod ipsiûs actio procedat ab omnipotentiâ Dei; & tamen non procedat immediatè liberè, si aliunde essent ex parte omnipotentię omnia prærequisita ex parte actûs primi, vt talis actio procederet immediatè liberè ab ipsâ. ¶ *Ad quartam, & vltimā conf.* respondeo. Admitto neque bruta, neq; facultates appetitiuas materiales eleuari posse ad agendum liberè. Hoc tamen non ideo est, quia functioni viuēdi liberè sit essentialis libertas; sed quia viuere liberè dicit tendentiam reflexiuam ad proprios actus, & ad propriam substantiā; ideoque ad ea obiecta reflexè tacta, quæ ab appetitu materiali tangi non possunt. Qui enim liberè amat, non solùm prosequitur obiectum amatum; sed ita se exercet * Placet mihi amare * iuxta dicta *disp. 15. cap. 4. & 5.* Si autem brutum ita se exerceret * Placet mihi appetere * haberet pro obiecto reflexo suas appetitiones, & substātiam, & ideo attingeret obiecta sita extra suam sphæram.

CAP. V.

Comparantur actiones voluntatis extrinsecè liberæ cum suis durationibus.

46 DOctrina tradenda in præsenti capite idonea erit, vt planius reddatur, quod supra diximus; nempè, in exercitio, vel actione voluntatis liberâ durationē ipsius actionis imbibi. Pro planiori huius rei intelligentiâ, consideretur

Petrus amans necessariò Deum in hoc instanti A. Perseueret in amore Dei pro instanti B; ita tamen, vt hæc perseuerantia sit libera. In dubium vocamus, an duratio actionis amandi in instanti B. sit modus durationis consequens ad actionē amandi; atque adeo mediatè dūtaxat liber; an verò ita cōcomitans actionem amandi, vt non minus, quā ipsa sit immediatè liber. Hoc vltimū iam diu verius putaui olim cum doctissimis alijs ex nostris Theologis, & in eodē iudicio nunc libēter persisto. Pro cuius sententię clariori explicatione. *Statuo primò*. Exerceri liberè actionem amandi pro instanti B. aliquid aliud est, præter aggregatum constans ex actione amandi, quæ præextitit in instanti A. & libertatem in actū primo existentem in instanti B. Probatur. Nam, alioquin, eo ipso, quod futurū esset prædictum aggregatum, futurum etiam esset exerceri liberè talem actionē amandi pro instanti B. cum implicet esse futurū id, in quo aliquid consistit; non tamen esse futurū hoc aliquid. At, sequela falsa est: ergo & antecedens. Falsitas sequelæ probatur. Nam, si Deus ab æterno videat actionem amandi extituram pro instanti A dominiūque libertatis ad amandum, & suspendendum amorē esse futurū pro instanti B. tunc tamen nō se determinaturum ad actionem amandi; sed ad suspensionem amoris, videt Deus futurum esse in rebus totum illud aggregatum. At, non videt futurū esse in rebus exerceri liberè actionem amandi pro instanti B. ergo, non eo ipso, quòd futurum sit prædictum aggregatum, futurum etiam est exerceri libere talem actionem pro instanti B.

47. Vt æquiuocationes eorum recesentur, qui minus benè introspiciunt argumenti vires. Explicatur *primò*. Nam, vt implicat esse aliquid præsens; & non esse præsens id ipsum, ita esse aliquid futurum, & non esse futurum id ipsum. At, vt vidimus, non implicat esse futurum prædictum aggregatū, & nō esse futurum, quòd existat in instanti B. prædictum exercitium liberum: ergo hoc vltimum aliud est ab illo primo. *Secundò* sumo iterum aggregatum illud* Actio amandi aliquando existens, dominiumque libertatis existens in instanti B. * Nunc sic. Futurum esse hoc binarium est quid indifferens, vt eius partes futuræ sint, vel ordine durationis coniunctæ; vel ordine durationis distantes; [illegible]is enim ex his modis futuræ sin[illegible] [illegible]rit h[illegible] At, futurum esse do[illegible] [illegible]rcendum pro eodem instan-

instanti per actionem amandi, est quid non indifferens; sed penitùs determinatum, vt futurę sint ordine durationis cōiunctæ pro eodem instanti prædictum dominiū, & actio amandi: ergo aliud est prædictum aggregatum esse futurum; & esse futurum exerceri liberè pro instanti B. actionē amandi. *Tandem.* Prædictum binariū nihil imbibit intrinsecè, quod cum eo pugnet, quòd eius vnitates, quamuis existant in rebus, solùm existant temporaliter distantes: eiusque partes sunt actio amandi, dominiumque libertatis existens pro instāti B. At, dominiū libertatis existens in B. exerceri tunc liberè per actionem amandi, cū eo pugnat ex intrinsecis, quòd tale dominiū, & actio amandi, solùm existant temporaliter distando: ergo prædictū exerceri liberè; prædictumque binarium, aliud, & aliud sunt.

48 *Statuo secundò.* Quando voluntas elicit liberè actionem amandi pro instanti B. v.g. nullum est exercitium liberū, quod sit medium, in quo libera mediatè sit duratio pro instanti B. talis actionis amandi. Probatur. Nam, tale exercitium duo deberet sortiri, scilicet connexionem cum eâ duratione, & præcedentiam ad illam. Sicut actio exterior est mediatè libera in imperio efficaci ipsiùs, quia hoc imperiū, & ad ipsam antecedit, & cum eâ connectitur. At, nullū est exercitium liberū, quod ea duo sortiatur. Ergo. Minor probatur. Non enim est tale exercitium actio amandi secūdùm se indifferens, vt duret pro instanti B. & non pro isto; sed pro alio. Nam, actio amandi sic accepta non est connexa cum sui duratione pro B. Non aggregatum ex eiusmodi actione amandi, & dominio libertatis existente in instanti B. quia neque hoc binarium connexum est cum duratione talis actionis pro B. vt patet ex *n.* 46. *&* 47. Non denique eadē actio amandi, vt iam determinata ad existendum in instanti B. Habet enim huiusmodi determinationē formalissimè per durationem in B. ac proinde, vt sic determinata, non procedit; sed imbibit ipsam durationem B. Non est ergo libertatis exercitium, in quo sit mediatè libera talis duratio.

44 Ex quibus vltro descendit veritas nostræ sententię, nempè durationē actionis amandi esse immediatè liberā. Nam ea duratio libera est, ideoq; magis meretur, qui diutius durat in actione amandi honestè, quā minus durans. At, probatū est, [illegible] mediatè liberam: ergo immediate. Hinc fit, talē du[illegible] esse modum durationis subsequentē ad actionem

 aman-

amandi iam prius exercitam. Nam, alioquin ea duratio non esset immediatè libera. Fit secundò. Cum ad actionem amandi immediatè liberã nihil præcurrat connexũ cum ipsâ, non præcurret ad ipsam talis duratio ipsiûs actionis. Hinc tertiò. Talis duratio est concomitans ad talẽ actionẽ, quippè ad illã neque antecedens; nec subsequens est. Hinc quartò, mihi probabilius est, talem durationẽ idẽtificari realiter cum ipsâ actione amãdi, vt post Eminẽtiss. de Lugo multi iam putant. Tum, ne multiplicemus entitates absque necessitate. Tum, quia non videtur admittendum aliud esse exercitium immediatũ libertatis præter ipsos affectus, vel in facto esse, vel in fieri. Nam, cognitio dirigens ad exercitium libertatis, dirigere solùm videtur immediatè ad hoc, vt voluntas affectum expromat. Satius ergo est actionem amandi, & eius durationem identificare. Et sicut inconueniens non est singulis momentis variari durationes amoris; ita, & actiones. Omitto alia, quæ ad præsentem disput. necessaria non sunt.

Lugo.

DISPVT. DECIMANONA.

An sint possibiles actus creati intrinsecè, & essentialiter liberi.

DISCVSSA possibilitate exercitiorum libertatis, quibus libertas in actû secundò sit extrinseca, perpendendum restat, an possibilia quoque sint libertatis exercitia, quibus libertas in actû secundo sit intrinseca, & essentialis.

CAP. I.

Relatis Autorum placitis, quæ sunt falsa reijciuntur.

Aluar. Cornejo Zumel. Monte. Nauar. Nauar. Thomas. Lorca. Curiel.

1 POssibiles esse actus creatos intrinsecè liberos sentiũt quotquot opinantur non aliter, posse liberos esse, nisi vel ipsis, vel actionibus, quibus producuntur cõueniat intrinsecè libertas. Sic sentiunt Aluar. Cornejo. Zum. Montes. Nauar. Nauarret. Ioannes Thomasius. Lorca, Curiel, Franciscus Fœlix, & Granadus, quos referunt, & sequuntur Carmelitani Sal-

Salmātini 1.2. *tract.* 10. *disp.* 2. *dub.* 4. §. 1. *initio*. Adde P. Hurtado de Mendoza *disp.* 15. *de Anima sect.* 6. P. Lince. magna ex parte *in metaph, tract.* 9. *à cap.* 2. qui pro se referunt S. Th. Capreol. Fer. & Ricardū. In hâc tamen sententiâ varietas est. Nam, alij censent libertatē esse identificatam cum actû, vel saltem cum actione liberâ, adeò, vt saltem actio, quæ libera est, tam intimè secum habeat per identitatem coniunctam libertatem, vt non posſit aliter exiſtere, quam liberè. Ita cōmuniter illi ex noſtrâ Societate, qui huic ſentētiæ ſuffragantur, maximè plures RR. Alij putant, libertatē identificari quidē cum actû libero: potuiſſe tamen actum liberū fieri neceſſariò: quia, vt actus denominetur liber requiritur de connotato proxima poteſtas ex parte volūtatis, vt eum actum ponat, & cohibeat, quo deficiente connotato actus nō denominatur liber; ſed neceſſarius. Ita nonnulli RR. Demum, alij exiſtimant, libertatē in actû ſecundo, eſſe quidem intrinſecam exercitio libero; cōſiſtere tamen in modo quodam ſuperaddito impreſſo, & ex naturâ rei diſtincto ab actû libero. Ita ſentire videtur Fœlix, & Thomiſtæ in hoc n. cit. At, Carmelitani Salmanticenſes *ſup.* §. 3. licet hunc libertatis modum diſtinguant ex naturâ rei ab actû libero; identificare tamen videntur cum actione, per quā talis actus fit, dependet, & egreditur à principio libero.

Fœlix. *Granad.* *Carmel.* *Hurtad.* *Lincæu.* *S. Tho.* *Capreol.* *Ferrar.* *Ricard.*

2 *Aſſero primò*. Implicat carentias condiſtinctas ab omnibus poſitiuis eſſe liberas per modum ipſis intrinſecum, quo intrinſecè afficiantur. Quia nihil nullo poteſt intrinſecè affici. At, carentiæ à poſitiuis condiſtinctæ, quamuis ex ſiniſtro modo concipiendi inſtar entium intelligantur, certè tamen nihil ſunt: ergo nullo modo reali intrinſecùs ipſis impreſſo affici queunt. *Aſſero ſecundò*. Implicat carentias condiſtinctas ab omni poſitiuo eſſe per ſe ipſas nobis liberas: quia per ſe ipſas nihil habent intrinſecum deſignabile, ac monſtrabile, niſi velis ipſas ad entium poſitiuorum cœtum transferre. Vtque clarius ex metaphyſicis principijs idē inferatur. Noto, quod iam alibi obſeruaui, nempè nihil amplius deſiderari ad carentiam noſtrorum actuum, quam eos *non eſſe*: ſi enim ad eorum carentiam quidpiam aliud deſideratur præter ipſorum *non eſſe*, non percipio, quomodo ea, quam carentiam vocas, non ſit ens poſitiuum. Quid enim aliud eſt ens poſitiuum, niſi primas veritates velis tenebricoſis vocibus inuoluere, quàm quod aliud habet præter rem *non eſſe*? Iam infero. Ergo carētiæ meo-

rum actuum nihil aliud desiderant, quam meos actus non esse. At, si ego non sim, mei actus non sunt: ergo si ego non sim nihil deest ad carentiam eorum actuum. Si autem ea carentia se ipsa esset mihi libera, aliquid ad illam deesset, si ego non essem: nam in hoc euentu non esset in me libertas, quæ ad omne mihi liberum requiritur, vt patet, ergo puræ carentiæ nequeunt esse nobis se ipsis essentialiter liberæ.

3 *Assero tertiò*. Speciali ratione ex dictis infertur, carentiam actionis essentialiter Petro, v.g. liberæ, non posse esse essentialiter Petro liberam. Nam contingere posset, vt simul esset, & non esset carentia talis actionis essentialiter liberæ Petro. Probatur. Contingens est Petrum deesse, proindeque deesse proximam libertatem Petri ad talem actionem A. eiusque actionis carentiam. At, in eo casu esset, & non esset ista carentia: ergo contingens esset, esse simul, & non esse carentiam istã. *Esset* quidem in eo casu carentia ista. Quia casu, quo non esset Petrus non esset actio Petri. At, ex num. 2. non aliud requiritur ad carentiam actionis Petri, quàm hanc actionem non esse. Ergo in eo casu esset prædicta carentia. Rursus, *non esset*. Quia ea carentia, vt ponimus, est essentialiter libera Petro; At, nihil essentialiter liberum Petro potest esse casu, quo Petrus, Petrique libertas desit: ergo in eo casu prædicta carentia *non eßet*. Hæc satis de carentijs.

4 *Assero quartò*. Implicat, libertatẽ idẽtificari adæquatè cũ actû, vel actione libera; & aliũde ex solo defectû connotati tali actioni, vel actui extrinseci deesse libertatẽ eiûs actûs, vel actionis. Probatur. Implicat manifestè rem deficere solo deficiẽte; quod adæquatè distinguitur ab ipsâ re. Ac, si alijs terminis diceres. Implicat rẽ deficere nõ deficiẽte ipsâ; sed alio deficiẽte, quod omnino est aliud ab ipsâ: quo nihil clari⁹. At, per te, libertas in actû secũdo actionis liberæ idẽtificatur adęquatè cũ ipsâ; at verò libertas in actu primo est cõnotatũ extrinsecũ libertatis in actû secũdo, & ab hâc libertate in actû secũdo adæquatè distinctũ: ergo implicat libertatẽ in actu secũdo deesse *ex solo* defectû cõnotati tali libertati extrinseci, nempè libertatis in actû primo. Hanc Philosophiã similiũ cõnotationũ adeò lumini rationis cẽseo repugnantẽ, vt etiã in actib⁹ liberis Dei prorsus reijciẽdã censeã. De hoc videri poterit *trac. de Vol. Dei disp. 15. n. 35. & 36.* vbi breuiter detectæ, ac resecatæ sunt æquiuocationes aduersariorũ, necnõ mõstratũ, apta nõ esse exẽpla, quibus se protegunt.

5 *Asse-*

5 *Assero quintò.* Præter potestatem proximam voluntatis existentem in hoc instanti ad ponendum, & omittendum amorem, & præter actionem amandi exercitam in hoc instanti, non requiritur adhoc, vt amare sit liberum in actû secûdo, modus alius superadditus intrinsecè afficiens siue amorem ; siue actionem amandi. Non mihi satis compertum est, an aduersentur huic assertioni nonnulli ex Thomistis relatis num. 1. Quicquid ergo de hoc sit: Probatur assertio. *Primò.* Nam intellectis illis, quæ in assertione posuimus, eo modo præciso, intelligitur formalissimè amor procedens nunc à voluntate, quia includitur in his, quæ posuimus actio amandi in hoc instanti, & in eâ actione nunc exercitâ stat formalissimè procedere nunc amorem à voluntate. Deinde, in eisdem includitur, amorem esse impedibilem proximè à voluntate: in illis enim clauditur, voluntatem posse proximè impedire amorem, suntque prorsus idem; amorem esse proximè impedibilem à voluntate, & voluntatem posse proximè impedire amorem. At, amor sufficientissimè intelligitur liber, & à necessario condistinctus, quatenùs est à voluntate procedens tanquam proximè impedibilis ab ipsâ: ergo, præciso eo modo, amor est formalitèr liber.

6 *Secundò.* Modus iste liber est. Nam, eo ipso, quòd in manû voluntatis est ponere, & cohibere suum actum, in manû illiûs est, quòd resultet; vel non resultet modus, qui intrinsecè est affixus actui. Tunc sic, vel iste modus est mediatè liber; vel immediatè. Non mediatè. Tum propter dicta in simili de modo durationis *disput.* 18. *num.* 49. Tum, quia mediatè liberum supponit aliud exercitium libertatis constitutum in ratione immediatè liberi: ergo talis modus non constituit actum, ex quo prosilit, in ratione liberi; sed præconstitutum supponit. Deinde, talis modus non est immediatè liber: quia nô per modum alium superadditum, ne veniat idem argumentum, & infinita progressio. Non per coexistentiam cum principio indifferente ad ipsum, & eius carentiam: quia si hæc coexistentia sufficit constituere liberum in actû secundo prædictum modum; solida ratio non erit, cur similis coexistentia; præciso quolibet alio, non sufficiat constituere liberam actionem amãdi. Non demùm per prædicata identificata cum eo modo. Nam, similiter poterit libertas actionis amandi statui in prædicatis

prædicatis identificatis cum ipsâ, ideoque prædictus modus reijci tanquam superfluus. Legite, si placet P. Linc. sup. *cap. 6. num. 32.*

CAP. II.

Possibiles sunt actus, & actiones intrinsecè, & essentialiter liberæ.

7 **A***ssero sexto.* Non implicant contradictionem actus, & actiones voluntatis creatæ nobis liberæ intrinsece, & essentialiter, nempe, per prædicata secum identificata. Tum, quia in eis actibus, & actionibus non assignabitur contradictio, quæ non euanescat facile. Tum, quia sunt affectus eius naturæ, vt non solùm exerceant potestatem, & inclinationem ad ipsos; sed essentialiter resistant inclinationi ad oppositum, vt maxime cernere est in affectibus audaciæ: ergo possibiles erũt affectus voluntatis, qui ex proprijs prædicatis intrinsecis connotent essentialiter duplicem potestatem, & inclinationem: aliam ad ipsos, cui se accommodent; ad oppositum aliam, cui resistant. Affectus autem essentialiter connotantes ex parte voluntatis potestatem, & inclinationem ad ipsos, & ad oppositum sunt essentialiter liberi. Tum, quia terminatio libera Dei, per quam Deus decernit libere creaturas, est ex intrinsecis libera Deo, cum terminatio efficax Dei ad creaturas excludat ex intrinsecis esse Deo necessariam. Cur igitur implicet actus creatus liber intrinsece talis?

8 At, opponis. Implicat actum postulare potestatem proxime impeditiuam ipsiûs. At, actus essentialiter liber id postularet: ergo implicatorius est. Minor patet: quia, si actus est essentialiter liber, requirit essentialiter ad existẽdum, quod possit voluntas ipsum euitare. Vnumquodque autem postulat id, quod essentialiter requirit ad sui existentiam. Maior primi syllogismi probatur. Nam, quælibet res vehementer refugit suum non esse: ergo similiter refugiet proximum periculum, vt non sit, nempe potestatem proxime impeditiuam ipsiûs. Quomodo igitur hoc periculum adeo amat, vt neque diuinitus esse possit absque illo? Hoc argumentum infringitur. Tum in creaturis omnibus, quæ sunt intrinsecè contingentes, ac proinde requirunt in Deo potestatem, vt ipsas impediat.

Tum

Tum etiam in actibus liberis Dei, qui sunt essentialiter, quoad terminationem, liberi. Deinde resp. negatâ maiore. Ad probationem dicatur, vnumquodque suum *non esse* refugere prout congruit muneribus, quibus suapte natura fungitur, non verò supra quam eis muneribus congruat: hic enim appetitus, cum sit innatus, aptari debet naturæ appetentis. Cum igitur actus essentialiter liber fungatur suapte naturâ munere acquiescendi potestati, & inclinationi ad ipsum; simulque munere resistendi potestati, & inclinationi ad oppositum, nihil mirum, non refugere; sed requirere potestatem ad oppositum ipsiûs.

9 In gratiam meorum auditorum enixe cupientium solutionem cuiusdam paralogismi, quem olim disputandi gratiâ proponebam: Sic obijcio secundò. Si actus esset essentialiter liber, sequeretur deesse, eo ipso, quod deesse non posset. At, hoc est impossibile. Quid enim magis chymæricum, quàm hanc esse bonam consequentiam *: Non potest deesse ergo deest? * ergo etiam est impossibilis actus essentialiter liber. Maior probatur. Nam, si actus sit essentialiter liber, requisitum essentiale, vt sit, est posse deesse: ergo, si non potest deesse, deficit requisitum essentiale, vt sit. At, ipse deest, si deficit requisitum essentiale, vt sit: ergo si non potest deesse, deest. ¶ Ridendi quidem paralogismi sunt; simul tamen soluendi. Hic enim risus, vel irrisio haud semel est eum aduersarium dolose contemnere, quem superare nõ potes: quoddamque, ni fallor, ignorantiæ propriæ diuerticulum. In primis pluribus instantijs refringi posset obiectio. Sufficiat, quòd eodem argumento probari posset, nullam creaturam esse essentialiter contingentem, & impedibilem. Nam, si est essentialiter impedibilis, requisitum essentiale, vt sit, est posse deesse. Vnde, iam poterit contra creaturas omnes essentialiter impedibiles hoc argumentum fieri. Deinde peccatum, saltem formaliter, vt peccatum, est essentialiter impedibile. Proinde, iuxta propositum argumentum, si non posset deesse, deesset. Mitto plura.

10 Vt occurras expeditè arguendi formæ, prout maxime in paralogismis oportet. *Obserua primo.* (vt plene rem percipias. Dupliciter stat, actum creatum essentialiter nobis liberum *posse deficere*. Primò, *absolutè*. Secũdò, *pro dominio nostræ libertatis*. Vtrumque competit tali actui essentialiter. Conuenit essentialiter posse deficere absolute, quia essentialiter est

res

ne liberâ non esset quædã specialitas intrinseca tendẽtiæ vitalis diuersissima ab actione necessaria, posset brutũ naturaliter incapax agẽdi liberè eleuari diuinitus, vt liberè ageret; proindeque ad meritũ, & culpã. Hoc autem est absurdũ contra cõmune, verumque iudicium. Sequela probatur. Nam, potentiæ vitali dupliciter duntaxat repugnat eleuatio: vel ad attingẽdum obiectũ situm extra suã sphæram, quâ ratione oculus corporeus eleuari nequit ad percipiendũ Deũ; vel ad habendum modũ viuendi non cõnaturalẽ. At, bruto, v.g. non repugnat ex primâ radice eleuatio ad agendũ liberè; Nam, bona, & mala, circa quæ versatur appetitus bruti, sunt de se sufficientia, vt attingãtur liberè: ergo ea eleuatio repugnat ex secũdo capite, nimirũ, quia modus viuendi, & prosequendi, vel fugiendi obiecti liberè diuersitatem imbibit intrinsecam à modo viuendi necessario.

44 *Ad argumentũ* negatur minor. Ad probationẽ negatur similiter minor, *iuxta disp.* 17. nunc recognoscendã. Cuius secundæ minoris probationi dicatur, influxũ impeditiuũ transeat esse à priori, cõparatâ causa impeditiuâ cum re, vt impeditâ; nõ verò est influxus à priori; imò nullus influxus est, comparatâ causâ impeditâ cum re, vt existẽte. Et ratio sumitur ex ipsis dictis arguentis, ex quo nõ influit à priori in alterum, nisi, quod est ratio, vt hoc alterũ sit. Causa autẽ huius alterius impeditiua, quatenus impeditiua, non est ratio, vt hoc alterũ sit; sed vt non sit: quamuis ergo cõparetur *à priori* cum *non esse* huius; non tamen cum *esse*. Negetur ergo causã impeditiuã actionis liberæ, quaten⁹ impeditiuã, habere se à priori ad illius *esse*. Videantur multa ad rem *disp.* 17. ¶ *Ad primã confirm.* Subitæ cõplacentiæ non ideo sunt necessariæ, quia non præcurrit positiuè ad ipsas potestas impeditiua ipsarũ; sed quia in instanti, in quo necessariò insurgunt, non adsunt omnia constitutiua proximæ potestatis impeditiuæ illarũ. *Ad secũdã confir.* Trãseat antecedens, & negatur consecutio. Si enim antecedens est verum (de quo disputare nolo, ne omnia vbique misceantur) ideo est, quia nihil est, in quo stare possit talẽ actum vitaliter fieri, præscindendo ab eo, quòd vita, vt vita, in ipsum influat. Est autẽ, in quo stare possit actũ liberè fieri, præscindendo ab eo, quòd libertas, vt libertas, secundùm totum, quod claudit influat in ipsum. Quamuis enim, neque cogitatio ab ipso retrahens, neque carentia necessitatis antecedentis, vt existat, influant

stant in ipsum, erit liber, si fiat à voluntate, quæ independentèr ab eo, quòd illum exerceat, sic se habeat, vt proximè possit ipsum impedire.

45 *Ad tertiam confir. ex num. 43.* resp. Amare liberè non importat præcisè voluntatem indifferentem ad amandum habere vtcunque amorem; sed voluntatem habentem proximam potestatem ad agendum, & suspendendum pro suo placito amorem, agere amorē pro suo placito, potentē similiter pro suo placito non agere, licet non se habeāt per se, & formaliter ad agendum pro placito cuncta constitutiua potestatis ad non agendum. Vnde, Deus nequit impedire, quòd amor fiat liberè à voluntate, seruatis eum fieri à volūtate, & hanc habere prædictas potestates, tametsi non omnia constitutiua potestatis proximæ ad non agendū se habeant per se, & formaliter ad agendum. Sicut nō posset voluntas creata præstare, quod ipsiûs actio procedat ab omnipotentiâ Dei; & tamen non procedat immediatè liberè, si aliunde essent ex parte omnipotentię omnia prærequisita ex parte actûs primi, vt talis actio procederet immediatè liberè ab ipsâ. ¶ *Ad quartam, & vltimā conf.* respondeo. Admitto neque bruta, neq; facultates appetitiuas materiales eleuari posse ad agendum liberè. Hoc tamen non ideo est, quia functioni viuēdi liberè sit essentialis libertas; sed quia viuere liberè dicit tendentiam reflexiuam ad proprios actus, & ad propriam substantiā; ideoque ad ea obiecta reflexè tacta, quæ ab appetitu materiali tangi non possunt. Qui enim liberè amat, non solùm prosequitur obiectum amatum; sed ita se exercet * Placet mihi amare * iuxta dicta *disp. 15. cap. 4. & 5.* Si autem brutum ita se exerceret * Placet mihi appetetere * haberet pro obiecto reflexo suas appetitiones, & substātiam, & ideo attingeret obiecta sita extra suam sphæram.

CAP. V.

Comparantur actiones voluntatis extrinsecè liberæ cum suis durationibus.

46 DOctrina tradenda in præsenti capite idonea erit, vt planius reddatur, quod supra diximus; nempè, in exercitio, vel actione voluntatis liberâ durationē ipsius actionis imbibi. Pro planiori huius rei intelligentiâ, consideretur

Petrus amans necessariò Deum in hoc instanti A. Perseueret in amore Dei pro instanti B; ita tamen, vt hæc perseuerantia sit libera. In dubium vocamus, an duratio actionis amandi in instanti B. sit modus durationis consequens ad actionē amandi; atque adeo mediatè dūtaxat liber; an verò ita cōcomitans actionem amandi, vt non minus, quā ipsa sit immediatè liber? Hoc vltimū iam diu verius putaui olim cum doctissimis alijs ex nostris Theologis, & in eodē iudicio nunc libēter persisto. Pro cuius sententię clariori explicatione. *Statuo primò*. Exerceri liberè actionem amandi pro instanti B. aliquid aliud est, prater aggregatum constans ex actione amandi, quæ præextitit in instanti A. & libertatem in actū primo existentem in instanti B. Probatur. Nam, alioquin, eo ipso, quod futurū esset prædictum aggregatum, futurum etiam esset exerceri liberè talem actionē amandi pro instanti B. cum implicet esse futurū id, in quo aliquid consistit; non tamen esse futurū hoc aliquid. At, sequela falsa est; ergo & antecedens. Falsitas sequelæ probatur. Nam, si Deus ab æterno videat actionem amandi extituram pro instanti A dominiūque libertatis ad amandum, & suspendendum amorē esse futurū pro instanti B. tunc tamen nō se determinaturum ad actionem amandi; sed ad suspensionem amoris, videt Deus futurum esse in rebus totum illud aggregatum. At, non videt futurū esse in rebus exerceri liberè actionem amandi pro instanti B. ergo, non eo ipso, quòd futurum sit prædictum aggregatum, futurum etiam est exerceri libere talem actionem pro instanti B.

47. Vt æquiuocationes eorum recesentur, qui minus benè introspiciunt argumenti vires. Explicatur *primò*. Nam, vt implicat esse aliquid præsens; & non esse præsens id ipsum, ita esse aliquid futurum, & non esse futurum id ipsum. At, vt vidimus, non implicat esse futurum prædictum aggregatū, & nō esse futurum, quòd existat in instanti B. prædictum exercitium liberum: ergo hoc vltimum aliud est ab illo primo. *Secundò* sumo iterum aggregatum illud * Actio amandi aliquando existens, dominiumque libertatis existens in instanti B. * Nunc sic. Futurum esse hoc binarium est quid indifferens, vt eius partes futuræ sint, vel ordine durationis coniunctæ; vel ordine durationis distantes; quouis enim ex his modis futuræ sint, futurum erit binarium. At, futurum esse dominium libertatis pro instanti B. exercendum pro eodem instan-

instanti per actionem amandi, est quid non indifferens; sed penitùs determinatum, vt futurę sint ordine durationis cōiunctæ pro eodem instanti prædictum dominiū, & actio amandi: ergo aliud est prædictum aggregatum esse futurum; & esse futurum exerceri liberè pro instanti B. actionē amandi. *Tandem.* Prædictum binariū nihil imbibit intrinsecè, quod cum eo pugnet, quòd eius vnitates, quanuis existant in rebus, solùm existant temporaliter distantes: eiusque partes sunt actio amandi, dominiumque libertatis existens pro instāti B. At, dominiū libertatis existens in B. exerceri tunc liberè per actionem amandi, cū eo pugnat ex intrinsecis, quòd tale dominiū, & actio amandi, solúm existant temporaliter distando: ergo prædictū exerceri liberè; prædictumque binarium, aliud, & aliud sunt.

48 *Statuo secundò.* Quando volnntas elicit liberè actionem amandi pro instanti B. v.g. nullum est exercitium liberū, quod sit medium, in quo libera mediatè fit duratio pro instanti B. talis actionis amandi. Probatur. Nam, tale exercitium duo deberet sortiri, scilicet connexionem cum eâ duratione, & præcedentiam ad illam. Sicut actio exterior est mediatè libera in imperio efficaci ipsiûs, quia hoc imperiū, & ad ipsam antecedit, & cum eâ connectitur. At, nullū est exercitium liberū, quod ea duo sortiatur. Ergo. Minor probatur. Non enim est tale exercitium actio amandi secúdùm se indifferens, vt duret pro instanti B. & non pro isto; sed pro alio. Nam, actio amandi sic accepta non est connexa cum sui duratione pro B. Non aggregatum ex eiusmodi actione amandi, & dominio libertatis existente in instanti B. quia neque hoc binarium connexum est cum duratione talis actionis pro B. vt patet ex *n.* 46. & 47. Non denique eadē actio amandi, vt iam determinata ad existendum in instanti B. Habet enim huiusmodi determinationē formalissimè per durationem in B. ac proinde, vt sic determinata, non procedit; sed imbibit ipsam durationem B. Non est ergo libertatis exercitium, in quo sit mediatè libera talis duratio.

44 Ex quibus vltro descendit veritas nostræ sententię, nempè durationē actionis amandi esse immediatè liberâ. Nam ea duratio libera est, ideoq; magis meretur, qui diutius durat in actione amandi honestè, quā minus durans. At, probatū est, non esse mediatè liberam: ergo immediate. Hinc fit, talē durationem non esse modum durationis subsequentē ad actionem

amandi iam prius exercitam. Nam, alioquin ea duratio non esset immediatè libera. Fit secundò. Cum ad actionem amandi immediatè liberã nihil præcurrat connexũ cum ipsâ, non pręcurret ad ipsam talis duratio ipsiûs actionis. Hinc tertiò. Talis duratio est concomitans ad talẽ actionẽ, quippè ad illã neque antecedens; nec subsequens est. Hinc quartò, mihi probabilius est, talem durationẽ idẽtificari realiter cum ipsâ actione amãdi, vt post Eminẽtiss. de Lugo multi iam putant. Tum, ne multiplicemus entitates absque necessitate. Tum, quia non videtur admittendum aliud esse exercitium immediatũ libertatis præter ipsos affectus, vel in facto esse, vel in fieri. Nam, cognitio dirigens ad exercitium libertatis, dirigere solùm videtur immediatè ad hoc, vt voluntas affectum expromat. Satius ergo est actionem amandi, & eius durationem identificare. Et sicut inconueniens non est singulis momentis variari durationes amoris; ita, & actiones. Omitto alia, quæ ad præsentem disput. necessaria non sunt.

Lugo.

DISPVT. DECIMANONA.

An sint possibiles actus creati intrinsecè, & essentialiter liberi.

DISCVSSA possibilitate exercitiorum libertatis, quibus libertas in actû secundò sit extrinseca, perpendendum restat, an possibilia quoque sint libertatis exercitia, quibus libertas in actû secundo sit intrinseca, & essentialis.

CAP. I.

Relatis Autorum placitis, quæ sunt falsa reyciuntur.

Aluar. Cornejo Zumel. Monte. Nauar. Nauar. Thomas. Lorca. Curiel.

1 POssibiles esse actus creatos intrinsecè liberos sentiũt quotquot opinantur non aliter, posse liberos esse, nisi vel ipsis, vel actionibus, quibus producuntur cõueniat intrinsecè libertas. Sic sentiunt Aluar. Cornejo. Zum. Montes. Nauar. Nauarret. Ioannes Thomasius. Lorca, Curiel, Franciscus Fœlix, & Granadus, quos referunt, & sequuntur Carmelitani Sal-

Salmãtini 1.2.*tract*.10.*disp*.2.*dub*.4.§.1.*initio*. Adde P. Hurtado de Mendoza *disp*.15.*de Anima sect*.6. P Lince. magna ex parte *in metaph, tract*.9.*à cap*. 2. qui pro se referunt S. Th. Capreol. Fer. & Ricardũ. In hâc tamen sententiâ varietas est. Nam, alij censent libertatẽ esse identificatam cum actû, vel saltem cum actione liberâ, adeò, vt saltem actio, quæ libera est, tam intimè secum habeat per identitatem coniunctam libertatem, vt non posit aliter exiſtere, quam liberè. Ita cõmuniter illi ex noſtrâ Societate, qui huic sentẽtiæ suffragantur, maximè plures RR. Alij putant, libertatẽ identificari quidẽ cum actû libero: potuiſſe tamen actum liberũ fieri neceſſariò: quia, vt actus denominetur liber requiritur de connotato proxima poteſtas ex parte volũtatis, vt eum actum ponat, & cohibeat, quo deficiente connotato actus nõ denominatur liber; sed neceſſarius. Ita nonnulli RR. Demum, alij exiſtimant, libertatẽ in actû secundo, eſſe quidem intrinsecam exercitio libero; cõsiſtere tamen in modo quodam superaddito impreſſo, & ex naturâ rei diſtincto ab actû libero. Ita sentire videtur Fœlix, & Thomiſtæ in hoc n. cit. At, Carmelitani Salmanticenses *sup*. §. 3. licet hunc libertatis modum diſtinguant ex naturâ rei ab actû libero; identificare tamen videntur cum actione, per quã talis actus fit, dependet, & egreditur à principio libero.

Fælix. *Granad* *Carmel.* *Hurtad.* *Lincæu.* *S. Tho.* *Capreol.* *Ferrar.* *Ricard.*

2 *Aſſero primò*. Implicat carentias condiſtinctas ab omnibus poſitiuis eſſe liberas per modum ipſis intrinſecum, quo intrinsecè afficiantur. Quia nihil nullo poteſt intrinsecè affici. At, carentiæ à poſitiuis condiſtinctæ, quamuis ex ſiniſtro modo concipiendi inſtar entium intelligantur, certè tamen nihil ſunt: ergo nullo modo reali intrinſecùs ipſis impreſſo affici queunt. *Aſſero secundò*. Implicat carentias condiſtinctas ab omni poſitiuo eſſe per ſe ipſas nobis liberas: quia per ſe ipſas nihil habent intrinſecum deſignabile, ac monſtrabile, niſi velis ipſas ad entium poſitiuorum cœtum transferre. Vtque clarius ex metaphyſicis principijs idẽ inferatur. Noto, quod iam alibi obſeruaui, nempè nihil amplius deſiderari ad carentiam noſtrorum actuum, quam eos *non eſſe*: ſi enim ad eorum carentiam quidpiam aliud deſideratur præter ipſorum *non eſſe*, non percipio, quomodo ea, quam carentiam vocas, non ſit ens poſitiuum. Quid enim aliud eſt ens poſitiuum, niſi primas veritates velis tenebricoſis vocibus inuoluere, quàm quod aliud habet præter rem *non eſſe*? Iam infero. Ergo carẽtiæ meo-

rum actuum nihil aliud desiderant, quam meos actus non esse. At, si ego non sim, mei actus non sunt: ergo si ego non sim nihil deest ad carentiam eorum actuum. Si autem ea carentia se ipsa esset mihi libera, aliquid ad illam deesset, si ego non essem: nam in hoc euentu non esset in me libertas, quæ ad omne mihi liberum requiritur, vt patet, ergo puræ carentiæ nequeunt esse nobis se ipsis essentialiter liberæ.

3 *Assero tertiò*. Speciali ratione ex dictis infertur, carentiam actionis essentialiter Petro, v.g. liberæ, non posse esse essentialiter Petro liberam. Nam contingere posset, vt simul esset, & non esset carentia talis actionis essentialiter liberæ Petro. Probatur. Contingens est Petrum deesse, proindeque deesse proximam libertatem Petri ad talem actionem A. eiusque actionis carentiam. At, in eo casu esset, & non esset ista carentia: ergo contingens esset, esse simul, & non esse carentiam istã. *Esset* quidem in eo casu carentia ista. Quia casu, quo non esset Petrus non esset actio Petri. At, ex num. 2. non aliud requiritur ad carentiam actionis Petri, quàm hanc actionem non esse. Ergo in eo casu esset prædicta carentia. Rursus, *non esset*. Quia ea carentia, vt ponimus, est essentialiter libera Petro; At, nihil essentialiter liberum Petro potest esse casu, quo Petrus, Petrique libertas desit: ergo in eo casu prædicta carentia *non eßet*. Hæc satis de carentijs.

4 *Assero quartò*. Implicat, libertatẽ idẽtificari adæquatè cũ actû, vel actione libera; & aliũde ex solo defectû connotati tali actioni, vel actui extrinseci deesse libertatẽ eiûs actûs, vel actionis. Probatur. Implicat manifestè rem deficere solo deficiẽte; quod adæquatè distinguitur ab ipsâ re. Ac, si alijs termi nis diceres. Implicat rẽ deficere nõ deficiẽte ipsâ; sed alio deficiẽte, quod omnino est aliud ab ipsâ: quo nihil clari⁹. At, per te, libertas in actû secũdo actionis liberæ idẽtificatur adęquatè cũ ipsâ; at verò libertas in actu primo est cõnotatũ extrinsecũ libertatis in actû secũdo, & ab hâc libertate in actû secũdo adæquatè distinctũ: ergo implicat libertatẽ in actu secũdo deesse *ex solo* defectû cõnotati tali libertati extrinseci, nempè libertatis in actû primo. Hanc Philosophiã similiũ cõnotatiõnũ adeò lumini rationis cẽseo repugnantẽ, vt etiã in actib⁹ liberis Dei prorsus reijciẽdã censeã. De hoc videri poterit *trac. de Vol. Dei disp. 15. n. 35. & 36.* vbi breuiter detectæ, ac resecatæ sunt æquiuocationes aduersariorũ, necnõ mõstratũ, apta nõ esse exẽpla, quibus se protegunt.

5 *Asse-*

5 *Assero quintò*. Præter potestatem proximam voluntatis existentem in hoc instanti ad ponendum, & omittendum amorem, & præter actionem amandi exercitam in hoc instanti, non requiritur adhoc, vt amare sit liberum in actû secũdo, modus alius superadditus intrinsecè afficiens siue amorem; siue actionem amandi. Non mihi satis compertum est, an aduersentur huic assertioni nonnulli ex Thomistis relatis num. 1. Quicquid ergo de hoc sit: Probatur assertio. *Primò*. Nam intellectis illis, quæ in assertione posuimus, eo modo præciso, intelligitur formalissimè amor procedens nunc à voluntate; quia includitur in his, quæ posuimus actio amandi in hoc instanti, & in eâ actione nunc exercitâ stat formalissimè procedere nunc amorem à voluntate. Deinde, in eisdem includitur, amorem esse impedibilem proximè à voluntate: in illis enim clauditur, voluntatem posse proximè impedire amorem, suntque prorsus idem; amorem esse proximè impedibilem à voluntate, & voluntatem posse proximè impedire amorem. At, amor sufficientissimè intelligitur liber, & à necessario condistinctus, quatenùs est à voluntate procedens tanquam proximè impedibilis ab ipsâ: ergo, præciso eo modo, amor est formaliter liber.

6 *Secundò*. Modus iste liber est. Nam, eo ipso, quòd in manû voluntatis est ponere, & cohibere suum actum, in manû illiûs est, quòd resultet; vel non resultet modus, qui intrinsecè est affixus actui. Tunc sic, vel iste modus est mediatè liber; vel immediatè. Non mediatè. Tum propter dicta in simili de modo durationis *disput. 18. num. 49*. Tum, quia mediatè liberum supponit aliud exercitium libertatis constitutum in ratione immediatè liberi: ergo talis modus non constituit actum, ex quo prosilit, in ratione liberi; sed præconstitutum supponit. Deinde, talis modus non est immediatè liber: quia nõ per modum alium superadditum, ne veniat idem argumentum, & infinita progressio. Non per coexistentiam cum principio indifferente ad ipsum, & eius carentiam: quia si hæc coexistentia sufficit constituere liberum in actû secundo prædictum modum; solida ratio non erit, cur similis coexistentia; præciso quolibet alio, non sufficiat constituere liberam actionem amãdi. Non demùm per prædicata identificata cum eo modo. Nam, similiter poterit libertas actionis amandi statui in prædicatis

rum actuum nihil aliud desiderant, quam meos actus non esse. At, si ego non sim, mei actus non sunt: ergo si ego non sim nihil deest ad carentiam eorum actuum. Si autem ea carentia se ipsa esset mihi libera, aliquid ad illam deesset, si ego non essem: nam in hoc euentu non esset in me libertas, quæ ad omne mihi liberum requiritur, vt patet, ergo puræ carentiæ nequeunt esse nobis se ipsis essentialirer liberæ.

3 *Assero tertiò*. Speciali ratione ex dictis infertur, carentiam actionis essentialiter Petro, v.g. liberæ, non posse esse essentialiter Petro liberam. Nam contingere posset, vt simul esset, & non esset carentia talis actionis essentialiter liberæ Petro. Probatur. Contingens est Petrum deesse, proindeque deesse proximam liberratem Petri ad talem actionem A. eiusque actionis carenriam. At, in eo casu esset, & non esset ista carentia: ergo contingens esset, esse simul, & non esse carentiam istã. *Esset* quidem in eo casu carentia ista. Quia casu, quo non esset Petrus non esset actio Petri. At, ex num. 2. non aliud requiritur ad carentiam actionis Petri, quàm hanc actionem non esse. Ergo in eo casu esset prædicta carentia. Rursus, *non esset*: Quia ea carentia, vt ponimus, est essentialiter libera Petro. At, nihil essentialiter liberum Petro potest esse casu, quo Petrus, Petrique libertas desit: ergo in eo casu prædicta carentia *non esset*. Hæc satis de carentijs.

4 *Assero quartò*. Implicat, libertatẽ idẽtificari adæquatè cũ actũ, vel actione libera; & aliũde ex solo defectũ connotati tali actioni, vel actui extrinseci deesse libertatẽ eiũs actũs, vel actionis. Probatur. Implicat manifestè rem deficere solo deficiẽte; quod adæquatè distinguitur ab ipsâ re. At, si alijs terminis diceres. Implicat rẽ deficere nõ deficiẽte ipsâ; sed alio deficiẽte, quod omnino est aliud ab ipsâ: quo nihil clari⁹. At, per te, libertas in actũ secũdo actionis liberæ idẽtificatur adęquatè cũ ipsâ; at verò libertas in actu primo est cõnotatũ extrinsecũ libertatis in actũ secũdo, & ab hâc libertate in actũ secũdo adæquatè distinctũ: ergo implicat libertatẽ in actu secũdo deesse *ex solo* defectũ cõnotati tali libertati extrinseci, nempè libertatis in actũ primo. Hanc Philosophiã similiũ cõnotationũ adeò lumini rationis cẽseo repugnantẽ, vt etiã in actib⁹ liberis Dei prorsus reijciẽdã censeã. De hoc videri poterit *trac. de Vol. Dei disp. 15. n. 35. & 36.* vbi breuiter detectæ, ac resecatæ sunt æquiuocationes aduersariorũ, necnõ mõstratũ, apta nõ esse exẽpla, quibus se protegunt.

5 *Asse-*

5 *Assero quintò*. Præter potestatem proximam voluntatis existentem in hoc instanti ad ponendum, & omittendum amorem, & præter actionem amandi exercitam in hoc instanti, non requiritur adhoc, vt amare sit liberum in actû secũdo, modus alius superadditus intrinsecè afficiens siue amorem; siue actionem amandi. Non mihi satis compertum est, an aduersentur huic assertioni nonnulli ex Thomistis relatis num. 1. Quicquid ergo de hoc sit: Probatur assertio. *Primò*. Nam intellectis illis, quæ in assertione posuimus, eo modo præciso, intelligitur formalissimè amor procedens nunc à voluntate, quia includitur in his, quæ posuimus actio amandi in hoc instanti, & in eâ actione nunc exercitâ stat formalissimè procedere nunc amorem à voluntate. Deinde, in eisdem includitur, amorem esse impedibilem proximè à voluntate: in illis enim clauditur, voluntatem posse proximè impedire amorem, suntque prorsus idem; amorem esse proximè impedibilem à voluntate, & voluntatem posse proximè impedire amorem. At, amor sufficientissimè intelligitur liber, & à necessario condistinctus, quatenùs est à voluntate procedens tanquam proximè impedibilis ab ipsâ: ergo, præciso eo modo, amor est formaliter liber.

6 *Secundò*. Modus iste liber est. Nam, eo ipso, quòd in manû voluntatis est ponere, & cohibere suum actum, in manû illiûs est, quòd resultet; vel non resultet modus, qui intrinsecè est affixus actui. Tunc sic, vel iste modus est mediatè liber; vel immediatè. Non mediatè. Tum propter dicta in simili de modo durationis *disput*. 18. *num*. 49. Tum, quia mediatè liberum supponit aliud exercitium libertatis constitutum in ratione immediatè liberi: ergo talis modus non constituit actum, ex quo prosilit, in ratione liberi; sed præconstitutum supponit. Deinde, talis modus non est immediatè liber: quia nõ per modum alium superadditum, ne veniat idem argumentum, & infinita progressio. Non per coexistentiam cum principio indifferente ad ipsum, & eius carentiam: quia si hæc coexistentia sufficit constituere liberum in actû secundo prædictum modum; solida ratio non erit, cur similis coexistentia; præciso quolibet alio, non sufficiat constituere liberam actionem amãdi. Non demùm per prædicata identificata cum eo modo. Nam, similiter poterit libertas actionis amandi statui in prædicatis

rum actuum nihil aliud desiderant, quam meos actus non esse. At, si ego non sim, mei actus non sunt: ergo si ego non sim nihil deest ad carentiam eorum actuum. Si autem ea carentia se ipsa esset mihi libera, aliquid ad illam deesset, si ego non essem: nam in hoc euentu non esset in me libertas, quæ ad omne mihi liberum requiritur, vt patet; ergo puræ carentiæ nequeunt esse nobis se ipsis essentialirer liberæ.

3 *Assero tertiò*. Speciali ratione ex dictis infertur, carentiam actionis essentialiter Petro, v.g. liberæ, non posse esse essentialiter Petro liberam. Nam contingere posset, vt simul esset, & non esset carentia talis actionis essentialiter liberæ Petro. Probatur. Contingens est Petrum deesse, proindeque deesse proximam libertatem Petri ad talem actionem A. eiusque actionis carenriam. At, in eo casu esset, & non esset ista carentia: ergo contingens esset, esse simul, & non esse carentiam istã. *Esset* quidem in eo casu carentia ista. Quia casu, quo non esset Petrus non esset actio Petri. At, ex num. 2. non aliud requiritur ad carentiam actionis Petri, quàm hanc actionem non esse. Ergo in eo casu esset prædicta carentia. Rursus, *non esset*. Quia ea carentia, vt ponimus, est essentialiter libera Petro; At, nihil essentialiter liberum Petro potest esse casu, quo Petrus, Petrique libertas desit: ergo in eo casu prædicta carentia *non esset*. Hæc satis de carentijs.

4 *Assero quartò*. Implicat, libertatẽ idẽtificari adæquatè cũ actû, vel actione libera; & aliũde ex solo defectû connotati tali actioni, vel actui extrinseci deesse libertatẽ eiûs actûs, vel actionis. Probatur. Implicat manifestè rem deficere solo deficiẽte; quod adæquatè distinguitur ab ipsâ re. At, si alijs terminis diceres. Implicat rẽ deficere nõ deficiẽte ipsâ; sed alio deficiẽte, quod omnino est aliud ab ipsâ: quo nihil clari⁹. At, per te, libertas in actû secũdo actionis liberæ idẽtificatur adęquatè cũ ipsâ; at verò libertas in actu primo est cõnotatũ extrinsecũ libertatis in actû secũdo, & ab hâc libertate in actû secũdo adæquatè distinctũ: ergo implicat libertatẽ in actu secũdo deesse *ex solo* defectû cõnotati tali libertati extrinseci, nempè libertatis in actû primo. Hanc Philosophiã similiũ cõnotatiõnũ adeò lumini rationis cẽseo repugnantẽ, vt etiã in actib⁹ liberis Dei prorsus reijciẽdã censeã. De hoc videri poterit *trac. de Vol. Dei disp. 15. n. 35. & 36.* vbi breuiter detectæ, ac resecatæ sunt æquiuocationes aduersariorũ, necnõ mõstratũ, apta nõ esse exẽpla, quibus se protegunt.

5 *Asse-*

5 *Assero quintò*. Præter potestatem proximam voluntatis existentem in hoc instanti ad ponendum, & omittendum amorem, & præter actionem amandi exercitam in hoc instanti, non requiritur adhoc, vt amare sit liberum in actû secũdo, modus alius superadditus intrinsecè afficiens siue amorem; siue actionem amandi. Non mihi satis compertum est, an aduersentur huic assertioni nonnulli ex Thomistis relatis num. 1. Quicquid ergo de hoc sit: Probatur assertio. *Primò*. Nam intellectis illis, quæ in assertione posuimus, eo modo præciso, intelligitur formalissimè amor procedens nunc à voluntate; quia includitur in his, quæ posuimus actio amandi in hoc instanti, & in eâ actione nunc exercitâ stat formalissimè procedere nunc amorem à voluntate. Deinde, in eisdem includitur, amorem esse impedibilem proximè à voluntate: in illis enim clauditur, voluntatem posse proximè impedire amorem, suntque prorsus idem; amorem esse proximè impedibilem à voluntate, & voluntatem posse proximè impedire amorem. At, amor sufficientissimè intelligitur liber, & à necessario condistinctus, quatenùs est à voluntate procedens tanquam proximè impedibilis ab ipsâ: ergo, præciso eo modo, amor est formaliter liber.

6 *Secundò*. Modus iste liber est. Nam, eo ipso, quòd in manû voluntatis est ponere, & cohibere suum actum, in manû illiûs est, quòd resultet; vel non resultet modus, qui intrinsecè est affixus actui. Tunc sic, vel iste modus est mediatè liber; vel immediatè. Non mediatè. Tum propter dicta in simili de modo durationis *disput*. 18. *num*. 49. Tum, quia mediatè liberum supponit aliud exercitium libertatis constitutum in ratione immediatè liberi: ergo talis modus non constituit actum, ex quo prosilit, in ratione liberi; sed præconstitutum supponit. Deinde, talis modus non est immediatè liber: quia nõ per modum alium superadditum, ne veniat idem argumentum, & infinita progressio. Non per coexistentiam cum principio indifferente ad ipsum, & eius carentiam: quia si hæc coexistentia sufficit constituere liberum in actû secundo prædictum modum; solida ratio non erit, cur similis coexistentia; præciso quolibet alio, non sufficiat constituere liberam actionem amãdi. Non demùm per prædicata identificata cum eo modo. Nam, similiter poterit libertas actionis amandi statui in prædicatis

rum actuum nihil aliud desiderant, quam meos actus non esse. At, si ego non sim, mei actus non sunt: ergo si ego non sim nihil deest ad carentiam eorum actuum. Si autem ea carentia se ipsa esset mihi libera, aliquid ad illam deesset, si ego non essem: nam in hoc euentu non esset in me libertas, quæ ad omne mihi liberum requiritur, vt patet, ergo puræ carentiæ nequeunt esse nobis se ipsis essentialiter liberæ.

3 *Assero tertiò*. Speciali ratione ex dictis infertur, carentiam actionis essentialiter Petro, v.g. liberæ, non posse esse essentialiter Petro liberam. Nam contingere posset, vt simul esset, & non esset carentia talis actionis essentialiter liberæ Petro. Probatur. Contingens est Petrum deesse, proindeque deesse proximam libertatem Petri ad talem actionem A. eiusque actionis carentiam. At, in eo casu esset, & non esset ista carentia: ergo contingens esset, esse simul, & non esse carentiam istã. *Esset* quidem in eo casu carentia ista. Quia casu, quo non esset Petrus non esset actio Petri. At, ex num. 2. non aliud requiritur ad carentiam actionis Petri, quàm hanc actionem non esse. Ergo in eo casu esset prædicta carentia. Rursus, *non esset*. Quia ea carentia, vt ponimus, est essentialiter libera Petro; At, nihil essentialiter liberum Petro potest esse casu, quo Petrus, Petrique libertas desit: ergo in eo casu prædicta carentia *non esset*. Hæc satis de carentijs.

4 *Assero quartò*. Implicat, libertatẽ idẽtificari adæquatè cũ actû, vel actione libera; & aliũde ex solo defectû connotati tali actioni, vel actui extrinseci deesse libertatẽ eiûs actûs, vel actionis. Probatur. Implicat manifestè rem deficere solo deficiẽte; quod adæquatè distinguitur ab ipsâ re. Ac, si alijs terminis diceres. Implicat rẽ deficere nõ deficiẽte ipsâ; sed alio deficiẽte, quod omnino est aliud ab ipsâ: quo nihil clarius. At, per te, libertas in actû secũdo actionis liberæ idẽtificatur adęquatè cũ ipsâ; at verò libertas in actu primo est cõnotatũ extrinsecũ libertatis in actû secũdo, & ab hâc libertate in actû secũdo adæquatè distinctũ: ergo implicat libertatẽ in actu secũdo deesse *ex solo* defectû cõnotati tali libertati extrinseci, nempè libertatis in actû primo. Hanc Philosophiã similiũ cõnotationũ adeò lumini rationis cẽseo repugnantẽ, vt etiã in actibus liberis Dei prorsus reijciẽdã censeã. De hoc videri poterit *trac. de Vol. Dei disp. 15. n. 35. & 36.* vbi breuiter detectæ, ac resecatæ sunt æquiuocationes aduersariorũ, necnõ mõstratũ, apta nõ esse exẽpla, quibus se protegunt.

5 *Asse-*

5 *Assero quintò*. Præter potestatem proximam voluntatis existentem in hoc instanti ad ponendum, & omittendum amorem, & præter actionem amandi exercitam in hoc instanti, non requiritur adhoc, vt amare sit liberum in actû secũdo, modus alius superadditus intrinsecè afficiens siue amorem; siue actionem amandi. Non mihi satis compertum est, an aduersentur huic assertioni nonnulli ex Thomistis relatis num. 1. Quicquid ergo de hoc sit: Probatur assertio. *Primò*. Nam intellectis illis, quæ in assertione posuimus, eo modo præciso, intelligitur formalissimè amor procedens nunc à voluntate, quia includitur in his, quæ posuimus actio amandi in hoc instanti, & in eâ actione nunc exercitâ stat formalissimè procedere nunc amorem à voluntate. Deinde, in eisdem includitur, amorem esse impedibilem proximè à voluntate:, in illis enim clauditur, voluntatem posse proximè impedire amorem, suntque prorsus idem; amorem esse proximè impedibilem à voluntate, & voluntatem posse proximè impedire amorem. At, amor sufficientissimè intelligitur liber, & à necessario condistinctus, quatenùs est à voluntate procedens tanquam proximè impedibilis ab ipsâ: ergo, præciso eo modo, amor est formalitèr liber.

6 *Secundò*. Modus iste liber est. Nam, eo ipso, quòd in manû voluntatis est ponere, & cohibere suum actum, in manû illiûs est, quòd resultet; vel non resultet modus, qui intrinsecè est affixus actui. Tunc sic, vel iste modus est mediatè liber; vel immediatè. Non mediatè. Tum propter dicta in simili de modo durationis *disput*. 18. *num*. 49. Tum, quia mediatè liberum supponit aliud exercitium libertatis constitutum in ratione immediatè liberi: ergo talis modus non constituit actum, ex quo prosilit, in ratione liberi; sed præconstitutum supponit. Deinde, talis modus non est immediatè liber: quia nõ per modum alium superadditum, ne veniat idem argumentum, & infinita progressio. Non per coexistentiam cum principio indifferente ad ipsum, & eius carentiam: quia si hæc coexistentia sufficit constituere liberum in actû secundo prædictum modum; solida ratio non erit, cur similis coexistentia; præciso quolibet alio, non sufficiat constituere liberam actionem amãdi. Non demùm per prædicata identificata cum eo modo. Nam, similiter poterit libertas actionis amandi statui in prædicatis

amandi iam prius exercitam. Nam, alioquin ea duratio non esset immediatè libera. Fit secundò. Cum ad actionem amandi immediatè liberã nihil præcurrat connexũ cum ipsâ, non præcurret ad ipsam talis duratio ipsiûs actionis. Hinc tertiò. Talis duratio est concomitans ad talẽ actionẽ, quippè ad illã neque antecedens; nec subsequens est. Hinc quartò, mihi probabilius est, talem durationẽ idẽtificari realiter cum ipsâ actione amãdi, vt post Eminẽtiss. de Lugo multi iam putant. Tum, ne multiplicemus entitates absque necessitate. Tum, quia non videtur admittendum aliud esse exercitium immediatũ libertatis præter ipsos affectus, vel in facto esse, vel in fieri. Nam, cognitio dirigens ad exercitium libertatis, dirigere solùm videtur immediatè ad hoc, vt voluntas affectum expromat. Satius ergo est actionem amandi, & eius durationem identificare. Et sicut inconueniens non est singulis momentis variari durationes amoris; ita, & actiones. Omitto alia, quæ ad præsentem disput. necessaria non sunt.

Lugo.

DISPVT. DECIMANONA.

An sint possibiles actus creati intrinsecè, & essentialiter liberi.

DISCVSSA possibilitate exercitiorum libertatis, quibus libertas in actû secundò sit extrinseca, perpendendum restat, an possibilia quoque sint libertatis exercitia, quibus libertas in actû secundo sit intrinseca, & essentialis.

CAP. I.

Relatis Autorum placitis, quæ sunt falsa reÿciuntur.

Aluar. Cornejo Zumel. Monte. Nauar. Nauar. Thomas. Lorca. Curiel.

1 POssibiles esse actus creatos intrinsecè liberos sentiũt quotquot opinantur non aliter, posse liberos esse, nisi vel ipsis, vel actionibus, quibus producuntur cõueniat intrinsecè libertas. Sic sentiunt Aluar. Cornejo. Zum. Montes. Nauar. Nauarret. Ioannes Thomasius. Lorca, Curiel, Franciscus Fœlix, & Granadus, quos referunt, & sequuntur Carmelitani

Sal-

Salmãtini 1.2.*tract*.10.*disp*.2.*dub*.4.§.1.*initio*. Adde P. Hurtado de Mendoza *disp*.15.*de Anima sect*.6. P Lince. magna ex parte *in metaph, tract*.9.*à cap*. 2. qui pro se referunt S. Th. Capreol. Fer. & Ricardũ. In hâc tamen sententiâ varietas est. Nam, alij censent libertatẽ esse identificatam cum actû, vel saltem cum actione liberâ, adeò, vt saltem actio, quæ libera est, tam intimè secum habeat per identitatem coniunctam libertatem, vt non posśit aliter existere, quam liberè. Ita cõmuniter illi ex nostrâ Societate, qui huic sentẽtiæ suffragantur, maximè plures RR. Alij putant, libertatẽ identificari quidẽ cum actû libero: potuisse tamen actum liberũ fieri necessariò: quia, vt actus denominetur liber requiritur de connotato proxima potestas ex parte volũtatis, vt eum actum ponat, & cohibeat, quo deficiente connotato actus nõ denominatur liber; sed necessarius. Ita nonnulli RR. Demum, alij existimant, libertatẽ in actû secundo, esse quidem intrinsecam exercitio libero; cõsistere tamen in modo quodam superaddito impresso, & ex naturâ rei distincto ab actû libero. Ita sentire videtur Fœlix, & Thomistæ in hoc n. cit. At, Carmelitani Salmanticenses *sup*. §. 3. licet hunc libertatis modum distinguant ex naturâ rei ab actû libero; identificare tamen videntur cum actione, per quã talis actus fit, dependet, & egreditur à principio libero.

Fœlix.
Granad
Carmel.
Hurtad.
Lincãu.
S. Tho.
Capreol.
Ferrar.
Ricard.

2 *Assero primò*. Implicat carentias condistinctas ab omnibus positiuis esse liberas per modum ipsis intrinsecum, quo intrinsecè afficiantur. Quia nihil nullo potest intrinsecè affici. At, carentiæ à positiuis condistinctæ, quamuis ex sinistro modo concipiendi instar entium intelligantur, certè tamen nihil sunt: ergo nullo modo reali intrinsecùs ipsis impresso affici queunt. *Assero secundò*. Implicat carentias condistinctas ab omni positiuo esse per se ipsas nobis liberas: quia per se ipsas nihil habent intrinsecum designabile, ac monstrabile, nisi velis ipsas ad entium positiuorum cœtum transferre. Vtque clarius ex metaphysicis principijs idẽ inferatur. Noto, quod iam alibi obseruaui, nempè nihil amplius desiderari ad carentiam nostrorum actuum, quam eos *non esse*: si enim ad eorum carentiam quidpiam aliud desideratur præter ipsorum *non esse*, non percipio, quomodo ea, quam carentiam vocas, non sit ens positiuum. Quid enim aliud est ens positiuum, nisi primas veritates velis tenebricosis vocibus inuoluere, quàm quod aliud habet præter rem *non esse*? Iam infero. Ergo carẽtiæ meo-

5 *Assero quintò*. Præter potestatem proximam voluntatis existentem in hoc instanti ad ponendum, & omittendum amorem, & præter actionem amandi exercitam in hoc instanti, non requiritur adhoc, vt amare sit liberum in actû secũdo, modus alius superadditus intrinsecè, afficiens siue amorem; siue actionem amandi. Non mihi satis compertum est, an aduersentur huic assertioni nonnulli ex Thomistis relatis num. 1. Quicquid ergo de hoc sit: Probatur assertio. *Primò*. Nam intellectis illis, quæ in assertione posuimus, eo modo præciso, intelligitur formalissimè amor procedens nunc à voluntate, quia includitur in his, quæ posuimus actio amandi in hoc instanti, & in eâ actione nunc exercitâ stat formalissimè procedere nunc amorem à voluntate. Deinde, in eisdem includitur, amorem esse impedibilem proximè à voluntate: in illis enim clauditur, voluntatem posse proximè impedire amorem, suntque prorsus idem; amorem esse proximè impedibilem à voluntate, & voluntatem posse proximè impedire amorem. At, amor sufficientissimè intelligitur liber, & à necessario condistinctus, quatenùs est à volnntate procedens tanquam proximè impedibilis ab ipsâ: ergo, præciso eo modo, amor est formalitèr liber.

6 *Secundò*. Modus iste liber est. Nam, eo ipso, quòd in manû voluntatis est ponere, & cohibere suum actum, in manû illiûs est, quòd resultet; vel non resultet modus, qui intrinsecè est affixus actui. Tunc sic, vel iste modus est mediatè liber; vel immediatè. Non mediatè. Tum propter dicta in simili de modo durationis *disput. 18. num. 49*. Tum, quia mediatè liberum supponit aliud exercitium libertatis constitutum in ratione immediatè liberi: ergo talis modus non constituit actum, ex quo prosilit, in ratione liberi; sed præconstitutum supponit. Deinde, talis modus non est immediatè liber: quia nõ per modum alium superadditum, ne veniat idem argumentum, & infinita progressio. Non per coexistentiam cum principio indifferente ad ipsum, & eius carentiam: quia si hæc coexistentia sufficit constituere liberum in actû secundo prædictum modum; solida ratio non erit, cur similis coexistentia; præciso quolibet alio, non sufficiat constituere liberam actionem amãdi. Non demùm per prædicata identificata cum eo modo. Nam, similiter poterit libertas actionis amandi statui in prædicatis

prædicatis identificatis cum ipsâ, ideoque prædictus modus reijci tanquam superfluus. Legite, si placet P. Linc. sup. *cap. 6. num. 32.*

CAP. II.

Possibiles sunt actus, & actiones intrinsecè, & essentialiter liberæ.

7 A*ssero sexto.* Non implicant contradictionem actus, & actiones voluntatis creatæ nobis liberæ intrinsece, & essentialiter, nempe, per prædicata secum identificata. Tum, quia in eis actibus, & actionibus non assignabitur contradictio, quæ non euanescat facile. Tum, quia sunt affectus eius naturæ, vt non solùm exerceant potestatem, & inclinationem ad ipsos; sed essentialiter resistant inclinationi ad oppositum, vt maxime cernere est in affectibus audaciæ: ergo possibiles erũt affectus voluntatis, qui ex proprijs prædicatis intrinsecis connotent essentialiter duplicem potestatem, & inclinationem: aliam ad ipsos, cui se accommodent; ad oppositum aliam, cui resistant. Affectus autem essentialiter connotantes ex parte voluntatis potestatem, & inclinationem ad ipsos, & ad oppositum sunt essentialiter liberi. Tum, quia terminatio libera Dei, per quam Deus decernit libere creaturas, est ex intrinsecis libera Deo, cum terminatio efficax Dei ad creaturas excludat ex intrinsecis esse Deo necessariam. Cur igitur implicet actus creatus liber intrinsece talis?

8 At, opponis. Implicat actum postulare potestatem proxime impeditiuam ipsiûs. At, actus essentialitèr liber id postularet: ergo implicatorius est. Minor patet: quia, si actus est essentialitèr liber, requirit essentialitèr ad existẽdum, quòd possit voluntas ipsum euitare. Vnumquodque autem postulat id, quod essentialitèr requirit ad sui existentiam. Maior primi syllogismi probatur. Nam, quælibet res vehementer refugit suum non esse: ergo similiter refugiet proximum periculum, vt non sit, nempe potestatem proxime impeditiuam ipsiûs. Quomodo igitur hoc periculum adeo amat, vt neque diuinitus esse possit absque illo? Hoc argumentum infringitur. Tum in creaturis omnibus, quæ sunt intrinsecè contingentes, ac proinde requirunt in Deo potestatem, vt ipsas impediat.

Tum

Tum etiam in actibus liberis Dei, qui sunt essentialiter, quoad terminationem, liberi. Deinde resp. negatâ maiore. Ad probationem dicatur, vnumquodque suum *non esse* refugere prout congruit muneribus, quibus suapte natura fungitur, non verò supra quam eis muneribus congruat: hic enim appetitus, cum sit innatus, aptari debet naturæ appetentis. Cum igitur actus essentialiter liber fungatur suapte naturâ munere acquiescendi potestati, & inclinationi ad ipsum; simulque munere resistendi potestati, & inclinationi ad oppositum, nihil mirum, non refugere; sed requirere potestatem ad oppositum ipsiûs.

9 In gratiam meorum auditorum enixe cupientium solutionem cuiusdam paralogismi, quem olim disputandi gratiâ proponebam: Sic obijcio secundò. Si actus esset essentialiter liber, sequeretur deesse, eo ipso, quod deesse non posset. At, hoc est impossibile. Quid enim magis chymæricum, quàm hanc esse bonam consequentiam *: Non potest deesse ergo deest? * ergo etiam est impossibilis actus essentialiter liber. Maior probatur. Nam, si actus sit essentialiter liber, requisitum essentiale, vt sit, est posse deesse: ergo, si non potest deesse, deficit requisitum essentiale, vt sit. At, ipse deest, si deficit requisitum essentiale, vt sit: ergo si non potest deesse, deest. ¶ Ridendi quidem paralogismi sunt; simul tamen soluendi. Hic enim risus, vel irrisio haud semel est eum aduersarium dolose contemnere; quem superare nō potes: quoddamque, ni fallor, ignorantiæ propriæ diuerticulum. In primis pluribus instantijs refringi posset obiectio. Sufficiat, quòd eodem argumento probari posset, nullam creaturam esse essentialiter contingentem, & impedibilem. Nam, si est essentialiter impedibilis, requisitum essentiale, vt sit, est posse deesse. Vnde, iam poterit contra creaturas omnes essentialiter impedibiles hoc argumentum fieri. Deinde peccatum, saltem formaliter, vt peccatum, est essentialiter impedibile. Proinde, iuxta propositum argumentum, si non posset deesse, deesset. Mitto plura.

10 Vt occurras expeditè arguendi formæ, prout maxime in paralogismis oportet. *Obserua primo.* (vt plene rem percipias. Dupliciter stat, actum creatum essentialiter nobis liberum *posse deficere*. Primò, *absolutè*. Secūdò, *pro dominio nostræ libertatis*. Vtrumque competit tali actui essentialiter. Conuenit essentialiter posse deficere absolute, quia essentialiter est

res

res contingens, & de essentiâ rei contingentis est posse absolute deficere. Conuenit illi essentialiter posse deficere pro dominio nostræ libertatis: quia est essentialiter determinatio nobis libera, ideoque impedibilis pro dominio nostræ libertatis. Hinc fit, contra naturam eiûs actûs esse, tum non posse deficere absolute; tum etiam non posse deficere pro dominio nostræ libertatis. Primum est contra naturam eiûs actûs, quia res est essentialiter contingens. Secundum verò, quia actus est essentialiter nobis liber.

11 Obserua secundò. Idcirco impossibilitas, vt res deficiat, ineptissima est ad inferendum rem deficere, quia impossibilitas, vt res deficiat, necessariam constituit rem quoad existentiam: quare Deus est necessarius, quoad existentiam, quia impossibile est, Deum deficere. Nihil autem excogitabile est ineptius ad inferendum rem deficere, quàm id ipsum, quod eã constituit necessariam in existendo. Nota tertiò. Id, quod est, non esse in nobis potestatem ad impediendum actum nobis essentialiter liberum (quod quidem contingeret, si vel Deus impediret nostram existentiam, vel non cõstitueremur in actû primo liberi ad talem actum) benè quidem inferre talem actum deesse. Sed nihil mirum: quia ex vna parte, vt talis actus sit, conditio est omninò necessaria in nobis dari talem potestatem; & aliunde, quòd nos non simus constituti liberi in actu primo ad ponendum, & cohibendum talem actum, non constituit ipsum necessarium in existendo. Quamobrem, argumentum esset nullius momenti, si tantùm contenderet, ideo actum essentialitèr liberum esse implicatorium, quia ex illo infertur, quod ipse deesset, si nos non essemus constituti liberi in actû primo ad ipsum ponendum, & cohibendum. Verissimum enim est hoc inferri ex tali actû; falsissimum tamen hoc esse absurdum; ac proindè ex illiûs sequela talem actum repugnare. Cõstat enim ex dictis in isto num. minimè illud absurdum esse. Sicut non est absurdum inferri peccatum in Petro dormiente deesse, ex eo quod in eo statû non est constitutus liber, vt peccatum perpetret, & cohibeat.

12 Non tamen hîc sistit obiectio, vt oporteret sistere, ad impugnandam præcisè libertatem essentialem actus, non verò contingentiam cuique creaturæ essentialem. Sed vlterius obiectio progreditur. Cum enim actus creatus liber, sit essentialitèr contingens, conditio necessaria, vt sit, est possibilitas, vt desit.

desit. Deerit ergo, datâ impossibilitate, vt desit, quippe tali datâ impossibilitate, deficiet conditio necessaria, vt sit. Pro quo soluendo non iam pugnante præcisè contra libertatem essentialem actibus; sed contra cõtingentiam essentialem cuique creaturæ, obseruetur vltimò. Impossibilitas, vt res deficiat, alia est vera, & realis, cuiusmodi est impossibilitas, vt Deus deficiat: alia verò purè apparens, & conficta, cuiusmodi est impossibilitas absoluta, vt creaturæ essentialitèr contingentes deficiant. Porrò autem, ex positione purè apparentis, & conficti nihil mirum duo contradictoria sequi; imò ideo talis positio pure apparens, meréque commentitia est. Hinc, ex eo quod ponas impossibile absolute esse Petrum deficere, sequitur illatiuè ex tua positione Petrum non deesse: quia cum ponas esse impossibile absolute quòd deficiat, ponis Petrum esse necessarium. Aliunde, cum Petrus sit essentialiter contingens, ex impossibilitate, vt desit, sequitur deesse, quia possibilitas, vt desit, est conditio, vt sit. Prima illa impossibilitas deficiendi vera, & realis constituit rem vere necessariam in existendo; secunda verò pure apparenter.

13 Iam ad paralogismi formam, distinguo maiorem. Sequeretur deesse ex impossibilitate vt desit, verâ, & reali constituente ipsum vere necessarium, nego maiorem; confictâ non ita constituente, concedo maiorem: quod non esse inconueniẽs patet *ex num.* 12. Deinde distinguo minorem. Impossibile est, sequi quòd desit ex impossibilitate, vt desit. Loquendo de verâ, & reali, concedo minorem. De confictâ nego; & nego consequentiam. Ad probationem maioris, quam distinximus, cõcesso antecedente, distinguo cõsequens. Iuxta modum impossibilitatis, vt desit, concedo cõsequentiam; citra modũ illiûs, nego consequentiam. Si enim impossibilitas, vt talis actus desit est purè conficta; non deficit verè, & realitèr per ipsam possibilitas, vt desit ille actus, quæ possibilitas est requisitum essentiale, vt sit. Deinde distinguo minorem. Ipse actus deest, si deficit requisitum essentiale, vt sit. Iuxta modum, quo deest tale requisitum, concedo minorem; citra talem modum nego minorem. Si enim pure confictè deest requisitum ad actum, non ideò plusquam confictè deerit actus. Tandem, distinguo consequens. Iuxta modum impossibilitatis, vt desit, concedo consequentiam; citra, nego consequentiam. Itaque *in summa*, cum deficere possibilitatem, vt tale ens contingens desit, non

sit

sit verè deficere talem possibilitatem, sed hanc fictè deficere; non est talis defectus vera impossibilitas, vt tale ens deficiat constituens ipsum necessarium; ex quâ proinde nequeat inferri tale ens deesse; sed est ficta impossibilitas, vt deficiat, inferens in mente fingentis deesse, & non deesse talem actum.

DISPVTATIO VIGESSIMA.

Quomodo conueniat libertas actibus voluntatis defacto existentibus?

POst examinatam possibilitatem restat, vt breuitér conijciamus factum.

CAP. I.

Proponitur ex parte verior sententia.

1 OBseruandum est. Dupliciter stare potest affectum ex suis prædicatis intrinsecis esse liberum. *Primò*, naturalitèr. *Secundò*, inspectâ etiam potestate absolutâ Dei. Hoc vltimum contingit, quando affectus talis est ex suis intrinsecis, vt neque per Dei potentiam possit existere, non liberè. Secundùm accidit, quando ex intrinsecis habet connexionem naturalem cum eo, quod liberè fiat; potest tamen diuinitùs fieri necessariò. Igitur. *Assero primò*. Plures affectus liberi sunt ex intrinsecis liberi, saltem ex naturâ rei. Suadetur. Plures habent connexionem naturalem cum eo, quòd alitèr non fiant, quàm liberè. Ergo, &c. Probatur antecedens. Plurimi ex suis intrinsecis connectuntur cum notitijs inclinantibus ad ipsos, & ad exercitia opposita. At, istæ cognitiones simùl existentes connectuntur ex naturâ rei cum libertate proximâ ad tales actus: quippe iudicio indifferenti ad vtranque partem debetur debito connaturalitatis constitutio libertatis proximæ ad eas partes: ergo plures affectus connectuntur ex naturâ rei cum libertate proximâ ad ipsos, & consequentèr cum eo, quòd alitèr non fiant, quàm liberè.

2 So-

2 Sola maior huiûs discursûs difficilis est. Probatur autem. Nam Petrus inuitatus ex vnâ parte propositione diuinæ bonitatis ad amandum Deum super omnia: & aliunde inuitatus propositione difficultatum apparentium ad omittendum eum amorem, potest exprimere affectum amoris huiûs naturæ * Me determino ad amorem Dei, quamuis his difficultatibus reuocer * possuntque plures affectus similis modi tendendi in medium produci. At, prędictus affectus, & similes connectuntur cum notitijs, & ad ipsos, & ad ipsorum omissiones inclinantibus. Ergo. Confirm. *Primo*. Nam, quando quis vincit tentationem per affectum honestum, ad cuiûs oppositum prouocatur, solet eo affectû se exercere simul propter honestatem operis, quod amplexatur, & propter honestatē splēdentem in amplexando tali opere, quando sunt ex aduerso rationes remorantes. Hic autem modus se determinandi manifestè supponit rationes ad vtranque partem oppositam inclinantes. *Secundo*, ex attractis *disp. 19. cap. 1. num. 7. & disput. 17. cap. 1. n. 13*. Nam, actus spei, quibus speramus bonum admixtum arduitate, & actus audaciæ, quibus aggredimur facinus periculis plenum, sunt speciales animi erectiones suapte naturâ supponentes non solam notitiam boni, gloriæque inuitantis; sed etiam arduitatis, periculorumque deterrentium, & ad earum determinationum omissionem inclinantium. Sunt igitur affectus ex intrinsecis connexi cum notitijs ad ipsos, & ad exercitia opposita inclinantibus.

3 *Assero secundò*. Illi omnes affectus (saltem ferè sempèr loquendo) euadunt de facto intrinsecè potiùs, quàm extrinsecè liberi, qui propter intrinsecam libertatem sunt, cæteris paribus, entitatiuè perfectiores, quàm extrinsecè liberi Probatio mihi est. Nam, vt constat *ex disp. 19.* Affectus intrinsecè liber non repugnat; in nulloque aptius principio continetur, quàm in voluntate proximè liberâ in actu primo: ergo ipsum potiùs, quàm extrinsecè liberum producet, quando ille potiùs, quàm iste, est entitatiuè perfectior, cæteris paribus. Ista consecutio probatur. Omnis actiua causa, quæ operatur in actu secundo, producit effectum quàm perfectum entitatiuè potest, nisi vel ex proprio arbitrio, vel aliunde impediatur, quominus tantam perfectionem in effectum deriuet. At, voluntas liberè amans Deum v.g. continet in sua virtute amorem intrinsecè liberum: operatur in actu secundo amorem:

non

non se impedit ex proprio placito, quominus ille exhibeat perfectionem libertatis intrinsecæ: denum, non impeditur aliunde: ergo, si amor cum hâc perfectione euadit, cœteris paribus, entitatiuè perfectior, quàm extrinsecè liber, amor eius perfectionis reipsa producitur.

4 Prima, & secunda pars minoris constant. Tertia probatur. Quia saltem ferè semper loquendo (vt iam apparet cur istud addiderim) voluntas liberè amans non prædignoscit differentias amoris intrinsecè, & extrinsecè liberi, vt aliū pro placito probet, & alium reprobet, quidquid sit de possibilitate euentuum, vbi talis præelectio, & prædiscretio possit accidere: ergo voluntas liberè amans, ferè nunquam se impedit ex proprio placito, quominus perfectio intrinsecæ libertatis ex ipsa voluntate refluat in amorem. Demum vltima minoris pars probatur. Nam, si aliundè impediretur, profectò non ex alio, quàm Deo negante concursum ad amorem intrinsece liberum. Hinc autem non impeditur, quippe Deus ex munere causæ primæ semper est præstò, vt cum causis secundis concurrat ad totam perfectionem effectuum, quæ in ipsarum virture continetur: ergo, &c.

5 *Assero tertio*. Si fortè quandoque accidat, amorem intrinsecè liberum, & amorem extrinsecè liberum ita se habere, vt, omnibus pensatis, sint paris perfectionis entitatiuæ, producetur ille potius, qui liber sit intrinsece, quàm ille, qui extrinsecè. Ratio petenda est ex dictis *disp. 17. cap. 1. n. 4.* Nam, vt ibi dicebam, causa virtutem habens, vt diuersæ, ac diuersæ naturæ producat effectus, constituitur in actû primo proximo ad alios præ alijs efficiendos ex consortio cum eis circumstantijs, quæ potiùs conferunt, vt existant effectus vnius naturæ, quam alterius, si non adsit exigentia præponderans. At, dominium libertatis potius confert ad affectus intrinsece liberos, quàm ad liberos extrinsecè. Nam, ad illos se habet se toto per se, & formaliter; ad hos verò magnâ ex parte per accidens, & materialiter, vt ex anterioribus dispp. liquet: ac deinde in casu nostræ conclusionis non adest exigentia præponderans, vt producantur potius illi, qui ab extrinseco, quā illi, qui ab intrinseco liberi sunt. Loquimur enim, quando vtrique sunt, omnibus pensatis, æqualis perfectionis entitatiuę: ergo in hoc euentu illi potius affectus producuntur, qui ab intrinseco, quàm qui ab extrinseco liberi sunt.

CAP.

CAP. II.

Infertur posterior pars verioris sententiæ.

6 EX dictis. *Primò* mihi videtur inferri, si quando contingat, affectum ab extrinseco liberū esse perfectiorem entitatiuè, quàm similem alium intrinsecè liberum, illum præ isto producet voluntas in actu primo libera. Nam, causæ actiuæ dirigi maximè videntur, vt totam quantam possunt perfectionem entitatiuam suis effectibus communicent. Proinde, hoc ex vna parte pensato; & aliunde pensatâ contingentiâ, vt in affectus, qui cum libero dominio fiunt, intrinsecè splendeat libertatis dominium, per quod exercetur, primum illud censendum est præponderantius postremo, vt potius producantur affectus extrinsecè liberi perfectiores; quam intrinsecè liberi imperfectiores. *Secundò* infertur. Quando principium liberum potest in suos affectus deriuare non solùm perfectionem libertatis, quam vocant contradictionis; sed etiam contrarietatis, eodem modo ratiocinandum est de hâc libertate contrarietatis, atque de libertate contradictionis. Facillimè nanque constabit attendenti, locum eundem habere conclusiones positas *cap.* 1. in libertate contrarietatis; ac in libertate contradictionis.

7 Infertur *tertiò*, affectus honestos, saltem ferè semper esse intrinsecè liberos: quia, cæteris paribus, perfectiores euadent, si tam intima ipsis sit moralis honestas, in quâ libertas imbibitur, vt cum eâ morali honestate identificentur. *Infertur quartò*. Affectus moraliter turpes non sunt intrinsecè liberi libertate sufficiente, vt sint moraliter turpes: quia minus erunt entitatiuè imperfecti, si ab extrinseco habeant eiusmodi turpem libertatem, quàm si adeo intimam, vt cum ipsis identificetur. Arbitror tamen, actiones illas, quibus libertate sufficiente ad peccandum producuntur eiusmodi affectus, esse intrinsecè liberas, & prauas. Tum, quia grauiter id ab autoritate suadet, quod proponebamus *disp.* 18. *num.* 28. Tum, quia causæ actiuæ non respiciunt actiones intendendo ipsis: sed terminis perfectionem exhibere, actionesque purè volunt propter terminum, æque proinde quasi gaudétes actionibus æquè idoneis, vt termini existant. Hinc autem fit, quando dominiū

libertatis aptum est, vt se exerceat actionibus intrinsecè liberis; non esse negandum sic se exercere, propterea quòd tales actiones imperfectiores euadent; si tamen non minus idoneæ sint, vt termini existant. Non ergo negandum est libertati prauæ se exercere per actiones intrinsecè liberas, & prauas, quamuis ex isto capite imperfectiores sint, quàm si non adeò insertam haberent malitiam. Quo discursu satis propendeo, vt sentiam, actiones liberas esse de facto, vel semper, vel ferè semper intrinsecè liberas.

8 *Dices primo ex disp.* 18 *num.* 29. eum, qui peccat experiri intra se præ non peccante, malitiam, & conscientiæ remorsum: actiones autem, vt condistinctæ ab affectibus non cadunt sub experientiam: ergo, vel vtimur perperam argumento ducto ex testimonio conscientiæ; vel intrinsecam potius affectibus, quàm actionibus tueri debemus malitiam. Respond. Tametsi aliqua prædicata actionum ita sint ignota, vt experimentum fugiant, vt distinctio, vel identitas cum termino, prioritas, vel concomitantia respectiuè ad ipsum ordine naturæ, pluraque alia; tamen, alia patentiora sunt, vt conatus animi ad existentiam affectus, resistentiaque ad rationes deturpantes earum exercitium. Quare, non video cur hæc prædicata, in quibus earum stat malitia, fugiant experimentum.

9. *Dices secundò.* Sequeretur ex hac intrinsecâ prauitate actionum, dari actiones intrinsecè prauas; & tamen intrinsecè supernaturales. Nam, actio habendi odio Deum est praua intrinsecè ex eo, quòd est intrinsecè connexa cum notitia diuinæ bonitatis retrahentis ab ea actione. At, ea notitia potest esse actus fidei intrinsecè supernaturalis. Talis igitur actio intrinsecè praua connexionem intrinsecam sortietur cum re intrinsecè supernaturali; ideoque ipsa actio erit intrinsecè supernaturalis. Similes alij casus excogitari possunt: *Respon.* In primis, forsan ad supernaturalitatem intrinsecam non sufficit cõnexio intrinseca rei cum extremo supernaturali; sed connexio fundata super intrinsecam rei perfectionem, & excellentiam; non verò super imperfectionem, & abiectionem, cuiusmodi est intrinseca prauitas. Hoc tamen reseruato ad dispp. de supernatur. *Respond. secundò cum alijs*, eam actionem connecti cum bonitate diuinâ propositâ; non verò cum illâ, vt propositâ determinatè per cognitionem potius supernaturalem, quàm naturalem. Ideo talis actio non connectitur intrinsecè cum extremo

trem) supernaturali, & cõsequenter non probatur inde supernaturalitas ipsius.

10 *Infertur quintò*. Si omnes actiones liberæ existentes, & possibiles essent intrinsecè, & essentialiter liberæ, omnes actiones necessariæ essent intrinsecè, & essentialiter necessariæ. Quia essentialiter distinguuntur ab omnibus actionibus essentialiter liberis: ergo absolutè ab omnibus actionibus liberis: quia, ex hypothesi, aliæ non sunt liberæ, quam essentialiter liberæ. At, esse distinctas essentialiter ab omnibus actionibus liberis, & esse actiones necessarias in idem recidunt. Ergo. At, quia sunt possibiles liberæ voluntatis actiones indifferentes, vt exerceantur necessariò; proindeque necessariæ indifferentes, vt exerceantur liberè; idcirco, sicut non omnibus liberis voluntatis actionibus est essentialis libertas; ita neque omnibus actionib⁹ necessarijs est essentialis necessitas. At, nõ repugnãt actiones voluntatis intrinsecè, & essentialiter necessariæ, plurimæque commodè adstruentur essentialiter dependentes à principijs necessitantibus. In quo non placet immorari. Ex quibus patet, posse sumi actiones liberas, & necessarias, quæ per differentias essentiales tales sint; alias, quæ per accidentales. In præsenti tractatû difficultates alias non exagito: nam opportunius discutientur tractatibus de Actibus humanis in specie; de Bonitate, & malitiâ, ac de Peccatis.

¶ Dicta cedant in laudem, & gloriam Dei, necnon Beatissimæ Matris Virginis Mariæ sine originali labe conceptæ, omniumque Sanctorum, maximè sanctissimi Parentis Ignatij de Loiola, quem faustis auspicijs operis nostri patronum elegimus.

(§)

FINIS.

libertatis aptum est, vt se exerceat actionibus intrinsecè liberis non esse negandum sic se exercere, propterea quòd tales actiones imperfectiores euadent; si tamen non minus idoneæ sint, vt termini existant. Non ergo negandum est libertati prauæ se exercere per actiones intrinsecè liberas, & prauas, quamuis ex isto capite imperfectiores sint, quàm si non adeò insertam haberent malitiam. Quo discursu satis propendeo, vt sentiam, actiones liberas esse de facto, vel semper, vel ferè semper intrinsecè liberas.

8 *Dices primo ex disp. 18 num. 29.* eum, qui peccat experiri intra se præ non peccante, malitiam, & conscientiæ remorsum: actiones autem, vt condistinctæ ab affectibus non cadunt sub experientiam: ergo, vel vtimur perperam argumento ducto ex testimonio conscientiæ; vel intrinsecam potius affectibus, quàm actionibus tueri debemus malitiam. Respond. Tametsi aliqua prædicata actionum ita sint ignota, vt experimentum fugiant, vt distinctio, vel identitas cum termino, prioritas, vel concomitantia respectiuè ad ipsum ordine naturæ, pluraque alia; tamen, alia pateĉiora sunt, vt conatus animi ad exiltentiam affectus, resistentiaque ad rationes deturpantes earum exercitium. Quare, non video cur hæc prædicata, in quibus earum stat malitia, fugiant experimentum.

9. *Dices secundò.* Sequeretur ex hac intrinsecâ prauitate actionum, dari actiones intrinsecè prauas; & tamen intrinsecè supernaturales. Nam, actio habendi odio Deum est praua intrinsecè ex eo, quòd est intrinsecè connexa cum notitia diuinæ bonitatis retrahentis ab ea actione. At, ea notitia potest esse actus fidei intrinsecè supernaturalis. Talis igitur actio intrinsecè praua connexionem intrinsecam sortietur cum re intrinsecè supernaturali; ideoque ipsa actio erit intrinsecè supernaturalis. Similes alij casus excogitari possunt. *Respon.* In primis, forsan ad supernaturalitatem intrinsecam non sufficit cõnexio intrinseca rei cum extremo supernaturali; sed connexio fundata super intrinsecam rei perfectionem, & excellentiam; non verò super imperfectionem, & abiectionem, cuiusmodi est intrinseca prauitas. Hoc tamen reseruato ad dispp. de supernatur. *Respond. secundò cum alijs*, eam actionem connecti cum bonitate diuinâ propositâ; non verò cum illâ, vt propositâ determinatè per cognitionem potius supernaturalem, quàm naturalem. Ideo talis actio non connectitur intrinsecè cum extremo

tremo supernaturali, & cõsequenter non probatur inde supernaturalitas ipsius.

10 *Infertur quintò*. Si omnes actiones liberæ existentes, & possibiles essent intrinsecè, & essentialiter liberæ, omnes actiones necessariæ essent intrinsecè, & essentialiter necessariæ. Quia essentialiter distinguuntur ab omnibus actionibus essentialiter liberis: ergo absolutè ab omnibus actionibus liberis: quia, ex hypothesi, aliæ non sunt liberæ, quàm essentialiter liberæ. At, esse distinctas essentialiter ab omnibus actionibus liberis, & esse actiones necessarias in idem recidunt. Ergo. At, quia sunt possibiles liberæ voluntatis actiones indifferentes, vt exerceantur necessariò; proindeque necessariæ indifferentes, vt exerceantur liberè; idcirco, sicut non omnibus liberis voluntatis actionibus est essentialis libertas; ita neque omnibus actionib⁹ necessarijs est essentialis necessitas. At, nõ repugnãt actiones voluntatis intrinsecè, & essentialiter necessariæ, plurimæque commodè adstruentur essentialiter dependentes à principijs necessitantibus. In quo non placet immorari. Ex quibus patet, posse sumi actiones liberas, & necessarias, quæ per differentias essentiales tales sint; alias, quæ per accidentales. In præsenti tractatû difficultates alias non exagito: nam opportunius discutientur tractatibus de Actibus humanis in specie; de Bonitate, & malitiâ, ac de Peccatis.

¶ Dicta cedant in laudem, & gloriam Dei, necnon Beatissimæ Matris Virginis Mariæ sine originali labe conceptæ, omniumque Sanctorum, maximè sanctissimi Parentis Ignatij de Loiola, quem faustis auspicijs operis nostri patronum elegimus.

(·§·)

FINIS.

libertatis aptum est, vt se exerceat actionibus intrinsecè liberis; non esse negandum sic se exercere, propterea quòd tales actiones imperfectiores euadent; si tamen non minus idoneæ sint, vt termini existant. Non ergo negandum est libertati prauæ se exercere per actiones intrinsecè liberas, & prauas, quamuis ex isto capite imperfectiores sint, quàm si non adeò insertam haberent malitiam. Quo discursu satis propendeo, vt sentiam, actiones liberas esse de facto, vel semper, vel ferè semper intrinsecè liberas.

8 *Dices primò ex disp.* 18. *num.* 29. eum, qui peccat experiri intra se præ non peccante, malitiam, & conscientiæ remorsum: actiones autem, vt condistinctæ ab affectibus non cadunt sub experientiam: ergo, vel vtimur perperam argumento ducto ex testimonio conscientiæ; vel intrinsecam potius affectibus, quàm actionibus tueri debemus malitiam. Respond. Tametsi aliqua prædicata actionum ita sint ignota, vt experimentum fugiant, vt distinctio, vel identitas cum termino, prioritas, vel concomitantia respectiuè ad ipsum ordine naturæ, pluraque alia; tamen, alia patentiora sunt, vt conatus animi ad existentiam affectus, resistentiaque ad rationes deturpantes earum exercitium. Quare, non video cur hæc prædicata, in quibus earum stat malitia, fugiant experimentum.

9 *Dices secundò.* Sequeretur ex hac intrinsecâ prauitate actionum, dari actiones intrinsecè prauas; & tamen intrinsecè supernaturales. Nam, actio habendi odio Deum est praua intrinsecè ex eo, quòd est intrinsecè connexa cum notitia diuinæ bonitatis retrahentis ab ea actione. At, ea notitia potest esse actus fidei intrinsecè supernaturalis. Talis igitur actio intrinsecè praua connexionem intrinsecam sortietur cum re intrinsecè supernaturali; ideoque ipsa actio erit intrinsecè supernaturalis. Similes alij casus excogitari possunt. *Respon.* In primis, forsan ad supernaturalitatem intrinsecam non sufficit cōnexio intrinseca rei cum extremo supernaturali; sed connexio fundata super intrinsecam rei perfectionem, & excellentiam; non verò super imperfectionem, & abiectionem, cuiusmodi est intrinseca prauitas. Hoc tamen reseruato ad disp. de supernatur. *Respond. secundò cum alijs*, eam actionem connecti cum bonitate diuinâ propositâ; non verò cum illâ, vt propositâ determinatè per cognitionem potius supernaturalem, quàm naturalem. Ideo talis actio non connectitur intrinsecè cum extremo

tremo

trem) supernaturali, & cōsequenter non probatur inde supernaturalitas ipsiûs.

10 *Infertur quintò*. Si omnes actiones liberæ existentes, & posibiles essent intrinsecè, & essentialiter liberæ, omnes actiones necessariæ essent intrinsecè, & essentialiter necessariæ. Quia essentialiter distinguuntur ab omnibus actionibus essentialiter liberis: ergo absolutè ab omnibus actionibus liberis: quia, ex hypothesi, aliæ non sunt liberæ, quam essentialiter liberæ. At, esse distinctas essentialiter ab omnibus actionibus liberis, & esse actiones necessarias in idem recidunt. Ergo. At, quia sunt posibiles liberæ voluntatis actiones indifferentes, vt exerceantur necessariò; proindeque necessariæ indifferentes, vt exerceantur liberè; idcirco, sicut non omnibus liberis voluntatis actionibus est essentialis libertas; ita neque omnibus actionib' necessarijs est essentialis necesitas. At, nō repugnāt actiones voluntatis intrinsecè, & essentialiter necessariæ, plurimæque commodè adstruentur essentialiter dependentes à principijs necesitantibus. In quo non placet immorari. Ex quibus patet, posse sumi actiones liberas, & necessarias, quæ per differentias essentiales tales sint; alias, quæ per accidentales. In præsenti tractatû difficultates alias non exagito: nam opportunius discutientur tractatibus de Actibus humanis in specie; de Bonitate, & malitiâ, ac de Peccatis.

¶ Dicta cedant in laudem, & gloriam Dei, necnon Beatissimæ Matris Virginis Mariæ sine originali labe conceptæ, omniumque Sanctorum, maximè sanctisimi Parentis Ignatij de Loiola, quem faustis auspicijs operis nostri patronum elegimus.

(.§.)

FINIS.

libertatis aptum est, vt se exerceat actionibus intrinsecè liberis non esse negandum sic se exercere, propterea quòd tales actiones imperfectiores euadent; si tamen non minus idoneæ sint, vt termini existant. Non ergo negandum est libertati prauæ se exercere per actiones intrinsecè liberas, & prauas, quamuis ex isto capite imperfectiores sint, quàm si non adeò insertam haberent malitiam. Quo discursu satis propendeo, vt sentiam, actiones liberas esse de facto, vel semper, vel ferè semper intrinsecè liberas.

8 *Dices primo ex disp. 18. num. 29.* eum, qui peccat experiri intra se præ non peccante, malitiam, & conscientiæ remorsum: actiones autem, vt condistinctæ ab affectibus non cadunt sub experientiam: ergo, vel vtimur perperam argumento ducto ex testimonio conscientiæ; vel intrinsecam potius affectibus, quàm actionibus tueri debemus malitiam. Respond. Tametsi aliqua prædicata actionum ita sint ignota, vt experimentum fugiant, vt distinctio, vel identitas cum termino, prioritas, vel concomitantia respectiuè ad ipsum ordine naturæ, pluraque alia; tamen, alia patentiora sunt, vt conatus animi ad existentiam affectus, resistentiaque ad rationes deturpantes earum exercitium. Quare, non video cur hæc prædicata, in quibus earum stat malitia, fugiant experimentum.

9 *Dices secundò.* Sequeretur ex hac intrinsecâ prauitate actionum, dari actiones intrinsecè prauas; & tamen intrinsecè supernaturales. Nam, actio habendi odio Deum est praua intrinsecè ex eo, quòd est intrinsecè connexa cum notitia diuinæ bonitatis retrahentis ab ea actione. At, ea notitia potest esse actus fidei intrinsecè supernaturalis. Talis igitur actio intrinsecè praua connexionem intrinsecam sortietur cum re intrinsecè supernaturali; ideoque ipsa actio erit intrinsecè supernaturalis. Similes alij casus excogitari possunt. *Respon.* In primis, forsan ad supernaturalitatem intrinsecam non sufficit cõnexio intrinseca rei cum extremo supernaturali; sed connexio fundata super intrinsecam rei perfectionem, & excellentiam; non verò super imperfectionem, & abiectionem, cuiusmodi est intrinseca prauitas. Hoc tamen reseruato ad dispp. de supernatur. *Respond. secundò cum alijs*, eam actionem connecti cum bonitate diuinâ propositâ; non verò cum illâ, vt propositâ determinatè per cognitionem potius supernaturalem, quàm naturalem. Ideo talis actio non connectitur intrinsecè cum extremo

trem supernaturali, & cõsequenter non probatur inde supernaturalitas ipsiûs.

10 *Infertur quintò*. Si omnes actiones liberæ existentes, & possibiles essent intrinsecè, & essentialiter liberæ, omnes actiones necessariæ essent intrinsecè, & essentialiter necessariæ. Quia essentialiter distinguuntur ab omnibus actionibus essentialiter liberis: ergo absolutè ab omnibus actionibus liberis: quia, ex hypothesi, aliæ non sunt liberæ, quam essentialiter liberæ. At, esse distinctas essentialiter ab omnibus actionibus liberis, & esse actiones necessarias in idem recidunt. Ergo. At, quia sunt possibiles liberæ voluntatis actiones indifferentes, vt exerceantur necessariò; proindeque necessariæ indifferentes, vt exerceantur liberè; idcirco, sicut non omnibus liberis voluntatis actionibus est essentialis libertas; ita neque omnibus actionib⁹ necessarijs est essentialis necessitas. At, nõ repugnãt actiones voluntatis intrinsecè, & essentialiter necessariæ, plurimæque commodè adstruentur essentialiter dependentes à principijs necessitantibus. In quo non placet immorari. Ex quibus patet, posse sumi actiones liberas, & necessarias, quæ per differentias essentiales tales sint; alias, quæ per accidentales. In præsenti tractatû difficultates alias non exagito: nam opportunius discutientur tractatibus de Actibus humanis in specie; de Bonitate, & malitiâ, ac de Peccatis.

¶ Dicta cedant in laudem, & gloriam Dei, necnon Beatissimæ Matris Virginis Mariæ sine originali labe conceptæ, omniumque Sanctorum, maximè sanctissimi Parentis Ignatij de Loiola, quem faustis auspicijs operis nostri patronum elegimus.

(§)

FINIS.

non se impedit ex proprio placito, quominus ille exhibeat perfectionem libertatis intrinsecæ: denuum, non impeditur aliunde: ergo, si amor cum hâc perfectione euadit, cæteris paribus, entitatiuè perfectior, quàm extrinsecè liber, amor eius perfectionis reipsa producitur.

4 Prima, & secunda pars minoris constant. Tertia probatur. Quia saltem ferè semper loquendo (vt iam apparebit cur istud addiderim) voluntas liberè amans non prædignoscit differentias amoris intrinsecè, & extrinsecè liberi, vt aliũ pro placito probet, & alium reprobet, quidquid sit de possibilitate euentuum, vbi talis præelectio, & prædiscretio possit accidere: ergo voluntas liberè amans, ferè nunquam se impedit ex proprio placito, quominus perfectio intrinsecæ libertatis ex ipsa voluntate refluat in amorem. Demum vltima minoris pars probatur. Nam, si aliundè impediretur, profectò non ex alio, quàm Deo negante concursum ad amorem intrinsece liberum. Hinc autem non impeditur, quippe Deus ex munere causæ primæ semper est præstò, vt cum causis secundis concurrat ad totam perfectionem effectuum, quæ in ipsarum virture continetur: ergo, &c.

5 *Assero tertio.* Si fortè quandoque accidat, amorem intrinsecè liberum, & amorem extrinsecè liberum ita se habere, vt, omnibus pensatis, sint paris perfectionis entitatiuæ, producetur ille potius, qui liber sit intrinsece, quàm ille, qui extrinsecè. Ratio petenda est ex dictis *disp.* 17. *cap.* 1. *n.* 4. Nam, vt ibi dicebam, causa virtutem habens, vt diuersæ, ac diuersæ naturæ producat effectus, constituitur in actû primo proximo ad alios præ alijs efficiendos ex consortio cum eis circumstantijs, quæ potiùs conferunt, vt existant effectus vniùs naturæ, quam alterius, si non adsit exigentia præponderans. At, dominium libertatis potius confert ad affectus intrinsece liberos, quàm ad liberos extrinsecè. Nam, ad illos se habet se toto per se, & formaliter; ad hos verò magnâ ex parte per accidens, & materialiter, vt ex anterioribus dispp. liquet: ac deinde in casu nostræ conclusionis non adest exigentia præponderans, vt producantur potius illi, qui ab extrinseco, quã illi, qui ab intrinseco liberi sunt. Loquimur enim, quando vtrique sunt, omnibus pensatis, æqualis perfectionis entitatiuę: ergo in hoc euentu illi potius affectus producuntur, qui ab intrinseco, quàm qui ab extrinseco liberi sunt.

CAP.

CAP. II.

Infertur posterior pars verioris sententiæ.

6 EX dictis. *Primò* mihi videtur inferri, si quando contingat, affectum ab extrinseco liberũ esse perfectiorem entitatiuè, quàm similem alium intrinsecè liberum, illum præ isto producet voluntas in actu primo libera. Nam, causæ actiuæ dirigi maximè videtur, vt totam quantam possunt perfectionem entitatiuam suis effectibus communicent. Proinde, hoc ex vna parte pensato; & aliunde pensatâ contingentiâ, vt in affectus, qui cum libero dominio fiunt, intrinsecè splendeat libertatis dominium, per quod exercetur, primum illud censendum est præponderantius postremo, vt potius producantur affectus extrinsecè liberi perfectiores; quam intrinsecè liberi imperfectiores. *Secundò* infertur. Quando principium liberum potest in suos affectus deriuare non solùm perfectionem libertatis, quam vocant contradictionis; sed etiam contrarietatis, eodem modo ratiocinandum est de hâc libertate contrarietatis, atque de libertate contradictionis. Facillimè nanque constabit attendenti, locum eundem habere conclusiones positas *cap.* 1. in libertate contrarietatis; ac in libertate contradictionis.

7 Infertur *tertiò*, affectus honestos, saltem ferè semper esse intrinsecè liberos: quia, cæteris paribus, perfectiores euadent, si tam intima ipsis sit moralis honestas, in quâ libertas imbibitur, vt cum eâ morali honestate identificentur. *Infertur quartò*. Affectus moraliter turpes non sunt intrinsecè liberi libertate sufficiente, vt sint moraliter turpes: quia minus erunt entitatiuè imperfecti, si ab extrinseco habeant eiusmodi turpem libertatem, quàm si adeo intimam, vt cum ipsis identificetur. Arbitror tamen, actiones illas, quibus libertate sufficiente ad peccandum producuntur eiusmodi affectus, esse intrinsecè liberas, & prauas. Tum, quia grauiter id ab autoritate suadet, quod proponebamus *disp.* 18. *num.* 28. Tum, quia causæ actiuæ non respiciunt actiones intendendo ipsis: sed terminis perfectionem exhibere, actionesque purè volunt propter terminum, æque proinde quasi gaudẽtes actionibus æquè idoneis, vt termini existant. Hinc autem fit, quando dominiũ

trem) supernaturali, & cõsequenter non probatur inde supernaturalitas ipsius.

10 *Infertur quintò*. Si omnes actiones liberæ existentes, & possibiles essent intrinsecè, & essentialiter liberæ, omnes actiones necessariæ essent intrinsecè, & essentialiter necessariæ. Quia essentialiter distinguuntur ab omnibus actionibus essentialiter liberis: ergo absolutè ab omnibus actionibus liberis: quia, ex hypothesi, aliæ non sunt liberæ, quàm essentialiter liberæ. At, esse distinctas essentialiter ab omnibus actionibus liberis, & esse actiones necessarias in idem recidunt. Ergo. At, quia sunt possibiles liberæ voluntatis actiones indifferentes, vt exerceantur necessariò; proindeque necessariæ indifferentes, vt exerceantur liberè; idcirco, sicut non omnibus liberis voluntatis actionibus est essentialis libertas; ita neque omnibus actionib⁹ necessarijs est essentialis necessitas. At, nõ repugnãt actiones voluntatis intrinsecè, & essentialiter necessariæ, plurimæque commodè adstruentur essentialiter dependentes à principijs necessitantibus. In quo non placet immorari. Ex quibus patet, posse sumi actiones liberas, & necessarias, quæ per differentias essentiales tales sint; alias, quæ per accidentales. In præsenti tractatû difficultates alias non exagito: nam opportunius discutientur tractatibus de Actibus humanis in specie; de Bonitate, & malitiâ, ac de Peccatis.

¶ Dicta cedant in laudem, & gloriam Dei, necnon Beatissimæ Matris Virginis Mariæ sine originali labe conceptæ, omniumque Sanctorum, maximè sanctissimi Parentis Ignatij de Loiola, quem faustis auspicijs operis nostri patronum elegimus.

(∵)

FINIS.

INDEX

ALPHABETICVS RERVM SELECTIORUM, quæ in hoc opere continentur. Littera D. Disputationem. N. numerum significat.

vt

àctus

¶ Ha-

Prio-

FINIS.






LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA -